


UNIVERSITY OF TORONTO



3 1761 00814095 6

Handwritten text in red ink, partially cut off.

S

Edm. John Lenkleir.

M. FABII QUINTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBRI DUODECIM.

RECISIS QUÆ MINUS NECESSARIA VIDEBANTUR.

EDITIO NOVA

STUDIOSORUM USIBUS ACCOMMODATA

ET IN PLURIMIS LOCIS

OPTIMORUM LIBRORUM FIDE EMENDATA.

CURANTE

JACOBO INGRAM, S. T. B.

COLL. TRIN. OXON. SOC.

OXONII:

IMPENSIS J. MUNDAY; ET W. H. LUNN, LONDINI.

M. DCCC. IX.

10613

2 | 12 | 90

g

Excudebat J. Munday, Oxonii.

VIRO

ADMODUM REVERENDO

G. I. HUNTINGFORD, S. T. P.

EPISCOPO GLOCESTRIENSI

ET COLLEGII S. MARIE PROPE WINTONIAM

CUSTODI DIGNISSIMO

HOC AUREUM QUINTILIANI OPUS

DE INSTITUTIONE ORATORIA

STUDIOSIS ACCOMMODATUM

ET OMNIBUS PRÆCIPUE WICCAMI ALUMNIS

OBLATUM

D. D. D.

J. I.

LECTURO

S.

QUA mente et consilio novam hanc editionem librorum De Institutione Oratoria aggressi sumus, paucis utique exponendum videtur.

Prodiit haud ita pridem e typographeo Clarendoniano præstantissimi auctoris integrum opus, secundum editionem Gottingensem J. M. Gesneri nitidissime impressum, tribus indicibus locupletatum, et doctissimis illius viri auctum commentariis. De tali librorum Fabii editione nos certe decet modeste pronunciare. Quoniam vero haud fieri potuit, ut totum clarissimi rhetoris opus, ita amplificatum et adornatum, aut paucis absolveretur plagulis, aut modico constaret pretio, nostrum hoc qualecumque compendium, uno volumine comprehensum, in medium statuimus proferendum. Quo in negotio obeundo, communi potius utilitati, quam doctorum hominum expectationi, consulere nobis in animo erat: neque enim ad ingenium et eruditionem ostendendam opus hoc susceptum est, nam ad id efficiendum longe alia forsitan elegeretur materia, sed ut, ad exemplum compendii Rolliniani, sæpius repetiti et doctorum judicio comprobati, jam vero dudum desiderati, alius tandem conficeretur liber, qui in scholis et academiis nostris commode ab omnibus usurpari et studiosis prælegi posset.

Hanc vero rationem edendi veterum libros si qui vituperent, adeant ea quæ ad compendium suum de hac re præfatus est Rollinus: cujus quidem vestigiis, ut plurimum, insistimus; quippe qui optimus est, Gesnero ipso iudice, a Quintiliani inde ævo magister. Non tamen ita religiose vel oscitanter factum est a nobis, ut Rollini opus jam tandem repetendum prælo subjiceremus. Textum enim, sexcentis plus minus locis adhuc lacertum et corruptum, collatis optimis libris MSSis vel editis, pristino nitore restituere, melius distinguere, et notis illustrare, pro virili conati sumus. Codicem inter alios Dorvillianum, vix satis notum, qui nuper Bibliothecæ Bodleianæ accesserat, ad manus frequenter habuimus. Sæculum profecto XV præ se fert iste liber: verum ex antiquissimo codice videtur descriptus; quippe qui cum Gothano codice, omnium optimo, mire consentit, et in celebri illo loco lib. ix. cap. 4. sub initio notam hanc habet margini adscriptam, "hic deficit codex vetustissimus." Inter editos quoque libros optimum quemque, Jensonianum scilicet, Burmannianum, Gesnerianum, aliosque non paucos, locis difficilioribus in subsidium vocavimus. Multa præterea textui adjicienda, et suis locis inserenda, pauca omittenda curavimus; ea tamen, ut speramus, diligentia, ut neque quod operi nostro accesserit bene abesse posse, nec quod desit desiderari videatur. Quod reliquum est, quoniam, ut sapientibus placet, humanum est errare, rogandi sunt omnes laborum nostrorum docti et æqui iudices, ut quæ reprehenderit aliqua laude compensare velint.

M. FABII QUINTILIANI

(1) VITA.

MARCUS Fabius Quintilianus Romæ natus est : quibus Consulibus, aut quo imperante Cæsare, non legi. Verissima conjectura adducor, ut fidem libris temporum non habeam, ubi legitur Quintilianus Calagura urbe Hispaniæ oriundus: nam M. Valerius Martialis, Calaguritani agri alumnus, cum Iberos memoria dignos suis Epigrammatibus inserat, nullam de Quintiliano mentionem facit, sed eum separatim cum veneratione nominat:

*Quintiliane, vagæ moderator summe juventæ,
Gloria Romanæ Quintiliane togæ!*

Et ipse dicit, cum esset adolescentulus, cognovisse Domitium Afrum, et Senecam: qui ambo sub Nerone periere. Seneca, in libro sexto divisionum, Quintiliani declamatoris meminit, cujus adhuc extant multæ declamationes acutæ et breves, stylo aliquantulum remissiore. Is avus fuit M. Fabii Quintiliani: qui Romæ multis annis rhetoricen cum summa laude docuit. Et ipse rursus Quintilianus mentionem facit patris, qui causidicus fuit apud principem. Neque notitia, neque gratia

(1) Cujus sit, ignoratur. Nondum extat in Jensoniana editione: vidi qui Vallæ tribueret. Gesner.

caruit: Domitiani (1) enim Cæsaris nepotum cura ei delegata fuit. Disciplinæ ejus castigatissimæ plenissimum testimonium Caius Cælius affert; qui sub tali præceptore tantum profecit, ut sui temporis oratores facile superaverit. Duxit uxorem ex nobili familia; ex qua liberos suscepit; quæ acerbissima fatorum sorte in primo juventutis flore rapta fuit. Alterum ex liberis, cum librum *de causis corruptæ eloquentiæ* (2) edidisset, amisit: postea, cum rhetorices libros scriberet, (3) Marcellum, unicum parentis lumen ac solatium, rogo dedit, testis ipse infelix senex suarum lacrymarum. Ejus filiola (ex alia, ut (4) credo, uxore, Tutillii Equitis Romani filia, genita) nupsit Novio Celeri, viro claro. Quo tempore decesserit, affirmare non audeo, quoniam is, qui tradit, fide caret.

(1) Intellige nepotes sororis Domitiani.

(2) *Jam scribere aggressus*, ut ipse testatur in Procem. lib. vi. O.*

(3) Fabius in præfatione lib. vi. filium hunc suum nominat Quintilianum.

(4) Dubitari potest, utrum epistola Plinii, ubi mentio fit harum nuptiarum (est autem 32. lib. 6.) scripta sit ad nostrum Quintilianum,

* Monendus est lector, hoc signo O intelligendum esse editorem *Oxoniensem*; cujus quidem sunt omnes notulæ ita designatæ; quæ vero nullum sibi affixum habent signum, Rollino utique, ut plurimum, debentur. J. I.

INDEX CAPITUM.

LIBER I.

| | Pag. |
|--|------|
| PROOEMIUM TOTIUS OPERIS, AD MARCELLUM VICTORIUM, - - - | 1 |
| I. De educatione futuri oratoris, - - - | 5 |
| II. Utrum pueri utilius domi, an in scholis erudiantur? - - - | 10 |
| III. Qua ratione puerorum ingenia dignoscantur, et quomodo tractanda sint? - - - | 15 |
| IV.) | |
| V.) De grammatica, et officio grammatici, - | 17 |
| VI.) | |
| VII. An aliæ artes oratori futuro necessariæ sint? - | 23 |
| VIII. De musice, et ejus laudibus, - - - | 24 |
| IX. De geometria, - - - | 28 |
| X. De pronuntiatione et gestu, - - - | 30 |
| XI. Plura simul discenda, - - - | 32 |

LIBER II.

| | |
|--|----|
| I. Proœmium, de tempore quo rhetori sit tradendus puer, - - - | 36 |
| II. De moribus et officio præceptorum, - - - | 38 |
| III. An protinus præceptore optimo sit utendum? - | 40 |
| IV. Quæ debeant esse primæ apud rhetorem exercitationes? - - - | 41 |
| V. De lectione historiæ et orationum, - - - | 46 |
| VI. Qui primi scriptores legendi? - - - | 48 |
| VII. Qualis cuique danda materia ad dicendum? - | 49 |

| | Pag. |
|--|------|
| VIII. Electi ex orationibus vel historiis loci pueris ediscendi; raro autem, quæ ipsi scripserint, | 50 |
| IX. Notanda discrimina ingeniorum, - - | 51 |
| X. De officio discipulorum, - - - | 53 |
| XI. De ratione declamandi, - - - | ibid |
| XII. } Refelluntur, qui nihil egere præceptis eloquen- | |
| XIII. } tiam putant, - - - - | 54 |
| XIV. Quis modus sit in arte? - - - | 57 |
| XV. Divisio totius operis, - - - | 59 |
| XVI. Refutatis aliorum sententiis, docet rhetoricen esse scientiam bene dicendi; ejus finem bene dicere, - - - - | 60 |
| XVII. An utilis sit rhetorice? - - - | 62 |
| XVIII. An rhetorice sit ars? - - - | 64 |
| XIX. Ex quo genere artium sit rhetorice? - - | 67 |
| XX. Naturane plus ad eloquentiam conferat, an doctrina? - - - - | 68 |
| XXI. An virtus sit rhetorice? - - - | ibid |
| XXII. Materiam esse rhetorices omnes res, quæcunque ei ad dicendum subjectæ erunt, - | 70 |

LIBER III.

| | |
|--|------|
| I. Proœmium, de scriptoribus artis rhetoricæ, - | 73 |
| II. Quæ sit rhetorices origo, - - - | 76 |
| III. Quinque esse partes rhetorices, - - - | 77 |
| IV. Tria esse genera causarum: - - - | ibid |
| V. Tria esse officia oratoris: quæstiones esse vel infinitas, vel finitas: - - - | ibid |
| VI. Triplicem esse statum: - - - | 78 |
| VII. De genere demonstrativo, - - - | 79 |
| VIII. De genere deliberativo, - - - | 83 |
| IX. De genere judiciali, - - - | 91 |

LIBER IV.

| | |
|---|----|
| Proœmium, quo Divum Domitianum invocat, | 93 |
| I. De exordio, - - - - | 94 |

| | Pag. |
|------------------------------|------|
| II. De narratione, - - - - | 103 |
| III. De egressione, - - - - | 113 |
| IV. De propositione, - - - - | 120 |
| V. De partitione, - - - - | 121 |

LIBER V.

| | |
|---|------|
| Proœmium, de probatione, - - - | 126 |
| I. Probationes esse aut inartificiales, aut artificiales, | ibid |
| II. De præjudiciis, - - - - | 127 |
| III. De fama et rumoribus, - - - | 128 |
| IV. De tormentis, - - - - | ibid |
| V. De tabulis, - - - - | 129 |
| VI. De jurejurando, - - - - | ibid |
| VII. De testibus, vel testimoniis, - - - | 130 |
| VIII. De probatione artificiali, - - - | 135 |
| IX. De signis, - - - - | 136 |
| X. De argumentis, - - - - | 137 |
| XI. De exemplis, - - - - | 147 |
| XII. De usu argumentorum, - - - | 151 |
| XIII. De refutatione, - - - - | 154 |
| XIV. De enthymemate, - - - - | 161 |

LIBER VI.

| | |
|---|-----|
| Proœmium, in quo de fortuna sua queritur, - | 164 |
| I. De peroratione, - - - - | 167 |
| II. De affectibus, - - - - | 173 |
| III. De risu, - - - - | 178 |
| IV. De altercatione, - - - - | 185 |
| V. De judicio et consilio, - - - - | 188 |

LIBER VII.

| | |
|---|-----|
| Proœmium, de utilitate dispositionis, - - | 191 |
| I. De dispositione, - - - - | 192 |

LIBER VIII.

| | Pag. |
|---|------|
| Proœmium, de elocutionis vi et ratione, - | 197 |
| I. De Latine atque emendate loquendo, - | 201 |
| II. De perspicuitate, - - - - | ibid |
| III. De ornatu, - - - - | 205 |
| IV. De augendo minuendoque, - - - | 217 |
| V. De sententiis, - - - - | 221 |
| VI. De tropis, - - - - | 224 |

LIBER IX.

| | |
|------------------------------------|-----|
| I. Proœmium, de figuris, - - - | 235 |
| II. De figuris sententiarum, - - - | 236 |
| III. De figuris verborum, - - - | 242 |
| IV. De compositione, - - - | 249 |

LIBER X.

| | |
|---|-----|
| I. Proœmium, de copia verborum, et quo modo paranda, - - - - | 268 |
| II. De imitatione, - - - - | 286 |
| III. De scribendo, - - - - | 291 |
| IV. De emendatione, - - - - | 295 |
| V. Quæ præcipue scribenda sint, - - | 296 |
| VI. De cogitatione, - - - - | 300 |
| VII. De facultate dicendi ex tempore, - | 301 |

LIBER XI.

| | |
|---------------------------------|-----|
| I. De apte dicendo, - - - - | 307 |
| II. De memoria, - - - - | 320 |
| III. De pronuntiatione, - - - - | 327 |

LIBER XII.

| | |
|--|-----|
| Proœmium, de difficultate operis sui, - | 315 |
| I. Non posse oratorem esse nisi bonum virum, - | 346 |

| | Pag. |
|---|------|
| II. Philosophiæ cognitionem necessariam esse oratori, | 352 |
| III. Necessariam juris civilis oratori scientiam, - | 357 |
| IV. Necessariam oratori cognitionem historiarum, | 359 |
| V. Quæ sint oratoris iñstrumenta, - - | ibid |
| VI. Quod sit tempus incipiendi causas agere, - | 360 |
| VII. Quæ in suscipiendis causis oratori observanda sint, - - - - - | 361 |
| VIII. Quæ in discendis causis observanda, - - | 363 |
| IX. Quæ servanda in agendis causis, - - | 365 |
| X. De genere dicendi, - - - - | 368 |
| XI. Quæ post finem studia. Adhortatio ad eloquen- tiam, - - - - - | 380 |

M. FABIVS QVINTILIANVS

TRYPHONI BIBLIOPOLÆ

SALVTEM.

EFFLAGITASTI quotidiano (1) convicio, ut libros, quos ad Marcellum meum *de institutione oratoria* scripseram, jam emittere inciperem: nam ipse eos nondum opinabar satis maturuisse; quibus componendis, ut scis, paulo plus quam biennium, tot alioqui negotiis districtus, impendi; quod tempus non tam stylo, quam inquisitioni instituti operis prope infiniti, et legendis auctoribus, qui sunt innumerabiles, datum est. Usus deinde Horatii consilio, qui in *Arte poetica* suadet, ne præcipitetur editio,—*nonumque prematur in annum*, dabam eis otium; ut, refrigerato inventionis amore, diligentius repetitos, tanquam lector, perpenderem. Sed, si tantopere efflagitantur quam tu affirmas, permittamus vela ventis, et (2) oram solventibus bene precemur. Multum autem in tua quoque fide ac diligentia positum est, ut in manus hominum quam emendatissimi veniant.

(1) Per *convicium* intelligit acerrimas preces et quasi exprobrationes. *Epistolam hanc convicio efflagitarunt codicilli tui.* Cic. ad Quint. frat. l. 2. ep. 10. *Convicium*, quasi multæ simul voces. *R.* Male igitur diu scriptum fuerat *convitium*, et ab ipso quoque Rollino, *ἔτυμολογία* aliud suadente. *O.*

(2) E portu, e littore solventibus; quod inusitatum. Alii per *oram* intelligunt funem nauticum. Vide Liv. l. 22, n. 19, et l. 23, n. 36. Fabius eandem vocem usurpat, l. 4. c. 2. pag. *sublatæ sunt ancora, solvimus oram, proVecti sumus.*

M. FABII QUINTILIANI

IN ORATORIE

INSTITUTIONIS

LIBROS XII.

AD MARCELLUM VICTORIUM

PROOEMIUM.



POST impetratam studiis meis quietem, quæ per viginti annos erudiendis juvenibus impenderam, cum a me quidam familiariter postularent, ut aliquid de ratione dicendi componerem, diu sum equidem reluctatus; quod auctores utriusque linguæ clarissimos non ignorabam multa quæ ad hoc opus pertinerent, diligentissime scripta, posteris reliquisse. Sed qua ego ex causa faciliorem mihi veniam meæ deprecationis arbitrabar fore, hac accendebantur illi magis; quod inter diversas opiniones priorum, et quasdam etiam inter se contrarias, difficilis esset electio; ut mihi, si non inveniendi nova, at certe judicandi de veteribus, injungere laborem non injuste viderentur. Quamvis autem non tam me vinceret præstandi quod exigebatur fiducia, quam negandi verecundia, latius se tamen aperiente materia, plus quam imponebatur oneris sponte suscepi; simul ut pleniori obsequio demererer amantissimos mei, simul ne vulgarem viam ingressus alienis demum vestigiis insisterem. Nam cæteri fere, qui artem orandi literis tradiderunt, ita sunt exorsi, quasi perfectia omni alio genere doctrinæ, summam in eloquentia manum imponerent: sive continententes tanquam parva, quæ prius discimus, studia; sive non ad suum pertinere officium opinati, quando divisæ professionum vices

essent; seu, quod proximum vero, nullam ingenii sperantes gratiam circa res, etiamsi necessarias, procul tamen ab ostentatione positas: ut operum fastigia spectantur, latent fundamenta. Ego, cum nihil existimem arti oratoriae alienum, sine quo fieri non posse oratorem fatendum est, nec ad ullius rei summam, nisi praecedentibus initiis, perveniri; ad minora illa, sed quae si negligas non sit majoribus locus, demittere me non recusabo: nec aliter, quam si mihi tradatur educandus orator, studia ejus formare ab infantia incipiam.

Quod opus, Marcelle Victori, tibi dicamus: quem cum amicissimum nobis, tum eximio literarum amore flagrantem, non propter haec modo (quanquam sunt magna) dignissimum hoc mutuae inter nos caritatis pignore iudicabamus, sed quod erudiendo nato tuo, ejus prima aetas (1) manifestum iter ad ingenii lumen ostendit, non inutiles fore libri videbantur; quos ab ipsis discendi velut inenabulis, per omnes quae modo aliquid oratori futuro conferant artes, ad summam ejus operis perducere destinabamus.

Atque eo magis, quod duo jam sub nomine meo libri ferebantur artis Rhetoricae, neque editi a me, neque in hoc comparati. Namque alterum, sermone per biduum habito, pueri, quibus id praestabatur, (2) exceperant: alteram pluribus sane diebus, quantum (3) notando consequi poterant, interceptum, boni juvenes, sed nimium amantes mei, temerario editionis honore vulgaverant. Quare in his quoque libris erunt eadem aliqua, multa mutata, plurima adjecta, omnia vero compositiora, et quam nos poterimus elaborata.

Oratorem autem institnimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus non potest: ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes animi virtutes exigimus. Neque enim hoc concesserim, rationem rectae honestaeque vitae, ut quidam putaverunt, ad philosophos relegendam: cum vir ille vere civilis, et publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consilii urbes, fundare legibus, emendare judiciis possit, non alius sit profecto quam orator. Quare, tametsi me fateor usurum quibusdam quae philosophorum libris continentur, tamen ea jure vereque contenderim

(1) Cujus prima aetas evidentibus indicis ostendit hunc perventurum ad eloquentiam, quae est ingenii lumen. *Ut enim hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia.* Brut. 59.

(2) Privatim audiendo, et memoriter retinuerant.

(3) Compendioso genere scribendi. Unde dicti sunt *notarii*.

esse operis nostri, proprieque ad artem oratoriam pertinere. An, si frequentissime de justitia, fortitudine, temperantia, cæterisque similibus sit disserendum, adeo ut vix ulla possit causa reperiri in qua non aliqua quæstio ex his incidat, eaque omnia inventione atque elocutione sint explicanda; dubitabitur, ubicumque vis ingenii et copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse præcipuas?

Fuerunt hæc, ut Cicero apertissime colligit, quemadmodum juncta natura, sic officio quoque copulata; ut iidem sapientes atque eloquentes haberentur. Scidit deinde se studium, atque inertia factum est, ut artes esse plures viderentur. Nam, ut primum lingua esse cœpit in quæstu, institutumque eloquentiæ bonis male uti, curam morum, qui disertis habebantur, reliquerunt. Ea vero destituta, infirmioribus ingeniis velut prædæ fuit. Inde quidam, contempto bene dicendi labore, ad formandos animos, statuendasque vitæ leges regressi, partem quidem potiorem (si dividi posset) retinuerunt; nomen tamen sibi insolentissimum arrogaverunt, ut soli *sapientia studiosi* vocarentur: quod neque summi imperatores, neque in consiliis rerum maximarum ac totius administratione reipublicæ præclarissime versati, sibi unquam vindicare sunt ausi. Facere enim optima, quam promittere, maluerunt. Ac veterum quidem sapientiæ professorum multos et honesta præcepisse, et ut præceperunt etiam vixisse, facile concesserim: (1) nostris vero temporibus sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. Non enim virtute ac studiis, ut haberentur philosophi, laborabant; sed vultum, et tristitiam, et dissentientem a cæteris habitum pessimis moribus prætendebant.

Nunc autem quæ velut propria philosophiæ asseruntur, passim tractamus omnes. Quis enim (2) modo de justo, æquo, ac bono, non et vir pessimus loquitur? Quis non etiam rusticorum aliqua de causis naturalibus quærit? Nam verborum proprietas ac differentia omnibus, qui sermonem curæ habent, debet esse communis. Sed ea et sciet optime et eloquetur orator: qui si fuisset aliquando perfectus, non a philosophorum scholis virtutis præcepta peterentur. Nunc necesse est ad eos aliquando auctores recurrere, qui desertam, ut dixi, partem oratoriæ artis, meliorem præsertim, occupaverunt; et velut

(1) Videtur hæc scripsisse Fabius, ejectis ex urbe philosophis Domitiani edicto.

(2) Quis nunc non loquitur de justo, etiam vir pessimus?

nostram repossere: non ut nos illorum utamur inventis, sed ut illos alienis usos esse doceamus.

Sit igitur orator vir talis, qualis vere sapiens appellari possit; nec moribus modo perfectus, (nam id mea quidem opinione, quanquam sint qui dissentiant, satis non est) sed etiam scientia, et omni facultate dicendi, qualis adhuc fortasse nemo fuerit. Sed non ideo minus nobis ad summa tendendum est; quod fecerunt plerique veterum, qui, etsi nondum quocquam sapientem repertum putabant, præcepta tamen sapientiæ tradiderunt. Nam est certe aliquid consummata eloquentia, neque ad eam pervenire natura humani ingenii prohibet: quod si non contingat, altius tamen ibunt qui ad summa nitentur, quam qui, præsumta desperatione quo velint evadendi, protinus circa ima substiterint.

Quo magis impetranda erit venia, si ne minora quidem illa, verum operi quod instituimus necessaria, præteribo. Nam liber *primus* ea quæ sunt ante officium rhetoris continet. *Secundo* prima apud rhetorem elementa, et quæ de ipsa Rhetoricæ substantia quærentur, tractabimus. *Quinque* deinceps Inventioni, nam huic et Dispositio subjungitur, *quatuor* Elocutioni, in cujus partem Memoria ac Pronuntiatio veniunt, dabuntur. *Unus* accedet, in quo nobis orator ipse informandus est; ut qui mores ejus, quæ in suscipiendis, discendis, agendis causis ratio, quod eloquentiæ genus, quis agendi debeat esse finis, quæ post finem studia, quantum nostra valebit infirmitas, disseremus.

His omnibus admiscebitur, ut quisque locus postulabit, dicendi ratio; quæ non eorum modo scientia, quibus solis quidam nomen artis dederunt, studiosos instruat, et, ut sic dixerim, jus ipsum (1) Rhetorices interpretetur; sed alere facundiam, vires augere eloquentiæ possit. Nam plerumque nudæ illæ artes, nimia subtilitatis affectatione, frangunt atque concidunt quicquid est in oratione generosius, et omnem succum ingenii bibunt, et ossa detegunt; quæ ut esse, et adstringi nervis suis debent, sic corpore operienda sunt. Ideoque nos non (2) particulam illam, sicut plerique, sed quidquid utile ad instituendum oratorem putabamus, in hos duodecim libros contulimus, breviter omnia demonstrando. Nam, si quantum de quaque re dici potest prosequamur, finis operis non reperietur.

(1) Intelligit præcepta Rhetoricæ necessaria, alluditque ad stylum Jurisconsultorum, qui leges æquæ et aride interpretantur.

(2) Quæ mera præcepta continet.

ILLUD tamen in primis testandum est, nihil præcepta atque artes valere, nisi adjuvante natura. Quapropter ei cui deest ingenium non magis hæc scripta sunt, quam de agrorum cultu sterilibus terris. Sunt et alia ingenita quaedam adjuncta; vox, latus patiens laboris, valetudo, (1) constantia, decor; quæ si modica obtigerunt, possunt ratione ampliari; sed nonnunquam ita desunt, ut bona etiam ingenii studiique corrumpant: sicut et hæc ipsa sine doctore perito, studio pertinaci, scribendi, legendi, dicendi multa et continua exercitatione, per se nihil prosunt.

I. IGITUR nato filio, pater spem de illo primam quam optimam capiat. Ita diligentior a principiis fiet. Falsa enim est querela, paucissimis hominibus viam percipiendi quæ tradantur, esse concessam, plerosque vero laborem ac tempora tarditate ingenii perdere. Nam, contra, plures reperias et faciles in excogitando, et ad discendum promptos: quippe id est homini naturale; ac sicut aves ad volatum, equi ad cursum, ad sævitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio, atque solertia: unde origo animi cælestis creditur. (2) Hebetes vero et indociles non magis secundum naturam homines eduntur, quam prodigiosa corpora et monstris insignia: sed hi pauci admodum. Fuerit argumentum, quod in pueris elucet spes plurimorum; quæ cum emoritur ætate, manifestum est non naturam defecisse, sed curam. Præstat tamen ingenio alius alium: concedo; sed ut plus efficiat aut minus: nemo tamen reperitur, qui sit studio nihil consecutus. Hoc qui perviderit, protinus ut erit parens factus, acrem quam maxime curam spei futuri oratoris impendat.

Ante omnia, ne sit vitiosus sermo nutricibus: quas, si fieri posset, sapientes Chrysippus optavit: certe, quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum quidem in his hand dubie prior ratio est: recte tamen etiam loquantur. Has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. Et natura tenacissimi sumus eorum quæ rudibus annis percipimus: ut sapor, quo nova imbuas, durat; nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Nam bona facile mutantur in pejus: nunc quando in bonum

(1) Corporis firmitas.

(2) Hæc duo vitia, *hebetes et indociles*, opponit duabus virtutibus, de quibus paulo ante dixit: *faciles in excogitando, et prompti ad discendum.*

verteris vitia? Non assuescat ergo, ne dum infans quidem est, sermoni qui dediscendus sit.

In parentibus vero quam plurimum esse eruditionis optaverim. Verum nec de patribus tantum loquor. Nam Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus. Et Lælii filia reddidisse in loquendo paternam eloquentiam dicitur. Et Quinti Hortensii filia oratio apud Triumviros habita legitur, non tantum (1) in sexus honorem. Nec tamen ii, quibus discere ipsis non contigit, minorem curam docendū liberos habeant; sed sint propter hoc ipsum ad cætera magis diligentes.

De pueris, inter quos educabitur ille huic spei destinatus, idem quod de nutricibus dictum sit.

De (2) pædagogis hoc amplius, ut aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim, aut se non esse eruditos sciant. Nihil enim pejus est iis qui paulum aliquid ultra primas literas progressi falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt. Nam et cedere præcipiendi peritis indignantur, et velut jure quodam potestatis, quo fere hoc hominum genus intumescit, imperiosi atque interim sævientes stultitiam suam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus. Siquidem Leonides Alexandri pædagogus, ut a Babylonio Diogene traditur, quibusdam eum vitiis imbuat, quæ robustum quoque et jam maximum regem ab illa institutione puerili sunt prosecuta.

Si cui multa videor exigere, cogitet ORATOREM institui: rem arduam; etiam cum ei formando nihil defuerit; præterea plura ac difficiliora superesse: nam et studio perpetuo, et præstantissimis præceptoribus, et pluribus disciplinis opus est. Quapropter præcipienda sunt optima: quæ si quis gravabitur, non rationi (3) defuerit, sed homini.

Si tamen non continget, quales maxime velim, habere nutrices, pueros, pædagogos, at unus certe sit assiduus, dicendi non imperitus, qui, si qua erunt ab his præsentem alumno dicta vitiose, corrigat protinus, nec insidere illi

(1) Quæ oratio possit esse honori etiam viris.

(2) Ductoribus comitibusque puerorum, qui plerumque erant liberti.

(3) Subaudi, *quidquam*, ut sit sensus: Non penes *rationem*, seu methodum steterit, quandoquidem optima præcepimus, sed penes *hominem*, id est, penes eos qui in instituendis pueris, quæ præcepta sunt a nobis, exequi tanquam graviora et difficiliora noluerunt.

sinat: dum tamen intelligatur, id quod prius dixi, bonum esse; hoc, remedium.

A sermone Græco puerum incipere malo: quia Latinus, qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus se præbet: simul quia disciplinis quoque Græcis prius instituendus est, unde et nostræ fluxerunt. Non tamen hoc adeo superstitiose velim fieri, ut diu tantum loquatur Græce, aut discat, sicut plerisque moris est. Hinc enim accidunt et oris plurima vitia in peregrinum sonum corrupti, et sermouis: cui cum Græcæ (1) figuræ assidue consuetudine hæserint, in diversa quoque loquendi ratione pertinacissime durant. Non longe itaque Latina subsequi debent, et cito pariter ire. Ita fiet, ut, cum æquali cura linguam utramque tueri cœperimus, neutra alteri officiat.

Quidam literis instituendos, qui minores septem annis essent, non putaverunt, quod illa prima ætas et intellectum disciplinarum capere, et laborem pati non possit. In qua sententia Hesiodum esse plurimi tradunt, qui ante Grammaticum Aristophanem fuerunt. Nam is primus (2) *ἰπαδύλας*, in quo libro scriptum hoc invenitur, negavit esse hujus poetæ. Sed alii quoque auctores, inter quos Eratosthenes, idem præceperunt. Melius autem, qui nullum tempus vacare cura volunt, ut Chrysippus: nam is, quamvis nutricibus triennium dederit, tamen ab illis quoque jam informandam quam optimis institutis mentem infantium judicat. Cur autem non pertineat ad literas ætas, quæ ad viros jam pertinet? Neque ignoro, toto illo, de quo loquor, tempore vix tantum effici, quantum conferre unus postea possit annus: sed tamen mihi, qui id senserunt, videntur non tam discitibus in hac parte, quam docentibus pepercisse. Quid melius alioqui facient, ex quo loqui poterunt? Faciant enim aliquid necesse est. Aut cur hoc, quantumlucumque est, usque ad septem annos lucrum fastidiamus? Nam certe, quamlibet parum sit quod contulerit ætas prior, majora tamen aliqua discet puer eo ipso anno quo minora didicisset. Hoc per singulos annos prorogatum in summam præficit; et, quantum in infantia præsumtum est temporis, adolescentiæ acquiritur. Idem etiam de sequentibus annis præceptum sit; ne, quod cuique discendum est, sero discere incipiat. Non ergo

(1) Per *Græcam figuram* intelligit Græcum idioma, seu rationem ac formam loquendi quæ Græcis sit propria, nec Latino idiomati conveniat.

(2) *Præcepta*. Sic inscriptus liber qui Hesiodo tribuebatur.

perdamus primum statim tempus: atque eo minus, quod initia literarum sola memoria constant; quæ non modo jam est in parvis, sed tum etiam tenacissima est.

Nec sum adeo ætatum imprudens, ut instandum teneris protinus acerbe putem, exigendamque plenam operam. Nam id in primis cavere oportebit, ne studia qui amare nondum potest oderit, et amaritudinem semel præceptam etiam ultra rudes annos reformidet. Lusus hic sit: et rogetur, et laudetur, et nunquam non scisse se gaudeat. Aliquando ipso nolente doceatur alius, cui invideat: contendat interim, et sæpius vincere se putet: præmiis etiam, quæ capit illa ætas, evocetur.

Parva docemus, instituendum oratorem professi: sed est sua etiam studiis infantia; et, ut corporum mox fortissimorum educatio a lacte cunisque initium ducit, ita futurus eloquentissimus edidit aliquando vagitum, et loqui primum incerta voce tentavit, et hæsit circa formas literarum. Nec, si quid discere satis non est, ideo necesse non est. Quod si nemo reprehendit patrem qui hæc non negligenda in suo filio putet, cur improbetur, si quis ea quæ domi suæ recte faceret, in publicum promit? Atque eo magis quod minora etiam facilius minores percipiunt; et, ut corpora ad quosdam membrorum flexus formari nisi tenera non possunt, sic animos quoque ad pleraque duriores robur ipsum facit. An Philippus Macedonum rex Alexandro filio suo prima literarum elementa tradi ab Aristotele, summo ejus ætatis philosopho, voluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia a perfectissimo quoque tractari, pertinere ad summam credidisset? Fingamus igitur Alexandrum dari nobis, impositum gremio, dignum tanta cura infantem, (quanquam suus cuique dignus est) pudeatne me in ipsis statim elementis etiam breviter docendi monstrare compendia?

Neque enim mihi illud saltem placet, quod fieri in plurimis video, ut literarum nomina et contextum prius quam formas parvuli discant. Obstat hoc agnitioni earum, non intendentibus mox animum ad ipsos (1) ductus, dum antecedentem memoriam sequuntur. Quæ causa est præcipientibus, ut etiam, cum satis affixisse eas pueris recto illo, quo primum scribi solent, contextu videntur, retroagant rursus, et varia permutatione perturbent, donec literas qui instituuntur facie norint, non ordine. Quapropter optime, sicut hominum, pariter

(1) Formas ac figuras, et, ut ita dicam, tractus literarum.

et habitus et nomina edocebuntur. Sed quod in literis obest, in syllabis non nocebit.

Non excludo autem id quod est notum, irritandæ ad discendum infantia gratia, eburneas etiam literarum formas in lulum offerre: vel si quid aliud, quo magis illa ætas gaudeat, inveniri potest, quod tractare, intueri, nominare jucundum sit.

Cum vero jam ductus sequi cœperit, non inutile erit eas tabellæ quam optime insculpi, ut per illos velut sulcos ducatur stylus. Nam neque errabit, quemadmodum in ceris, (continebitur enim utrinque marginibus) neque extra præscriptum poterit egredi; et celerius ac sæpius sequendo certa vestigia firmabit articulos: neque egebit adjutorio manum suam superimposita regentis. Non est aliena res, quæ fere ab honestis negligi solet, cura bene ac velociter scribendi. Nam cum sit in studiis præcipuum, quoque solo verus ille profectus et altis radicibus nixus paretur, scribere ipsum, tardior stylus cogitationem moratur; rudis et confusus intellectu caret: unde sequitur alter dictandi, quæ transferenda sunt, labor. Quare cum semper et ubique, tum præcipue in epistolis secretis et familiaribus delectabit, ne hoc quidem neglectum reliquisset.

Syllabus nullum compendium est; perdiscendæ omnes; ne, ut fit plerumque, difficillima quæque earum differendo, (1) in nominibus scribendis (2) deprehendantur. Quin imo ne primæ quidem memoriæ temere credendum: repetere et inculcare diu, fuerit utilius; et in lectione quoque non properare ad continuandam eam vel accelerandam, nisi cum inoffensa atque indubitata literarum inter se conjunctio suppeditare sine ulla cogitandi saltem mora poterit: tunc ipsis syllabis verba complecti, et his sermonem connectere incipiat. Incredibile est, quantum moræ lectioni festinatione adjiciatur. Hinc enim accidit dubitatio, intermissio, repetitio, plus quam possunt audentibus; deinde, cum errarunt, etiam iis quæ jam sciunt diffidentibus. Certa sit ergo in primis lectio, deinde conjuncta, et diu lentior, donec exercitatione contingat emendata velocitas. Nam prospicere in dextrum (quod omnes præcipiunt) et providere, non (3) rationis modo,

(1) Perdiscendæ omnes syllabæ, ut dignoscantur cum ægetur de scribendis *nominibus*. Videtur hæc fuisse consuetudo apud veteres, ut pueri docerentur primum nosse ac legere literas, easdemque continuo post scribere: tum syllabas ac vocabula legere, eademque mox scribere. *R.*

(2) Inscitiæ convincantur. *G.* Locum depravatum restituimus. *O.*

(3) Intelligit artem ac methodum.

sed usus quoque est; quoniam sequentia intuenti, priora dicenda sunt; et, quod difficillimum est, dividenda intentio animi, ut aliud voce, aliud oculis agatur.

Illud non pœnitebit curasse, cum scribere nomina puer (quemadmodum moris est) cœperit, ne hanc operam in vocabulis vulgaribus, et forte occurrentibus perdat. Protinus enim potest interpretationem linguæ secretioris, quas Græci (1) γλώσσα; vocant, dum aliud agitur, ediscere, et inter prima elementa consequi rem postea proprium tempus desideraturam. Et, quoniam adhuc circa res tenues moramur, ii quoque versus, qui ad imitationem scribendi proponentur, non otiosas velim sententias habeant, sed honestum aliquid monentes. Prosequitur hæc memoria in senectutem, et impressa animo rudi, usque ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum virorum, et electos (ex poetis maxime, namque eorum parvis cognitio gratior est) locos ediscere inter lusum licet. Nam et maxime necessaria est oratori (sicut suo loco dicam) memoria: et ea præcipue firmatur atque alitur exercitatione; et in iis de quibus nunc loquimur ætatibus, quæ nihil dum ipsæ generare ex se queunt, prope sola est quæ juvari cura docentium possit.

Non alienum fuerit exigere ab iis ætatibus, quo sit absolutius os, et expressior sermo, ut (2) nomina quædam versusque affectatæ difficultatæ ex pluribus asperrime coeuntibus inter se syllabis catenatos, et velut confragosos, quam citatissime volvant. Χαλεποί Græce vocantur. Res modica dictu: qua tamen ommissa, multa linguæ vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur.

II. SED nobis jam paulatim accrescere puer, et exire de gremio, ac discere serio incipiat. Hoc igitur potissimum loco tractanda quæstio est, Utilisne sit domi atque intra privatos parietes studentem continere, an frequentiæ scholarum, et velut publicis præceptoribus tradere? Quod quidem cum iis a quibus clarissimarum civitatum mores sunt instituti, tum eminentissimis auctoribus video placuisse.

Non est tamen dissimulandum, esse nonnullos, qui ab hoc prope publico more privata quadam persuasione

(1) Fabius ipse *glossenata* vocat voces minus usitatas: hoc eodem lib. cap. 5.

(2) Ut *perterricredus*. Apud Aristoph. σφραγίδου χερσὶ κομῆτας et κομπο-Φανελαζζήμονα. Et versus ille antiquus: *fraxinū' juxa ferox infesta in fun-
tibus ossis.* C.

dissentiant. Ibi duas præcipue rationes sequi videntur: unam, quod moribus magis consulat fugiendo turbam hominum ejus ætatis, quæ sit ad vitia maxime prona; unde causas turpium factorum sæpe exitisse utinam falso jactaretur: alteram, quod quisquis futurus est ille præceptor, liberalius tempora sua impensurus uni videtur, quam si eadem in plures partiatur. Prior causa prorsus gravis; nam, si studiis quidem scholas prodesse, moribus autem nocere constaret, potior mihi ratio vivendi honeste, quam vel optime dicendi videretur. Sed, mea quidem sententia, juncta ista atque indiscreta sunt. Neque enim esse oratorem, nisi bonum virum, posse judico; et, fieri etiam si posset, nolo. De hac re igitur prius.

Corrumpi mores in scholis putant: nam et corrumpuntur interim; sed domi quoque; et sunt multa ejus rei exempla, tam læsæ hercle quam conservatæ sanctissime utrobique opinionis. Natura cujusque totum curaque distat. Da mentem ad pejora facilem, da negligentiam formandi custodiendique in ætate prima pudoris; non minorem flagitiis occasionem secreta præbuerint. Nam et esse potest turpis domesticus ille præceptor; nec tutor inter servos malos, quam ingenuos parum modestos, conversatio est. At si bona ipsius indoles, si non cæca ac sopita parentum socordia est, et præceptorem eligere sanctissimum quemque, (cujus rei præcipua prudentibus cura est) et disciplinam quæ maxime severa fuerit, licet; et nihilominus amicum gravem virum, aut fidelem libertum, lateri filii sui adjungere, cujus assiduus comitatus etiam illos meliores faciat, qui timebantur.

Facile erat hujus metus remedium. Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus! Infantiam statim deliciis solvimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis et corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, et jam (1) coccum intelligit, jam conchylium poscit. Ante palatum eorum quam os instituimus. In lecticis crescunt: si terram attigerint, e manibus utrinque sustinentium pendent. Gandemus si quid licentius dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu et osculo

(1) *Coccus*, vel *quisquillum*, granum est illud, quo vestes coccinæ, vel quisquiliatæ tinguntur, *Conchylium*, genus conchæ et muricis, ex quo exprimitur color non absimilis purpuræ. *Turn.* Quidam legunt *cocum*, et per *conchylium* intelligunt delicatos pisces: ut totus hic locus referatur non ad vestium magnificentiam, sed ad delicias ciborum. Per *palatum*, gustum intelligit; per *os*, sermonem. Pro *os*, multi legunt, *mores*. R. Male. O.

excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audierunt. Omne convivium obsecrâis canticis strepit; pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri antequam sciant vitia esse. Inde soluti ac fluentes non accipiunt e scholis mala, sed in scholas afferunt.

Verum in studiis magis vacabit unus uni. Ante omnia, nihil prohibet esse istum, nescio quem, unum etiam cum eo qui in scholis eruditur. Sed, etiamsi jungi utrumque non posset, lumen tamen illud conventus honestissimi tenebris ac solitudini prætulissem. Nam optimus quisque præceptor frequentia gaudet, ac majore se theatro dignum putat. At vero minores, ex conscientia suâ infirmitatis, hære singulis, et officio fungi quodam modo pædagogorum, non indignantur. Sed præstet alicui vel gratia, vel amicitia, vel pecunia, ut doctissimum atque incomparabilem magistrum domi habeat: num tamen ille totum in uno diem consumpturus est? aut potest esse ulla tam perpetua discantis intentio, quæ non, ut visus oculorum obtutu continuo, fatigetur? Cum præsertim plus secreti studia desiderent. Neque enim ediscenti, scribenti, et cogitanti præceptor assistit, quorum aliquid agentibus cujuscunque interventus impedimento est. Lectio quoque non omnis, nec semper, præeunte vel interpretante eget. Quando enim tot auctororum notitia contingeret? Ergo modicum tempus est, quo in totum diem velut opus ordibetur; ideoque per plures ire possunt etiam quæ singulis tradenda sunt. Pleraque vero hanc conditionem habent, ut eadem voce ad omnes simul perferantur. Taceo de (1) Partitionibus et Declamationibus rhetorum: quibus certe quantuscunque numerus adhibeatur, tamen unusquisque totum feret. Non enim vox illa præceptoris, ut cœna, minus pluribus sufficit; sed, ut sol, universis idem lucis calorisque largitur. Grammaticis quoque si de ratione loquendi disserat, quæstiones explicet, historias exponat, poemata enarret; tot illa discant, quot audient.

At enim emendationi prælectionique numerus obstat. Sit incommodum, (nam quid fere undique placet?) mox illad comparabimus commodis. Nec ego tamen eo mitti pueram volo, ubi negligatur. Sed neque præceptor

(1) *Partitiones* sunt distributiones thematicæ, quæ fieri solent a præceptore, cum materiam declamationis dictat in suos locos divisam. *Declamationes* vero sunt eadem materia, quas præceptor diligenter a se domi elaboratas pronuntiat in schola, vel etiam dictat.

bonus majore se turba, quam ut sustinere eam possit, oneraverit; et in primis ea habenda cura est, ut is omnino fiat (1) nobis familiariter amicus; nec officium in docendo spectet, sed affectum. Ita nunquam erimus in turba. Nec sane quisquam, literis saltem leviter imbutus, eum in quo studium ingeniumque perspexerit, non in suam quoque gloriam peculiariter fovebit. Sed ut fugiendæ sicut magnæ scholæ, (cui ne ipse quidem rei assentior, si ad aliquem merito concurritur) non tamen hoc eo valet, ut fugiendæ sint omnino scholæ. Aliud est enim vitare eas, aliud eligere.

Et (2) si refutavimus quæ contra dicuntur, jam explicemus quid ipsi sequamur. Ante omnia, futurus orator, cui in maxima celebritate et in media reipublicæ luce vivendum est, assuescat jam a tenero non reformidare homines, neque illa solitaria et velut umbratili vita pallescere. Excitanda mens et attollenda semper est; quæ in hujusmodi secretis aut languescit, et quendam velut in opaco situm ducit; aut contra tumescit inani persuasione: necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. Deinde, cum profcrenda sunt studia, caligat in sole, et omnia nova offendit, ut qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est.

Mitto amicitias, quæ ad senectutem usque firmissime durant, religiosa quadam necessitudine imbutæ. Neque enim est sanctius sacris iisdem, quam studiis initiari.

Sensum (3) ipsum, qui communis dicitur, ubi discet, cum se a congressu, qui non hominibus solum, sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregarit?

Adde, quod domi ea sola discere potest, quæ ipsi præcipiuntur; in schola, etiam quæ aliis. Audiet multa quotidie probari, multa corrigi: proderit alicujus objurata desidia: proderit laudata industria: excitabitur laude æmulatio: turpe ducet cedere pari, pulchrum superasse majores. Accendunt omnia hæc animos; et licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est. Non inutilem scio servatum esse a præceptoribus meis morem, qui, cum pueros in (4) classes

(1) De patribus loquitur, vel de pueris. Utrobique sensus constat. Jan. Gebhard. ex MS. Bibl. Pal. legit *omnimodo* pro *omnino*. R. Ita quoque Gesænerus edidit, sed divisim, *omni modo*. O.

(2) Et quoniam, si quidem refutavimus. R. Male conj. Gesn. sic. O.

(3) Per *sensum communem*, intelligit peritiam quandam et experientiam, quæ ex hominum congressu sensim colligitur, appellaturque a Cicerone *communis prudentia*. T.

(4) Pueri ejusdem scholæ in varias classes, id est in varios ordines, distribuebantur.

distribuerant, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant; et ita superiore loco quisque declamabat, ut præcedere profectu videbatur. Hujus rei judicia præbebantur: ea nobis iugens palmæ contentio: (1) ducere vero classem, multo pulcherrimum. Nec de hoc (2) semel decretum erat: tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem. Ita, nec superior successu curam remittebat, et dolor victum ad depellendam ignominiam concitabat. Id nobis acriores ad studia dicendi faces subdidisse, quam exhortationes docentium, pædagogorum custodiam, vota parentum, quantum animi mei conjectura colligere possum, contenderim.

Sed sicut firmiores in literis profectus alit æmulatio, ita incipientibus, atque adhuc teneris, condiscipulorum quam præceptorum jucundior, hoc ipso quod facilior, imitatio est. Vix enim se prima (3) elementa ad spem tollere effingendæ, quam summam putant, eloquentiæ audebunt: proxima amplectuntur magis; ut vites, arboribus applicitæ, inferiores prius apprehendendo ramos in cacumina evadunt. Quod adeo verum est, ut ipsius etiam magistri, si tamen ambitiosis utilia præferet, hoc opus sit, cum adhuc rudia tractabit ingenia, non statim onerare infirmitatem discientium, sed temperare vires suas, et ad intellectum audientis descendere. Nam, ut vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus, vel etiam instillatis, complentur; sic animi puerorum quantum accipere possint videndum est: nam majora intellectu, velut parum apertos ad percipiendum, animos non subibunt. Utile igitur est habere quos imitari primum, mox vincere velis. Ita paulatim et superiorum spes erit.

His adjicio, præceptores ipsos non idem mentis ac spiritus in dicendo posse concipere, singulis tantum presentibus, quod illa celebritate audientium instinctos. Maxima enim pars eloquentiæ constat animo. Hunc affici, hunc concipere imagines rerum, et transformari quodam modo ad naturam eorum de quibus loquimur, necesse est. Is porro, quo generosior celsiorque est, hoc majoribus velut (4) organis commovetur; ideoque et laude crescit, et impetu augetur, et aliquid magna agere gaudet. Est quædam tacita dedignatio, vim di-

(1) Primum in sua classe, in suo ordine, locum obtinere.

(2) In perpetuum.

(3) Pueri qui primis elementis imbuuntur. Ut servitia, pro servis.

(4) Metaphora ducta ab artibus mechanicis. Illic enim majora pondera majori etiam difficultate et majoribus instrumentis moventur. P.

eendi tantis comparatam laboribus ad unum auditorem demittere: pudet supra modum (1) sermonis attolli. Et sane concipiat quis mente vel declamantis habitum, vel orantis vocem, incessum, pronuntiationem, illum denique animi et corporis motum, sudorem, et (ut alia præteream) fatigationem, audiente uno: nonne quiddam pati simile furori videatur? Non (2) esset in rebus humanis eloquentia, si tantum cum singulis loqueremur.

III. TRADITO sibi puero, docendi peritus ingenium ejus in primis naturamque perspiciat. Ingenii signum in parvis præcipuum, memoria est. Ejus duplex virtus; facile percipere, et fideliter continere. Proximum, imitatio: nam id quoque est docilis naturæ; sic tamen, ut ea quæ discit effingat, non habitum forte, et incessum, et si quid in pejus notabile est. Non dabit mihi spem bonæ indolis, qui hoc imitandi studiò petet, ut rideatur. Nam probus quoque in primis erit ille vere ingeniosus: alioqui non pejus duxerim tardi esse ingenii, quam mali: probus autem ab illo segni et jacente plurimum aberit. Hic meus quæ tradentur non difficulter accipiet: quædam etiam interrogabit: sequetur tamen magis quam præcurret. Illud ingeniorum velut præcox genus non temere unquam pervenit ad frugem. Hi sunt qui parva facile faciunt; et audacia proveci, quicquid illi possunt, statim ostendunt. Possunt autem id demum quod in proximo est; verba continuant: hæc vultu interrito nulla tardatî verecundia proferunt: non multum præstant, sed cito: non subest vera vis, nec penitus inmissis radicibus nititur: ut quæ summo solo sparsa sunt semina celerius se effundunt; et imitatae spicas herbulæ inanibus aristis ante messem flavescunt. Placent hæc (3) annis comparata; deinde stat profectus, admiratio decrescit.

Hæc cum animadverterit, prospiciat deinceps quonam modo tractandus sit discentis animus. Sunt quidam, nisi institeris, remissi; quidam imperia indignantur: quosdam continet metus; quosdam debilitat: alios continuatio (4) extundit; in aliis plus impetus facit. Mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus flect: hic erit alendus ambitu, hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit; in hoc desidiâ nunquam verebor.

Danda est tamen omnibus aliqua remissio: non solum

(1) Sermonis quotidiani et familiaris.

(2) Fabius more suo præclarum hoc caput concludit vivida et acri sententia, et velut aculeum in animis relinquit.

(3) Cum annis collata. Deinde *stat*, id est, subsistit et cessat profectus.

(4) Continuus labor extundit aliquid ab aliis.

quia nulla res est quæ perferre possit continuum laborem, atque ea quoque quæ sensu et anima carent, ut servare vim suam possint, velut alterna quiete (1) retenduntur; sed quod studium discendi, voluntate, quæ cogi non potest, constat. Itaque et virium plus afferunt ad discendum renovati ac recentes, et acriorem animum, qui fere necessitatibus repugnat. Nec me offenderit lusus in pueris: est et hoc signum alacritatis; neque illum tristem semperque demissum sperare possum erectæ circa studia mentis fore, cum in hoc quoque maxime naturali ætatibus illis impetu jaceat. Modus tamen sit remissionibus, ne aut odium studiorum faciant negatæ, aut otii consuetudinem nimix. Sunt etiam nonnulli acuendis puerorum ingeniis non inutiles lusus; cum, positus invicem cujuscunque generis quæstiunculis, æmulantur. Mores quoque inter se ludendo simplicius detegunt: modo nulla videatur ætas tam infirma, quæ non protinus quid rectum pravumque sit discat; tum vel maxime formanda, cum simulandi nescia est, et præcipientibus facillime cedit: frangas enim citius quam corrigas, quæ in pravum induruerunt. Protinus ergo, ne quid cupide, ne quid improbe, ne quid impotenter faciat, monendus est puer; habendumque in animo semper illud Virgilianum:

Adeo in teneris consuescere multum est.

(2) Cædi vero discentes, quanquam et receptum sit, et Chrysippus non improbet, minime velim. Primum, quia deforme atque servile est; et certe, (3) quod convenit, si ætatem mutes, injuria. Deinde, quod, si cui tum est mens illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quæque mancipia, durabitur. Postremo, quod ne opus erit quidem hac castigatione, si assiduus studiorum exactor adstiterit. Nunc fere negligentia pædagogorum sic (4) emendari videtur, ut pueri non facere quæ recta sunt cogantur, sed cum non fecerint puniantur. Denique, cum parvulum verberibus coegeris, quid juveni facias, cui nec adhiberi potest hic metus, et majora discenda sunt? . .

(1) Remittuntur: laxantur. Hanc vim particula *re* habet. Recludo; resigno. *R.* Male in quibusdam MSS. *retinentur*. *O.*

(2) Utinam ex alta turri concionari quis omnibus, qui usque quaque sunt, pædagogis hoc posset. *G.*

(3) Quod convenit inter omnes, de quo omnes consentiunt.

(4) Culpæ a pueris per negligentiam pædagogorum commissæ sic corriguntur, ut, &c. *R.* Negligentia pædagogorum, quæ permittit peccare pueris, emendatum itur pœnis, cum tamen propositum esse hoc omnibus debeat, qui alios regunt, ut *cavere malint peccata quam ulcisci*. *G.*

Nunc, quibus instituendus sit artibus; qui sic formabitur, ut fieri possit orator, et quæ in quaque ætate inchoanda, dicere ingrediar.

IV. PRIMUS in eo qui legendi scribendique adeptus erit facultatem, GRAMMATICIS est locus. Nec refert de Græco an de Latino loquar; quanquam Græcum esse priorem placet: utriusque eadem via est. Hæc igitur professio cum brevissime in duas partes dividatur, (1) *recte loquendi scientiam*, et *poetarum enarrationem*, plus habet in recessu, quam fronte promittit. Nam et *scribendi ratio* conjuncta cum loquendo est, et enarrationem præcedit *emendata lectio*: et mistum his omnibus (2) *judicium* est: quo quidem ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare, et libros qui falso viderentur inscripti, tanquam subditios, submovere familia permiserint sibi; sed auctores alios (3) in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Nec poetas legisse satis est: excutiendum omne scriptorum genus: non propter historias modo, sed verba quæ frequenter jus ab auctoribus sumunt. Tum nec citra *musicen* grammaticæ potest esse perfecta, cum ei de metris rhythmisque dicendum sit: nec, si *rationem siderum* ignoret, poetas intelligat; qui (ut alia mittam) toties ortu occasuque signorum in declarandis temporibus utuntur: nec ignara *philosophiæ*; cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos ex intima quæstionum naturalium subtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclem in Græcis, Varronem ac Lucretium in Latinis; qui præcepta sapientiæ versibus tradiderunt. *Eloquentia* quoque non mediocri est opus, ut de unaquaque earum quas demonstravimus rerum dicat proprie et copiose. Quo minus sunt ferendi, qui hanc artem ut tenuem ac jejunam cavillantur; quæ nisi oratori futuro fundamenta fideliter jecerit, quicquid superstruxeris corruet; necessaria pueris, jucunda senibus, dulcis (4) secretorum comes, et quæ vel sola omni studiorum genere plus habet operis quam ostentationis.

Jam cum omnis oratio tres habeat virtutes, ut *emendata*, ut *dilucida*, ut *ornata* sit; (quia dicere apte, quod est præcipuum, plerique ornatum subjiciunt;) totidem vitia,

(1) Cotrecte, emendate.

(2) Ratio dijudicandi, discernendi: *κρίτην* vocant.

(3) *In ordinem redegerint*: inter vulgares et mediocres connumerarint. *Alios omnino exemerint numero*, tanquam in nullo pretio, in nullo numero habendos. Male interpretes sic explicant: *eximios fecerint*.

(4) In solitudine, in Musæo.

quæ sunt supradictis contraria, emendate loquendi regulam (quæ Grammatices prior est pars) examinet.

Est sua loquentibus observatio, sua scribentibus. Sermo constat *ratione, vetustate, auctoritate, consuetudine*. *Rationem* præstat præcipue *analogia*, nonnunquam et *etymologia*. *Vetera* majestas quædam, et, ut sic dixerim, religio commendat. *Auctoritas* ab oratoribus vel historicis peti solet. Nam poetas metri necessitas excusat, nisi si quando nihil impediente in utroque modulatione pedum, alterum maluit: qualia sunt; *Imo de stirpe recisum*; et, *Aerice quo congressere palumbes*; et, *Silice in nuda*; et similia: cum summorum in eloquentia virorum iudicium pro ratione, et vel error honestus est magnos duces sequentibus. *Consuetudo* vero, certissima loquendi magistra: utendumque plane sermone, ut nummo, cui publica forma est.

Verba a *vetustate* repetita, non solum magnos assertores habent, sed etiam afferunt orationi majestatem aliquam, non sine delectatione. Nam et auctoritatem antiquitatis habent; et, quia intermissa sunt, gratiam novitati similem parant. Sed opus est modo, ut neque crebra sint hæc, neque manifesta; quia nihil est odiosius affectatione; nec utique ab ultimis et jam oblitteratis repetita temporibus qualia sunt (1) *Topper* et *Antigerio*, et *Exantlare*, et *Prosapia*, et Saliorum carmina vix sacerdotibus suis satis intellecta. Sed illa mutari vetat religio, et consecratis utendum est. Oratio vero, cujus summa virtus est perspicuitas, quam sit vitiosa, si egeat interprete? Ergo ut novorum optima erunt maxime vetera, ita veterum maxime nova.

Similis circa *auctoritatem* ratio. Nam etiamsi potest videri nihil peccare, qui utitur iis verbis quæ summi auctores tradiderunt, multum tamen refert, non solum quid dixerint, sed etiam quid persuaserint. Neque enim (2) *Tubercinabundum* et *Lurcabundum* jam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor; nec *hos lodices*, quanquam id Pollioni placeat; nec *gladiola*, atqui Messala dixit; nec *parricidatum*, quod in Cælio vix tolerabile videtur; nec *collos* mihi Calvus persuaserit: quæ nec ipsi jam dicerent. Superest igitur *consuetudo*: nam fuerit pene ridiculum, malle sermonem quo locuti sunt homines, quam quo loquantur. Et sane quid est aliud vetus sermo, quam vetus loquendi consuetudo? Sed huic ipsi necessarium est ju-

(1) *Topper*, i. e. cito. *Antigerio*, i. e. valde.

(2) Eum qui raptim et impetu vorat.

dicium; constituendumque in primis, idipsum quid sit, quod *consuetudinem* vocemus: quæ, si ex eo quod plures faciunt nomen accipiat, periculosissimum dabit præceptum, non orationi modo, sed (quod majus est) vitæ. Unde enim tantum boni, ut pluribus quæ recta sunt placeant? Igitur, ut velli, et comam in gradus frangere, et in balneis perpotare, quamlibet hæc invaserint civitatem, non erit consuetudo; quia nihil horum caret reprehensione; at lavamus et tondemur, et convivimus ex consuetudine; sic in loquendo, non, si quid vitiose multis insederit, pro regula sermonis accipiendum erit. Nam ut transeam quemadmodum vulgo imperiti loquuntur, tota sæpe theatra, et omnem circi turbam exclamasse barbare scimus. Ergo *consuetudinem sermonis* vocabo *consensum eruditorum*; sicut *vivendi, consensum bonorum*.

Nunc, quoniam diximus, quæ sit loquendi regula, dicendum, quæ scribentibus custodienda. Quod Græci *ὀρθογραφίαν* vocant, nos recte scribendi scientiam nominemus. Ego, nisi quod consuetudo obtinuerit, sic scribendum quidque judico, quo modo sonat. Hic enim usus est literarum, ut custodiant voces, et velut depositum reddant legentibus: itaque id exprimere debent, quod dicturi sumus.

Hæ fere sunt emendate loquendi scribendique partes: duas reliquas, significanter ornatæque dicendi, non equidem grammaticis aufero: sed, cum mihi officia rhetoris supersint, majori operi reservo.

Redit autem illa cogitatio, quosdam fore, qui hæc quæ diximus parva nimium, et impedimenta quoque majus aliquid agentibus, putent. Nec ipse ad extremam usque anxietatem et ineptas cavillationes descendendum, atque his ingenia concidi et comminui, credo. Sed nihil ex grammatica nocuerit, nisi quod supervacuum est. An ideo minor est M. Tullius orator, quod idem artis hujus diligentissimus fuit, et in filio, ut in epistolis apparet, recte loquendi usquequaque asper quoque exactor? Aut vim C. Cæsaris fregerunt editi *de analogia* libri? Aut ideo minus Messala nitidus, quia quosdam totos libellos non de verbis modo singulis sed etiam literis dedit? Non obstant hæc disciplinæ per illas euntibus, sed circa illas hærentibus.

V. SUPEREST lectio: in qua puer ut sciat ubi suspendere spiritum debeat, quo loquo versum distinguere, ubi claudatur sensus, unde incipiat, quando attollenda vel submittenda sit vox; quid quoque flexu, quid lentius,

celerius, concitatus, lenius dicendum; demonstrari nisi in opere ipso non potest. Unum est igitur quod in hac parte præcipiam: ut omnia ista facere possit, *intelligat*. Sit autem in primis lectio virilis, et cum suavitate quadam gravis; et non quidem prosæ similis; quia carmen est, et se poetæ canere testantur; non tamen in canticum dissoluta, nec (1) plasmate (ut nunc a plerisque fit) effeminata: de quo genere optime C. Cæsarem, prætextatum adhuc, accepimus dixisse: *Si cantas, male cantas; si legis, cantas*. Nec prosopopœias, ut quibusdam placet, ad comicum morem pronuntiari velim; esse tamen flexum quendam, quo distinguantur ab iis in quibus poeta persona sua utetur.

Cætera admonitione magna egent: in primis, ut teneræ mentes, tracturæque altius quicquid rudibus et omnium ignaris insederit, non modo quæ diserta, sed vel magis quæ honesta sunt, discant. Ideoque optime institutum est, ut ab Homero atque Virgilio lectio inciperet: quamquam ad intelligendas eorum virtutes firmiore iudicio opus esset: sed huic rei superest tempus: neque enim semel legentur. Interim et sublimitate heroici carminis animus assurgat, et ex magnitudine rerum spiritum ducat, et optimis imbuatur.

Utiles *Tragœdi*: alant et *Lyrici*; si tamen in his non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris. Nam et Græci licenter multa, et Horatium in quibusdam nolim interpretari. *Elegia* vero, utique quæ amat, et *Hendecasyllaba*, quibus sunt (2) commata *Sotadeorum* (nam de Sotadeis ne præcipiendum quidem est) amoveantur, si fieri potest; si minus, certe ad firmiter ætatis robur reserventur. *Comœdiæ*, quæ plurimum ad eloquentiam conferre potest, eum per omnes et personas et affectus eat, quem usum in pueris pueris, paulo post suo loco dicam. Nam cum, mores in tuto fuerint, inter præcipua legenda erit. De Menandro loquor: nec tamen excluserim alios; nam Latini quoque auctores afferent utilitatis aliquid: sed pueris, quæ maxime ingenium alant, atque animum

(1) *Plasma* interpretantur potionem quandam, quæ faucium scabritiem tollat, et vocem liquidiorē reddat. *Liquido cum plasmate gutter mobile colluerit*. Pers. Alii pro vocis mollitudine accipiunt, quæ dedita opera sic effingatur. *Vocem eliquat, et tenero supplantat verba palato*. Pers. *Turnebus*.

(2) Versus *Sotadei* crebras habent cæsuras, et in sua vestigia retrorsum recurrunt, efficiuntque vel idem carminis genus, vel diversum. Porro res obscenas plerumque tractant. *Turn.* Vetat Fabius dari legenda pueris hendecasyllaba quibus insunt particule versuum *Sotadeorum* effeminatæ, et ad obscenitatem spectantes.

augcant, prælegenda; cæteris, quæ ad eruditionem modo pertinent, longa ætas spatium dabit.

Multum autem veteres etiam Latini conferunt, quamquam plerique plus ingenio quam arte valuerunt, in primis copiam verborum, quorum in Tragædiis gravitas, in Comædiis elegantia, et quidam velut ἀπτιτισμὸς inveniri potest. Oeconomia quoque in his diligentior, quam in plerisque novorum erit, qui omnium operum solam virtutem *sententias* putaverunt. Sanctitas certe, et, ut sic dicam, virilitas ab his petenda, quando nos in omnia deliciarum genera vitiaque dicendi quoque ratione (1) defleximus. Denique credamus summis oratoribus, qui veterum poemata vel ad fidem causarum vel ad ornamentum eloquentiæ assununt. Nam præcipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium et cæteros qui sunt proximi, vidimus Ennii, Accii, Pacuvii, Lucilii, Terentii, Cæcili, et aliorum inseri versus, summa non eruditionis modo gratia, sed etiam jucunditatis: cum poeticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirent; quibus accedit non mediocris utilitas, cum sententiis eorum, velut quibusdam testimoniis, quæ proposuere confirmant. Verum priora illa ad pueros magis, hæc sequentia ad robustiores pertinebunt: cum grammatices amor et usus lectionis, non scholarum temporibus, sed vitæ spatio terminentur.

In prælegendo grammaticus et illa quidem minora præstare debet, ut partes orationis reddi sibi soluto versu desideret, et pedum proprietates; quæ adeo debent esse notæ in carminibus, ut etiam in oratoria compositione desiderentur; deprehendatque quæ barbara, quæ impropria, quæ contra legem loquendi sunt posita: non ut ex his utique improbentur poetæ, (quibus, quia plerumque metro servire coguntur, adeo ignoscitur, ut vitia ipsa aliis in carmine appellationibus nominentur; *metaplasmos* enim, et *schematismos*, et *schemata* vocamus, et laudem virtutis necessitati danus,) sed ut commoncat (2) artificiale, et memoriam agitet.

Id quoque inter prima rudimenta non inutile, demonstrare quot quæque verba modis intelligenda sint. Circa *glossemata* etiam, id est, voces minus usitatas, non ultima ejus professionis diligentia est. Enimvero majore curâ

(1) Male Gesnerus, *defleximus*. O.

(2) Ut commoncat verborum, quæ sunt artis poeticæ propria, et refricet memoriam forte earundem vocum alibi usurpatarum. Locus hic mihi suspectus est.

jam doceat *tropos* omnes; quibus præcipue non poema modo, sed etiam oratio ornatur; *schemata* utraque, id est, *figuras*, quæque (1) *λέξεις*, quæque *διανοίας* vocantur: quorum ego, sicut troporum, tractatum in eum locum differo, quo mihi de ornatu orationis dicendum erit.

Præcipue vero illa infigat animis; quæ in œconomia virtus; quæ in decoro rerum: quid personæ cuique conuenit: quid in sensibus laudandum; quid in verbis: ubi copia probabilis; ubi modus.

His accedat enarratio historiarum, diligens quidem illa, non tamen usque ad supervacuum laborem occupata. Nam receptas, aut certe claris auctoribus memoratas, exposuisse satis est. Persequi quidem quod quisque unquam vel contentissimorum hominum dixerit, aut nimix miseriæ, aut inanis jactantiæ est, et detinet atque obruit ingenia melius aliis vacatura. Nam qui omnes etiam indignas lectione schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest. Atqui pleni sunt ejusmodi impedimentis grammaticorum commentarii, vix ipsis qui composuerunt satis noti. Nam Didymo, quo nemo plura scripsit, accidisse compertum est, ut, cum historiæ cuidam tanquam vanæ repugnaret, ipsius proferretur liber, qui eam continebat. Quod evenit præcipue in fabulosis usque ad deridicula; quædam etiam pudenda: unde improbissimo cuique pleraque fingendi licentia est; adeo ut de libris totis et auctoribus, ut succurrit, mentiantur tuto: quia inveniri, qui nunquam fuere, non possunt. Nam in notioribus frequentissime deprehenduntur a curiosis. Ex quo mihi inter virtutes grammatici habebitur, aliqua nescire.

VI. ET finitæ quidem sunt partes duæ, quas hæc professio pollicetur, id est, *ratio loquendi*, et *enarratio auctorum*: quarum illam *methodicem*, hanc *historicen* vocant. Adjiciamus tamen eorum curæ quædam dicendi primordia, quibus ætates nondum rhetorem capientes instituunt. Igitur Æsopi fabellas, quæ fabulis nutricularum proxime succedunt, narrare sermone puro et nihil se supra modum extollente, deinde eandem (2) gracilitatem stylo exigere, condiscant: versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari; tum paraphrasi audacius vertere; qua et breviare quædam, et exornare, salvo modo poetæ sensu,

(1) Id est, verborum et sententiarum. R. V. Lib. viii. c. 3. *De Ornatu*; et Lib. ix. Capp. 1, 2, et 3. O.

(2) Easdem fabellas, quas sermone puro et simplici narraverint, *stylo exigere*, i. e. accurate et exacte scribere condiscant.

permittitur. Quod opus, etiam consummatis professoribus difficile, qui commode tractaverit, cuiusque discendo sufficet. *Sententiæ* quoque, et (1) *chriæ*, et *ethologiæ*, subjectis dictorum *rationibus*, apud grammaticos scribantur, quia (2) initium ex ratione ducunt. Quorum omnium similis est ratio, forma diversa: quia *sententia* universalis est vox, *ethologia* personis continetur. Chriarum plura genera traduntur; unum, simile *sententiæ*, quod est positum in voce simplici; *Dixit ille*; aut, *Dicere solēbat*; alterum, quod est in respondendo; *Interrogatus ille*; vel, *cum hoc ei dictum esset, respondit*; tertium, huic non dissimile, cum quis non *dixisset*, sed aliquid *fecisset*; (etenim in ipsis factis esse *chriam* putant) ut; *Crates cum indoctum puerum vidisset, pædagogum ejus percussit*; et aliud pene par ei, quod tamen eodem nomine appellare non audent, sed dicunt *χρηϊδης*; ut; *Milo, quem vitulum assuocerat ferre, taurum ferebat*. (3) In his omnibus et declinatio per eosdem ducitur casus, et tam factorum quam dictorum ratio est. Narrationeulas a poetis celebratas, notitiæ causa, non eloquentiæ, tractandas puto. Cætera, majoris operis ac spiritus, Latini rhetores relinquendo necessaria grammaticis fecerunt: Græci magis operum suorum et opera et modum norunt.

VII. HÆC de *grammatica*, quam brevissime potui; non ut omnia dicerem sectatus, quod infinitum erat, sed ut maxime necessaria: nunc de cæteris artibus, quibus instituendos prius, quam tradantur Rhetori, pueros existimo, strictim subjungam; ut efficiatur orbis ille doctrinæ, quem Græci *ἑγκυκλοπαιδείαν* vocant. Nam iisdem fere annis aliarum quoque disciplinarum studia ingredienda sunt: quæ quia et ipsæ artes sunt, et esse perfecta sine his orandi scientia non potest, nec rursus ad efficiendum oratorem satis valent solæ, an sint huic operi necessariæ, quæritur. Nam quid, inquirunt, ad agendam causam, dicendamve sententiam, pertinet scire, quemadmodum data linea constitui triangula æquis lateribus possint? aut quo melius vel defendet reum, vel reget consilia, qui citharæ sonos

(1) *Chria* est commemoratio dicti, vel facti, vel utriusque, quæ ad certam personam refertur. *Ethologia* autem species est *chriæ*, quæ mores alicujus indicat. *Turn.*

(2) Nituntur ratione. Quidam legunt *lectione*: quia initium ducunt a lectione sive Poetarum, sive Historicorum, quæ ejusmodi *sententias* et *chrias* suppeditat.

(3) Istæ omnes *chriæ* eandem fere habent formam, eosdem initio casus. Grammatici autem observant, per omnes casus istam declinationem duci. *M. P. Cato dixit literarum radices amaras esse, fructus jucundiores. M. P. Catonis dictum fertur, &c. M. P. Catonem dixisse ferunt, &c.*

nominiſus et ſpatiis diſtinxerit? Enumerent etiam fortasſe multos quamlibet utiles foro, qui nec *geometren* audiverint, nec *musicos*, niſi hac communi voluptate aurium, intelligant.

Quibus ego primum hoc reſpondeo, quod et Marcus Cicero ſcripto ad Brutum libro frequentius teſtatur, non eum a nobis inſtitui oratorem, qui ſit, aut fuerit; ſed imaginem quandam concepiſſe nos animo perfecti illius, ex nulla parte ceſſantis. Nam et *ſapientem* formantes eum qui ſit futurus conſummatus undique, et (ut dicunt) mortalis quidam deus, non modo cognitione caeleſtium vel mortalium putant inſtituendum, ſed per quaedam parva ſane, ſi ipſa demum æſtumes, ducunt, ſicut exquisitas interim ambiguitates: non quia (1) *ceratinæ* aut *crocodilinæ* poſſint facere ſapientem, ſed quia illum ne in minimis quidem oporteat falli. Similiter oratorem, qui debet eſſe ſapiens, non *geometres* faciet, aut *musicus*, quæque his alia ſubjungam: ſed hæ quoque artes, ut ſit conſummatus, juvabunt: niſi forte antidotum quidem, atque alia quæ morbis aut vulneribus medentur, ex multis atque interim contrariis quoque inter ſe effectibus componi videmus; quorum ex diverſis fit illa miſtura una, quæ nulli earum ſimilis eſt quibus conſtat, ſed proprias vires ex omnibus ſumit; et muta animalia mellis illum inimitabilem humanæ rationi ſaporem vario florum ac ſuccorum genere perficiunt; nos miramur, ſi oratio, qua nihil præſtantius homini dedit providentia, pluribus artibus eget, quæ, etiam cum ſe non oſtendunt in dicendo, nec proferunt, vim tamen occultam ſuggerunt, et tacite quoque ſentiuntur. Fuit aliquis ſine his *diſcertus*; aſt ego *oratore* volo. Non multum adjiciunt; ſed æque non erit totum, cui vel parva deerunt; et optimum quidem hoc eſſe (2) conveniet: cujus etiam ſi in arduo ſpēs eſt, nos tamen præcipiamus omnia, ut ſaltem plura fiant. Sed cur deficiat animus? Natura enim perfectum oratorem eſſe non prohibet; turpiterque deſperatur, quicquid fieri poteſt.

VIII. ATQUE ego vel iudicio veterum poteram eſſe contentus. Nam quis ignorat *musicon* (ut de hac primum loquar) tantum jam illis antiquis temporibus non ſtudiū modo

(1) *Ceratinas* et *Crocodilinas* captiones dixerunt ab exemplis. Quod non perdidisti, habes: cornua, *κίρατα*, non perdidisti: ergo habes cornua. Ex A. Gell. l. 16. c. 2. *Crocodilus* autem cum pollicitus eſſet mulieri filium ſe redditurum, ſi illa verum dixiſſet; ait, non reddes. Ex Luciano *ἢ βίαν ἠπόρου*.

(2) Conſtabit, in conſeſſo erit, optimum quidem hoc eſſe, cui nihil deerit.

verum etiam venerationis habuisse, ut iidem musici, et vates, et sapientes judicarentur? Mittam alios; Orpheus et Linus: quorum utrumque diis genitum, alterum vero, quod rudes quoque atque agrestes animos admiratione mulceret, non feras modo sed saxa etiam sylvasque duxisse, posteritatis memoriæ traditum est. Et Timagenes auctor est, omnium in literis studiorum antiquissimam *musicen* exstitisse. Et testimonio sunt clarissimi poetæ, apud quos inter regalia convivia laudes heroum ac deorum ad citharam canebantur. Iopas vero ille Virgili nonne canit *Errantem Lunam, Solisque labores, &c.*? Quibus certe palam confirmat auctor eminentissimus, *musicen* cum divinarum etiam rerum cognitione esse conjunctam: quod si datur, erit etiam oratori necessaria: si quidem (ut diximus) hæc quoque pars, quæ ab oratoribus relicta a philosophis est occupata, nostri operis fuit, ac sine omnium talium scientia non potest esse perfecta eloquentia.

Atque claros nomine sapientiæ viros nemo dubitaverit studiosos musices fuisse, cum Pythagoras, atque eum secuti, acceptam sine dubio antiquitus opinionem vulgaverint, mundum ipsum ea ratione esse compositum, quam postea sit lyra imitata. Nec illa modo contenti dissimilium concordia, quam vocant *ἀρμονίαν*, sonum quoque his motibus dederunt. Nam Plato, cum in aliis quibusdam, tum præcipue in Timæo, ne intelligi quidem, nisi ab iis qui hanc quoque partem disciplinæ diligenter perceperint, potest. Quid de philosophis loquor, quorum fons ipse Socrates jam senex institui lyra non erubescerat? Duces maximos et fidibus et tibiis cecinisse traditum, et exercitus Lacedæmoniorum musicis accensos modis. Quid autem aliud in nostris legionibus cornua ac tubæ faciunt? quorum concentus quanto est vehementior, tanto Romana in bellis gloriâ cæteris præstat. Non igitur frustra Plato civili viro, quem *πολιτικόν* vocant, necessariam *musicen* credidit. Et ejus sectæ, quæ aliis severissima, aliis asperima videtur, principes in hac fuere sententia, ut existimarent sapientum aliquos nonnullam operam his studiis accommodaturos. Lycurgus, durissimarum Lacedæmonii legum auctor, musices disciplinam probavit. Atque eam natura ipsa videtur ad tolerandos facilius labores velut muneri nobis dedisse. Siquidem et remiges cantus hortatur: nec solum in iis operibus, in quibus plurimum conatus præeunte aliqua jucunda voce conspirant, sed etiam singulorum fatigatio quamlibet se rudi modulatione solatur.

Laudem adhuc dicere artis pulcherrimæ videor, non-

dum tamen eam oratori conjungere. Transeamus igitur id quoque, quod grammatice quondam ac musice junctæ fuerunt. Siquidem Architas atque Aristoxenus etiam subjectam grammaticen musicæ putaverunt; et eosdem utriusque rei præceptores fuisse, cum Sophron ostendit, minorum quidem scriptor, sed quem Plato adeo probavit, ut suppositos capiti libros ejus, cum moreretur, habuisse tradatur; tum Eupolis, apud quem Prodamus et musicen et literas docet. Et Maricas, qui est Hyperbolus, *nihil se ex musice scire, nisi literas confitetur*. Aristophanes quoque non uno libro sic institui pueros antiquitus solitos esse demonstrat. Et apud Menandrum, in *Hypobolimo*, senex reposeenti filium patri velut rationem impendiorum, quæ in educationem contulerat, opponens, psaltis se et geometris multa dicit dedisse. Unde etiam ille mos, ut in conviviis post cœnam circumferretur lyra: cujus cum se imperitum Themistocles confessus esset, ut verbis Ciceronis utar, habitus est indoctior. Sed veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibus adhibere moris fuit. Versus quoque Saliorum habent carmen. Quæ cum omnia sint a Numa rege instituta, faciunt manifestum, ne illis quidem, qui rudes ac bellicosi videntur, curam musices, quantam illa recipiebat atas, defuisse. Denique in proverbium usque Græcorum celebratum est, (1) *Indoctos a musis atque gratiis abesse*.

(2) Verum, quid ex ea proprie petat futurus orator, disseramus. Numeros musice duplices habet; in *vocibus*, et in *corpore*. Utriusque enim rei aptus quidam modus desideratur. *Vocis* rationem Aristoxenus musiciens dividit in *ῥυθμὸν καὶ μέτρον ἑμμετροῖς*, quorum alterum modulatione, canore alterum ac sonis constat. Num igitur, non hæc omnia oratori necessaria? quorum unum ad gestum, alterum ad collocationem verborum, tertium ad flexus vocis, qui sunt in agendo quoque plurimi, pertinet: (3) nisi forte in carminibus tantum et in canticis exigitur structuræ quædam et inoffensa copulatio vocum, in agendo supervacua est: aut non compositio et sonus in oratione quoque varie pro rerum modo adhibetur, sicut in musice.

(1) Dicebantur ἄμυσοι ἀχάριτες.

(2) Hactenus longiusculum parergon de Musices laudibus. Sed veniæ danda Fabio, qui forte studio Musices vehementer deditus, in ea laudanda paulo inconsultius animo suo indulsit.

(3) Observa semper hic, sive de musice, sive de eloquentia agatur, accurate distingui duo membra, in quæ vocis rationem Aristoxenus dividit: quorum alterum modulatione, canore alterum ac sonis constat. *Structuræ quædam, et inoffensa copulatio vocum—compositio et sonus—et voce, et modulatione—æque et collocationis et vocis modulatione.*

Namque et voce et modulatione grandia elate, jucunda dulciter, moderata leniter canit: totaque arte (1) consentit cum eorum quæ dicuntur affectibus. Atqui in orando quoque intentio vocis, remissio, flexus, pertinet ad movendos audientium affectus: aliaque et collocationis et vocis, ut (2) eodem utar verbo, modulatione concitationem judicium, alia misericordiam petimus: cum etiam organis, quibus sermo exprimi non potest, affici animos in diversum habitum sentiamus. *Corporis* quoque decens et aptus modus, qui dicitur *ἔνθεσμα*, est necessarius; nec aliunde peti potest; in quo pars actionis non minima consistit: qua de re sepositus nobis est locus. Age, si habebit in primis curam vocis orator, quid tam musices proprium? Sed ne hæc quidem præsumenda (3) pars est; ut uno interim contenti simus exemplo C. Gracchi, præcipui suorum temporum oratoris, cui concionanti consistens post eum musicus fistula, quam *τοράγιον* vocant, modos quibus deberet intendi ministrabat. Hæc ei cura inter turbidissimas actiones, vel terrenti optimates, vel jam timentis fuit.

Libet propter quosdam imperitiores, etiam *crassiore*, ut vocant, (4) *musa*, dubitationem hujus utililitatis eximere. Nam poetas certe legendos oratori futuro concesserint; (num igitur hi sine musice?) at si quis tam cæcus animi est, ut de aliis dubitet, illos (5) certe qui carmina ad lyram composuerunt. Hæc diutius forent dicenda, si hoc studium velut novum præciperem. Cum vero antiquitus usque a Chirone atque Achille ad nostra tempora apud omnes, qui modo legitimam disciplinam non sint perosi, duraverit, non est committendum, ut illa dubia faciam defensionis sollicitudine.

Quamvis autem satis jam ex ipsis, quibus sum modo usus, exemplis credam esse manifestum, quæ mihi et quatenus musice placeat; apertius tamen profitendum puto, non hanc a me præcipi, quæ nunc in scenis effeminata, et impudicis modis fracta, non ex parte minima, si quid in nobis virilis roboris manebat, excidit; sed qua

(1) Tota arte consentit *musice* cum earum rerum quæ cantu exprimuntur affectibus. *R.* Ad *oratoriam* artem magis illa referenda esse videntur. *O.*

(2) Modulatio proprie ad collocationem solam pertinet: sed hic voci quoque accommodatur.

(3) De voce dicturus est eodem, lib. 11. c. 3.

(4) Qu. *Minerva*? Ex abbreviatura *M̄va* vel *m̄va*, facile quis *Musa* posuerit. *O.*

(5) Subaudiendum aliquid. Fatebitur illos saltem, qui carmina ad lyram composuerunt, sine musice legi non posse.

laudes fortium canebantur, quaque et ipsi fortes canebant: nec (1) psalteria et spadicas, etiam virginibus probis recusanda; sed cognitionem rationis, quæ ad movendos leniendosque affectus plurimum valet. Nam et Pythagoram accepimus concitatos ad vim pudicæ domui afferendam juvenes, jussa mutare in spondeum modos tibicina, composuisse: et Chrysippus etiam nutricum, quæ adhibentur infantibus, (2) allecationi suum quoddam carmen assignat. Est etiam non inerudite ad declamandum ficta materia, in qua (3) ponitur tibicen, qui sacrificanti (4) Phrygium cecinerat, acto illo in insaniam, et per præcipitia delato, accusari, quod causa mortis extiterit. Quæ si dici debet ab oratore, nec dici citra scientiam musices potest, quomodo non hanc quoque artem necessariam esse operi nostro vel (5) iniqui consentiant?

IX. IN Geometria partem fatentur esse utilem teneris ætatibus; agitari namque animos, et acui ingenia, ac celeritatem percipiendi venire inde, concedunt: sed prodesse eam, non ut cæteras artes, cum perceptæ sint, sed cum discatur, existimant. Ea (6) vulgaris opinio est: nec sine causa summi viri etiam impensam huic scientiæ operam dederunt. Nam, cum sit geometria divisa in *numeros* atque *formas*, *numerorum* quidem notitia non oratori modo, sed cuicumque primis saltem literis erudito, necessaria est. In causis vero vel frequentissime versari solet, in quibus actor, non dico si circa summas trepidat, sed si digitorum (7) saltem incerto aut indecoro gestu a computatione dissentit, judicatur inductus. Illa vero *linearis ratio* et ipsa quidem eadit frequenter in causas: nam de terminis mensurisque sunt lites: sed habet majorem quandam aliam cum arte oratoria cognationem.

Jam primum *ordo* est *geometriæ* necessarius: nonne et *elocuentiæ*? Ex prioribus geometria probat insequentia, et certis incerta: nonne id in dicendo facimus? Quid? illa propositarum quæstionum conclusio non tota fere constat *sylogismis*? Propter quod plures invenias qui *dialecticæ* similem, quam qui *rhetoricæ*, fateantur hanc artem. Verum et orator, etiamsi raro, non tamen nunquam,

(1) Instrumenta musica, ad mollitiem et luxuriam apta.

(2) *Allecatio*, est cantiois illecebra, quæ nutrices soporem *allicius* pueris.

(3) Ponitur loco thematis. Aldus legit *tibicinem*.

(4) *Phrygius modus* est acer et vehemens, qui hominem concitat, et in *furorem* accendit.

(5) Qui minime favent arti nostræ.

(6) Ea opinio est vulgi tantum imperiti.

(7) Solum, etiam.

probat dialectice. Nam et syllogismis, si res poscet, utetur; et certe *enthymemate*, qui rhetoricus est syllogismus. Denique, *probationum* quæ sunt potentissimæ (1) *γραμματικαὶ ἀποδείξεις* vulgo dicuntur. Quid autem magis oratio quam *probationem* petit?

Falsa quoque verisimilia geometria ratione apprehendit. Fit hoc et in numeris per quasdam quas (2) *ψευδογραφίας* vocant, quibus pueri ludere solebamus. Sed alia majora sunt. Nam quis non ita proponenti credat: quorum locorum extremæ linæ eandem mensuran colligunt, eorum spatium quoque quod his lineis continetur, par sit necesse est? At id falsum est. Nam plurimum refert, cujus sit formæ ille circuitus: reprehensiq; a geometris sunt historici, qui magnitudines insularum satis significari navigationis ambitu crediderunt. Nam, ut quæque formâ perfectissima, ita capacissima est. Ideoque illa circumcurrens linea, si efficiet orbem, quæ forma est in planis maxime perfecta, amplius spatium complectetur, quam si quadratum paribus oris efficiat. Rursus quadrata triangulis, triangula ipsa plus æquis lateribus quam inæqualibus. Sed alia forsitan obscuriora: nos facillimum etiam imperitis sequamur experimentum. Jugeri mensuram ducentos et quadraginta longitudinis pedes esse, dimidioque in latitudinem patere, non fere quisquam est qui ignoret: et qui sit circuitus, et quantum campi claudat, colligere expeditum. At centeni et octogeni in quamque partem pedes, idem spatium extremitatis, sed multo amplius clause quatuor lineis (3) aræ faciunt. Id si computare quem piget, brevioribus numeris idem discat: nam deni in quadrum pedes, quadraginta per oram, intra centum erunt. At si quinideni per latera, quini in fronte sint, ex illo quod amplectuntur quartam partem deducunt eodem circumductu. Si vero porrecti utrinque undeviceni singulis distent, non plures intus quadratos habebunt, quam per quot longitudo ducetur: quæ circumibit autem linea, ejusdem spatii erit, cujus ea quæ centum continet. Ita quicquid formæ quadrati detraxeris, amplitudini quoque peribit. Ergo etiam id fieri potest, ut majore circuitu minor loci amplitudo claudatur. Hoc in planis. Nam in collibus vallibusque etiam imperito patet plus (4) soli esse quam cæli.

(1) Id est, geometricæ demonstrationes.

(2) Fallacias in subductionibus rationum.

(3) In genitivo casu. Faciunt amplius spatium ejus aræ quæ intra quatuor lineas continetur.

(4) Eam cæli, sive aeris, partem, quæ respondet solo in collibus et vallibus, esse minus patentem. R. Propter inæqualem soli superficiem. O.

Quid, quod se eadem geometria tollit ad rationem usque mundi: in qua cum siderum certos constitutosque cursus numeris docet, discimus nihil esse inordinatum atque fortuitum, quod ipsum nonnunquam pertinere ad oratorem potest. An vero, cum Pericles Athenienses solis obscuracione territos, redditis ejus rei causis, metu liberavit; aut cum Sulpitius ille Gallus in exercitu L. Pauli de Lunæ defectione disseruit, ne velut prodigio divinitus facto militum animi terrerentur, non videtur esse usus oratoris officio? Quod si Nicias in Sicilia scisset, non eodem confusus metu pulcherrimum Atheniensium exercitum perdidisset: sicut Dion, cum ad destruendam Dionysii tyrannidem venit, non est tali casu deterritus. Sint exempla licet usus bellici, transeamusque quod Archimedes unus obsidionem Syracusarum in longius traxit: illud utique jam proprium est, ad efficiendum quod intendimus, plurimas quæstiones, quarum difficilior alia ratione explicatio est, ut de ratione dividendi, de sectione in infinitum, de celeritate augendi, linearibus illis probationibus solvi solere: ut, si est oratori (quod proximus demonstrabit liber) de omnibus rebus dicendum, nullo modo sine geometria esse possit orator.

X. DANDUM aliquid comœdo quoque, dum eatenus qua pronuntiandi scientiam futurus orator desiderat, Non enim puerum, quem in hoc instituimus, aut femineæ vocis exilitate frangi volo, aut seniliter tremere. Nec vitia ebrietatis effingat; nec servili vernilitate imbuatur; nec amoris, avaritiæ, metus discat affectum: quæ neque oratori sunt necessaria, et mentem præcipue in ætate prima teneram adhuc et rudem inficiunt. Nam frequens imitatio transit in mores. Ne gestus quidem omnis ac motus a comœdis petendus est. Quanquam enim utrumque eorum ad quandam modum præstare debet orator; plurimum tamen aberit a scenico; nec vultu, nec manu, nec excursionibus nimius. Nam si qua in his ars est dicentium, ea prima est, ne ars esse videatur.

Quod est igitur in his doctoris officium? In primis, vitia si qua sunt oris, emendet: ut expressa sint verba, ut suis quæque literæ sonis enuntientur. Quarumdam enim vel exilitate vel pinguetudine nimia laboramus: quasdam velut acriores parum (1) efficimus, et aliis non dissimilibus sed quasi hebetioribus permutamus. Quippe ꝑ literæ, qua Demosthenes quoque laboravit, ꝑ succedit: quarum vis est apud nos quoque. Et cum c, ac similiter

(1) Non plane et absolute pronuntiamus. Alii legunt: *efficimus, effiamus, effiamur.*

t, non valuerunt, in *g* ac *d* molliuntur. Ne illas quidam circa (1) *s* literam delicias hic magister feret: nec verba in faucibus patietur audiri, nec oris inauitate resonare: nec, quod minime sermoni puro conveniat, simplicem vocis naturam pleniore quodam sono circumlinire, quod Græci καταπεπλασμένον dicunt. Sic appellatur cantus tibi-arum, quæ, præcluis quibus clarescunt foraminibus, recto modo exitu graviozem spiritum reddunt.

Curabit etiam, ne extremæ syllabæ intercidant, ut par sibi sermo sit: ut quoties exclamandum erit, laterum conatus sit ille, non capitis: ut gestus ad vocem, vultus ad gestum accommodetur. Observandum erit etiam, ut recta sit facies dicentis, ne labra distorqueantur, ne immodicus hiatus rictum distendat, ne supinus vultus, ne dejecti in terram oculi, ne inclinata utrolibet cervix. Nam frons pluribus generibus peccat. Vidi multos quorum supercilia ad singulos vocis conatus allevarentur, aliorum constricta, aliorum etiam dissidentia, cum altero in verticem tenderent, altero pene oculus ipse premere-tur. Infinitum autem, ut mox dicemus, in his quoque rebus momentum est. Et nihil potest placere, quod non decet.

Debet etiam docere comædus, quomodo narrandum, qua sit auctoritate suadendum, qua concitatione consurgat ira, qui flexus deceat miserationem. Quod ita optime faciet, si certos ex comædiis elegerit locos, et ad hoc maxime idoneos, id est actionibus similes. Iidem autem non ad pronuntiandum modo utilissimi, verum ad augendam quoque eloquentiam maxime accommodati erunt. Et hæc, dum infirma ætas majora non capiet. Cæterum, cum legere orationes oportebit, cum virtutes earum jam sentiet, tum mihi diligens aliquis ac peritus assistat: neque solum lectione formet, verum etiam ediscere electa ex his cogat, et ea dicere stantem clare, et quemadmodum agere oportebit, ut protinus pronuntiatione vocem et memoriam exerceat.

Ne illos quidem reprehendendos putem, qui paulum etiam Palæstricis vacaverint. Non de his loquor, quibus pars vitæ in oleo, pars in vino consumitur; qui corporis cura mentem obruerunt. Hos enim abesse ab eo quem instituimus quam longissime velim. Sed nomen est idem iis a quibus gestus motusque formantur; ut recta sint

(1) Metrum hoc Euripidis in Medea, ἔσωσά δ' ἄς ἴσασιν ἑλλήνων ὕπσι, a Poetis comicis irrisum, miros aliquando Athenis cachinnos in theatro excitavit.

brachia, ne indoctæ rusticæve manus, ne status indecorus, ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculique ab alia corpõs inclinatione dissideant. Nam nec hoc esse in parte pronuntiationis negaverit quisquam; nec ipsam pronuntiationem ab oratore secernet. Et certe quod facere oporteat, non indignum est discere, cum præsertim hæc (1) *chironomia*, quæ est (ut nomine ipso declaratur) lex gestûs, et ab illis temporibus heroicis orta sit, et a summis Græciæ viris, et ab ipso etiam Socrate probata, a Platone quoque in parte civilium posita virtutum, et a Chrysippo in præceptis de liberorum educatione compositis non omissa. Nam Lacedæmonios quidem etiam saltationem quandam, tanquam ad bella quoque utilem, habuisse inter exercitationes accepimus. Neque id veteribus Romanis dedecori fuit: argumentum est, sacerdotum nomine ac religione durans ad hoc tempus saltatio; et illa in tertio Ciceronis de oratore libro verba Crassi, quibus præcipit, ut orator utatur *laterum* (2) *inclinazione forti ac virili, non a scena, et histrionibus; sed ab armis, aut etiam a palaestra*: cuius etiam disciplinæ usus in nostram usque ætatem sine reprehensione descendit. A me tamen nec ultra pueriles annos retinebitur, nec in his ipsis diu: neque enim gestum oratoris componi ad similitudinem saltationis volo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, unde nos non id agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequatur.

XI. QUÆRI solet, an, etiam si discenda sint hæc, eodem tempore tamen tradi omnia et percipi possint. Negant enim quidam; quia confundatur animus ac fatigetur tot disciplinis in diversum tendentibus, ad quas nec mens, nec corpus, nec dies ipse sufficiat; et, si maxime patiatur hæc ætas robustior, tamen pueriles annos onerari non oporteat.

Sed non satis perspiciunt, quantum natura humani ingenii valeat: quæ ita est agilis et velox, sic in omnem partem, ut ita dixerim, spectat, ut ne possit quidem aliquid agere tantum unum; in plura vero, non eodem die modo, sed eodem temporis momento, vim suam impendat. An vero citharædi non simul et memoriæ, et sono vocis, et pluribus flexibus serviunt, cum interim alios nervos dextra percutiunt, alios læva trahunt, continent, probant? Ne pes quidem otiosus, certam legem

(1) *Chironomia* (*Χειρονομία*) gestus est saltationis gesticulatricis. Est etiam lex gestûs et motûs, quæ nomen sortitur a *manuum lege*, propterea quod illic maxima pars gestûs est posita. *Turn.*

(2) Cicero habet, *inflexione*. 3. de Orat. 220.

temporum servat: et hæc pariter omnia. Quid? nos agendi subita necessitate deprehensi, nonne alia dicimus, alia providemus; cum pariter inventio rerum, electio verborum, compositio, gestus, pronuntiatio, vultus, motusque desiderentur? Quæ si velut sub uno conatu tam diversa parent simul, cur non pluribus horis diversa partiamur, cum præsertim reficiat animos ac reparet varietas ipsa, contraque sit aliquanto difficilius in labore uno perseverare? Ideo et stylus lectione requiescit, et ipsius lectionis tædium vicibus levatur. Quamlibet multa egerimus, quodam tamen modo recentes sumus ad id quod incipimus. Quis non obtundi possit, si per totum diem cujuscunque artis unum magistrum ferat? Mutatione recreabitur: sicut in cibis; quorum diversitate reficitur stomachus, et pluribus minore fastidio alitur.

Aut dicant isti mihi, quæ sit alia ratio discendi? Grammatico soli deserviamus, deinde geometræ tantum? omitamus interim quod didicimus, mox transeamus ad musicum? excidant priora? et cum Latinis studebimus literis, non respiciamus ad Græcas? et ut semel finiam, nihil faciamus nisi novissimum? Cur non idem suademus agricolis, ne arva simul, et vineta, et oleas, et arbustum colant? ne pratis, et pecoribus, et hortis, et alvearibus accommodent curam? Cur ipsi aliquid forensibus negotiis, aliquid desiderii amicorum, aliquid rationibus domesticis, aliquid curæ corporis, nonnihil voluptatibus quotidie damus? quarum nos una res quælibet nihil intermittentes fatigaret. Adeo facilius est multa facere, quam diu.

Illud quidem minime verendum est, ne laborem studiorum pueri difficilius tolerant. Neque enim ulla ætas minus fatigatur. Mirum sit forsitan; sed experimentis deprehendas. Nam et dociliora sunt ingenia, priusquam obdurerunt. Id vel hoc argumento patet, quod intra biennium quam verba recte formare potuerunt, quamvis nullo instante, omnia fere loquuntur. At (1) novitiis nostris per quot annos sermo Latinus repugnat? Magis scias, si quem jam robustum instituere literis cœperis, non sine causa dici (2) παιδομαθῆς eos, qui in sua quidque arte optime faciant. Et patientior est laboris natura pueris quam juvenibus. Videlicet, ut corpora infantium nec casus quo in terram toties deferuntur tam graviter affligit, nec illa per manus et genua reptatio, nec post breve tempus continui lusus, et totius diei discursus; quia

(1) Novitii sunt servi noviter vel recenter empti.

(2) Qui a prima inde pueritia didicerunt.

pondus illis abest, nec se ipsi gravant; sic animi quoque, credo, quia minore conatu moventur, nec suo nisu studiis insistunt, sed formandos se tantummodo præstant, non similiter fatigantur. Præterea, secundum aliam ætatis illius facilitatem, velut simplicius docentes sequuntur; nec quæ jam egerint, metiuntur. Abest illis etiam adhuc laboris iudicium. Porro, ut frequenter experti sumus, minus afficit sensus fatigatio, quam cogitatio.

Sed ne temporis quidem unquam plus erit; quia his ætatibus omnis in audiendo profectus est. Cum ad stylum secedet, cum generabit ipse aliquid atque componet, tum inchoare hæc studia, vel non vacabit, vel non libebit. Ergo, cum grammaticus totum diem occupare non possit, nec debeat, ne discentis animum tædio avertat, quibus potius studiis hæc temporum velut (1) subsidia donabimus? Nam nec ego consumi studentem in his artibus volo; nec (2) moduletur, ut musicis modis cantica excipiat; nec utique ad minutissima usque geometriæ opera descendat. Non comœdum in pronuntiando, nec saltatorem in gestu facio: quæ si omnia exigerem, supeditabat tamen tempus. Longa est enim quæ discit ætas, et ego non de tardis ingenii loquor. Denique, cur in his omnibus, quæ discenda oratori futuro puto, eminuit Plato? qui, non contentus disciplinis quas præstare poterant Athenæ, non Pythagoreorum, ad quos in Italiam navigaverat, Ægypti quoque sacerdotes adiit, atque eorum arcana perdidicit.

Difficultatis patrocinia præteximas segnitæ. Neque enim nobis operis amor est: nec, quia sit honesta atque pulcherrima rerum eloquentia, petitur ipsa, sed ad vilem usum et sordidum lucrum accingimur. Dieant sine his in foro multi, et acquirant, dum sit locupletior aliquis sordidæ mercis negotiator, et plus voci suæ debeat præco. Ne velim quidem lectorem dari mihi, quid studia referant, computaturum. Qui vero imaginem ipsam eloquentiæ divina (3) quadam mente conceperit, quique

(1) *Temporum subsidia*, sunt quedam tempora, quæ a labore vacua in futurum aliquem usum velut asservantur. Alii legunt *subseciva*, aut *succisiva*. Sic autem dicuntur tempora, quæ privatis vel publicis negotiis supersunt, atque ex iis subripiuntur, et quasi *subsecantur*, aut *succiduntur*. *Succisiva* quedam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior. Cic. 1. de leg.

(2) Nec ita peritus sit canendi, ut cantiones musicis modis ipse donet. R. Male Gesnerus legit, aut m. in. &c. Porro, *notis pro modis* est in Gothano. O.

(3) Legi fortasse possit, *divinam quandam*, ut referatur ad imaginem eloquentiæ. R. Nihil mutandum. O.

illam (ut ait non ignobilis (1) tragicus) reginam rerum orationem ponet ante oculos; fructumque, non ex (2) stipe advectionum, sed ex animo suo, et contemplatione ac scientia petet, perpetuum illum, nec fortunæ subiectum; facile persuadebit sibi, ut tempora, quæ spectaculis, campo, tesseris, otiosis denique sermonibus, ne dicam somno, et conviviorum mora conterunt, geometriæ potius ac musico impendat; quanto plus delectationis habiturus, quam ex illis ineruditis voluptatibus? Dedit enim hoc providentia hominibus munus, ut honesta magis juvarent. Sed nos hæc ipsa dulcedo longius duxit. Hactenus ergo de studiis, quibus ante quam majora capiat puer instituendus est: proximus liber velut novum sumet exordium, et ad rhetoris officia transibit.

(1) Eurip. in Hecuba vers. 816. Πειθὸν δὲ τὴν τίμωτον ἀνθρώποις μόνην.
R. Insulse hic Gesnerus, *non ignobilis*, ait, elogium est simile illi, quo Polybium *mactavit* Livius, *non spernendus auctor*, &c. Particulam negativam, *non*, frequentissime significare *nequaquam*, *ne minime quidem*, &c. nemo vel mediocriter Latini sermonis elegantis versatus non illico videt.
O.

(2) Ex mercede causarum quam recipiebant advocati a clientibus. *R.*
Stipis vocabulum ad contentum pertinet. *C.*

M. FABII QUINTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER II.

I. **T**ENUIT consuetudo, quæ quotidie magis invalescit, ut præceptoribus eloquentiæ, Latinis quidem semper, sed etiam Græcis interim, discipuli serius quam ratio postulat traderentur. Ejus rei duplex est causa; quod et *rhetores* utique nostri suas partes omiserunt, et *grammatici* alienas occupaverunt. Nam et *illi* declamare modo, et scientiam declamandi ac facultatem tradere, officii sui ducunt, idque intra deliberativas judicialesque materias; nam cætera ut professione sua minora despiciunt; et *hi* non satis credunt exceperisse quæ relicta erant (quo nomine gratia quoque iis est habenda) sed ad Prosopopœias usque, et ad suasorias, in quibus onus dicendi vel maximum est, irrumpunt. Hinc ergo accidit, ut quæ alterius artis prima erant opera, facta sint alterius novissima; et ætas, altioribus jam disciplinis debita, in schola minore subsideat, ac rhetoricen apud grammaticos exerceat. Ita, quod est maxime ridiculum, non ante ad declamandi magistrum mittendus videtur puer, quam declamare jam sciat.

Nos suum cuique professioni modum demus: et *grammaticæ* (quam in Latinum transferentes *literaturam* vocaverunt) fines suos norit, præsertim tantum ab hac appellationis suæ paupertate, intra quam primi illi consistere, protracta: (nam tenuis a fonte, assumtis poctarum historicorumque viribus, pleno jam satis alveo fluit; cum, præter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit) et *rhetoricæ*, cui nomen vis *eloquendi* dedit, officia sua non detrectet, nec occupari gaudeat perti-

rentem ad se laborem: quæ dum opere cedit, jam pene possessione depulsa est. Nec inficiabor ex iis aliquem, qui *grammaticen* profitentur, eo usque scientiæ progredi posse, ut ad hæc quoque tradenda sufficiat. Sed cum id æget, *rhetoris* officio fungetur, non suo.

Nos porro quærimus, quando iis, quæ *rhetorice* præcipit, percipiendis puer maturus esse videatur. In quo quidem non id est æstimandum, cuius quisque sit ætatis, sed quantum in studiis jam effecerit. Et, ne diutius disseram, quando sit rhetori tradendus? sic optime finiri credo; cum *poterit*. Sed hoc ipsum ex superiore pendet quæstione. Nam si *grammatices* munus usque ad *sua-sorias*, [quæ sunt apud rhetorem materiæ inter rudimenta dicendi] prorogatur, tardius rhetore opus est. Si *rhetor* prima operis sui officia non recusat, a *narrationibus* statim, et *laudandi vituperandique* opusculis cura ejus desideratur. An ignoramus antiquis hoc fuisse ad augendam eloquentiam genus exercitationis, ut *theses* dicerent, et *communes locos*, et cætera citra complexum rerum personarumque, quibus veræ fictæque controversiæ continentur? Ex quo palam est quam turpiter deserat eam partem rhetorices institutio, quam et primam habuit, et diu solam. Quid autem est ex iis, de quibus supra dixi, quod non cum in alia quæ sunt rhetorum propria, tum certe in illud judiciale causæ genus incidat? An non in foro narrantum est? qua (1) in parte nescio an (2) sit hoc vel plurimum. Non laus ac vituperatio certaminibus illis frequenter inseritur? Non communes loci (sive qui sunt in vitia directi, quales legimus a Cicerone compositos, sen quibus quæstiones generaliter tractantur, quales sunt editi a Quinto quoque Hortensio, ut, *Sitne parvis argumentis credendum?* et *pro testibus, et in testes*.) in mediis litium medullis versantur? Arma sunt hæc quodam modo præparanda semper, ut iis, cum res poscet, utaris. Quæ qui pertinere ad oratorem non putabit, is ne statuum quidem inchoari credat, cum ejus membra (3) fundentur. Neque hanc (ut aliqui putabunt) festinationem meam sic quisquam calumniatur, tanquam eum, qui sit *rhetori* traditus, abducendum protinus a *grammaticis* putem. Dabuntur illis tum quoque tempora sua: neque erit verendum, ne binis præceptoribus oneretur puer: non enim

(1) Intelligit genus *judiciale*, in quo præcipua pars *narratio*; aut in narratione præcipue consistere rhetoricum artificium.

(2) Subauditur *non*. *Nescio an non sit*: quod apud Latinos valde usitatum et elegans. R. V. Cic. præcipue. O.

(3) De statua metallica loquitur: quod opus fusorium est, non sculptile.

crescet, sed dividetur, qui sub uno miscbatur labor; et erit sui quisque operis magister utilior: quod adhuc obtinent Græci, a Latinis omisum est: et fieri videtur excusate, quia sunt qui labori isti successerunt.

II. ERGO cum ad eas in studiis vires pervenerit puer, ut quæ prima esse præcepta rhetorum diximus mente consequi possit, tradendus ejus artis magistris erit. Quorum in primis inspicere mores oportebit. Quod ego non idcirco potissimum in hac parte tractare sum aggressus, quia non in cæteris quoque doctoribus idem hoc examinandum quam diligentissime putem, sicut testatus sum libro priore, sed quod magis necessariam ejus rei mentionem facit ætas ipsa discentium. Nam et adulti fere pueri ad hos præceptores transferuntur, et apud eos juvenes etiam facti perseverant: ideoque major adhibenda cura est; ut et teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat, et ferociore a licentia gravitas deterreat. Neque vero satis est summam præstare abstinentiam, nisi disciplinæ severitate convenientium quoque ad se mores astrinxerit.

Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi traduntur, existimet. Ipse nec habeat vitia, nec ferat. Non austeritas ejus tristis, non dissoluta sit comitas: ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honesto ac bono sit sermo: nam quo sapius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime iracundus; nec tamen eorum, quæ emendanda erunt, dissimulator: simplex in docendo, patiens laboris, assiduus potius quam immodicus. Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur ultro. In laudandis discipulorum dictionibus nec (1) malignus, nec effusus: quia res altera tædium laboris, altera securitatem parit. In emendando, quæ corrigenda erunt, non acerbis, minimeque contumeliosus: nam id quidem multos a proposito studendi fugat, quod quidem sic objurgant, quasi oderint. Ipse aliquid, imo multa quotidie dicat, quæ secum audita referant. Licet enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen *viva* illa, ut dicitur, *vox* alit plenius, præcipueque præceptoris; quem discipuli, si modo recte sunt instituti, et amant et verentur. Vix autem dici potest, quanto libentius imitemur eos, quibus favemus.

Minime vero permittenda pueris, ut fit apud plerosque,

(1) Nimis parcus. *Maligno* opponitur *benignus*, id est, liberalis.

assurgendi exultandique in laudando licentia. Quin etiam juvenum modicum esse, cum audient, testimonium debet. Ita fiet, ut ex judicio præceptoris discipulus pendeat, atque id se dixisse recte, quod ab eo probabitur, credat. Illa vero vitiosissima, quæ jam *humanitas* vocatur, invicem qualiacunque laudandi, cum est indecora et theatralis, et severe institutis scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis. Supervacua enim (1) videtur cura, ac labor, parata, quidquid effuderint, laude. Vultum igitur præceptoris intueri tam qui audiunt debent, quam ipse qui dicit: ita enim probanda atque improbanda discernent: (2) sic stylo facultas continget; auditione judicium. At nunc prout atque succincti ad omnem clausulam non assurgunt modo, verum etiam excurrunt, et cum indecora exultatione conclamant. Id (3) mutuum est, et ibi declamationis fortuna. Hinc tumor, et vana de se persuasio, usque adeo, ut illo condiscipulorum tumultu inflati, si parum a præceptore laudentur, ipsi de illo male sentiant. Sed se quoque (4) præceptores intente ac modeste audiri velint. Non enim judicio discipulorum dicere debet magister, sed discipuli magistri. Quin, si fieri potest, intendendus animus in hoc quoque, ut perspiciat quæ quisque, et quo modo laudet; et placere quæ bene dicet, non suo magis quam eorum nomine delectetur, qui recte judicabunt.

Pueros adolescentibus sedere permistos, non placet mihi. Nam etiam si vir talis, qualem esse oportet studii moribusque præpositum, modestam habere potest etiam juventutem, tamen vel infirmitas a robustioribus separanda est; et carendum non solum crimine turpitudinis, verum etiam suspicione. Hæc notanda breviter existimavi: nam, ut absit ab ultimis vitiis ipse præceptor ac schola, ne præcipiendum quidem credo. Ac, si quis est, qui flagitia manifesta in deligendo filii præceptore non evitet, jam hinc sciat, cætera quoque, quæ ad utilitatem juventutis componere coramur, esse sibi, hac parte ommissa, supervacua.

(1) Hanc lectionem ex Gothano codice, omnium optimo, restituimus. Fuit, omnes, quot novimus, male legunt *videntur*; quod hic latine dici posse, salva saltem elegantia, contra totam grammaticorum turbam strenue negamus. O.

(2) Sic, scribendo, facilitatem comparabunt: audiendo quid præceptor de discipulorum scriptionibus sentiat, judicandi vim.

(3) Has laudes sibi invicem ac mutuo reddunt: et in his laudibus consistit omnis declamationum fortuna ac successus.

(4) Solebant adolescentes in schola laudare effusius non solum condiscipulos, sed ipsos etiam præceptores. Hoc quoque improbat Fabius.

III. NE illorum quidem persuasio silentio transeunda est, qui etiam cum idoneos rhetori pueros putaverunt, non tamen continuo tradendos eminentissimo credunt, sed apud minores aliquandiu detinent: tanquam instituendis artibus magis sit apta mediocritas præceptoris, cum ad intellectum atque imitationem facilior, tum ad suscipiendas elementorum molestias minus superba.

Qua in re mihi non arbitror diu laborandum, ut ostendam, quanto sit melius optimis imbui, quantaque in eluendis quæ semel insederint vitiis difficultas consequatur, cum geminatum onus succedentes premat, et quidem dedocendi gravius ac prius, quam docendi. Propter quod Timotheum, clarum in arte tiliarum, ferant duplices ab iis, quos alius instituisset, solitum exigere mercedes, quam si rudes traderentur.

Error tamen est in re duplex: unus, quod interim sufficere illos minores existimant: et bono sane (1) stomacho contenti sunt. Quæ quanquam et ipsa reprehensione digna securitas, tamen esset utcumque tolerabilis, si ejusmodi præceptores minus docerent, non pejus. Alter, ille etiam frequentior, quod eos qui ampliorem dicendi facultatem sunt consecuti, non putant ad minora descendere: idque interim fieri, quia fastidiant præstare hanc inferioribus curam; interim, quia omnino non possint. Ego porro eum qui nolit, in numero præcipientium non habeo: posse autem maxime, si velit, optimum quemque contendo. Primum, quod eum qui eloquentia cæteris præstet, illa quoque per quæ ad eloquentiam pervenitur, diligentissime percepisse credibile est. Deinde, quia plurimum in præcipiendo valet (2) ratio, quæ doctissimo cuique planissima est. Postremo, quia nemo sic in majoribus eminent, ut eum minora deficiant. Nisi forte Jovem quidem Phidias optime fecit, illa autem quæ in ornamentum operis ejus accedunt, alius melius elaborasset; aut orator loqui nesciet; aut leviores morbos curare non poterit medicus præstantissimus.

Quid ergo? non est quædam eloquentia major, quam ut eam intellectu consequi puerilis infirmitas possit? Ego vero confiteor: sed hunc disertum præceptorem, prudentem quoque, et non ignarum docendi esse oportebit, submittentem se ad mensuram discantis: ut velocissimus

(1) Metaphora est a cibus ducta. Nam quemadmodum qui optimo sunt stomacho, delectum ciborum non habent; contra, qui malum, *customacha* quærunt et concoctu facilia: ita quoque parentes filiorum ingenio freti, delectum præceptorum non habent. *Turn.* Forte hic aliquid mendi subest.

(2) Methodus, certus ordo ac modus docendi.

quisque, si forte iter cum parvulo faciat, det manum, et gradum suum minuat, nec procedat ultra quam comes possit. Quid, si plerumque accedit, ut faciliora sint ad intelligendum, et lucidiora multo, quæ a doctissimo quoque dicuntur? Nam et prima est eloquentiæ virtus, perspicuitas; et quo quisque ingenio minus valet, hoc se magis attollere et dilatare conatur: ut statura breves in digitos crignantur, et plura infirmi minantur. (1) Nam tumidos, et corruptos, et tinnulos, et quocumque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo non virium, sed infirmitatis vitio laborare: ut corpora non robore, sed valetudine inflantur: et recto itinere (2) lapsi plerumque divertunt. Erit ergo obscurior etiam quo quisque deterior.

Non excidit mihi, scripsisse me in libro priore, cum potioem in *scholis* eruditionem esse quam *domi* dicerem, libentius se prima studia tenerosque profectus ad imitationem condiscipulorum, quæ faciliior esset, erigere. Quod a quibusdam sic accipi potest, tanquam hæc, quam nunc tueor, sententia priori diversa sit. Id a me procul aberit. Namque ea causa vel maxima est, cur optimo cuique præceptor sit tradendus puer, quod apud eum discipuli quoque, melius instituti, aut dicent quod inutile non sit imitari, aut, si quid erraverint, statim corrigentur. At indoctus ille et probabit fortasse vitiosa, et placere audientibus iudicio suo coget. Sit ergo tam eloquentia quam moribus præstantissimus, qui ad Phœnicis Homericæ exemplum dicere ac facere doceat.

IV. HINC jam quas primas in docendo partes rhetorum putem, tradere incipiam: dilata parumper illa, quæ sola vulgo vocatur, *arte rhetorica*. Ac mihi oppor-

(1) Carpit eos, qui dum virtutem aliquam nimis affectant, in vitium ei virtuti vicinum incidunt: quod dicitur *cacozelia*, id est vitiosa affectatio; *Tumidos*, qui sublimitatem; *corruptos*, qui sententiarum acumen et elegantiam; *tinnulos*, qui compositionis numerum et concinnitatem nimis ambitiose sectantur.

(2) Obscurior hic locus, nec forte mendo caret. Deberet in hoc secundo exemplo occurrere vitium aliquod sub imagine virtutis latens, ut et in primo. Nam quando corpora inflantur, videri possit id signum esse virium, sed ab infirmitate et vitio nascitur. Ita qui divertunt a recto itinere, videri possunt diverticula quærere amœnitatis aut compendii causa: at id plerumque faciunt, quia *lapsi* sunt, id est, quia a recto itinere aberrarunt; vel præ lassitudine: quidam enim legunt *lassi*. *R.* Nec obscurus valde locus, nec medela criticorum manu sanandus videtur. Utrum *lapsi* an *lassi* legatur, eodem fere res redit. Censuram nescio quam in *concionatores* sui temporis, dura latinitate donatam, hic suggerit Gesnerus: Novi ego concionatorem haud unum, quorum, &c. forte tamen scripserat ille, *concionatorum*, &c. O.

lunus maxime videtur ingressus ab eo, ejus aliquid simile apud *grammaticos* puer didicerit. Et quia *narrationum*, excepta qua in causis utimur, tres accepimus species; *fabulam*, quæ versatur in tragædiis atque carminibus, non a veritate modo, sed etiam a forma veritatis remotam; *argumentum*, quod falsum, sed vero simile comœdiæ fingunt; *historiam*, in qua est gestæ rei expositio; *grammaticis* autem *poeticas* dedimus; apud rhetorem initium sit *historia*, tanto robustior, quanto verior.

Sed *narrandi* quidem quæ nobis optima ratio videatur, tum demonstrabimus, cum de *judiciali* parte dicemus. Interim admonere illud satis est, ut sit ea neque arida prorsus atque jejuna; (nam quid opus erat tantum studiis laborem impendere, si res nudas atque inornatas indicare satis videretur?) nec rursus sinuosa, et accersitis descriptionibus, in quas plerique imitatione poeticæ licentiæ ducuntur, lasciva. Vitium utrumque: pejus tamen illud quod ex inopia, quam quod ex copia venit. Nam in pueris oratio perfecta nec exigi nec sperari potest: melior autem est indoctes læta, generosique conatus, et vel plura justo concipiens interim spiritus. Nec unquam me in his discentis annis offendat, si quid superfuerit. Quin ipsis doctoribus hoc esse curæ velim, ut teneras adhuc mentes more nutricum mollius alant, et satiari veluti quodam jucundioris disciplinæ lacte patiantur. Erit illud plenius interim corpus, quod mox adulta ætas adstringat. Hinc spes roboris. Maciem namque et infirmitatem in posterum minari solet protinus omnibus membris expressus infans. Audeat hæc ætas plura, et inveniat, et inventis gaudeat, sint licet illa non satis interim sicca et severa. Facile remedium est ubertatis: sterilia nullo labore vincuntur. Illa mihi in pueris natura minimum spei dabit, in qua ingenium judicio præsumitur. Materiam esse primum volo vel abundantiorē, atque ultra quam oporteat fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid velut usu ipso deturatur; sit modo unde excidi possit, et quod exculpi: erit autem, si non ab initio tenuem nimium laminam duxerimus, et quam cœlatura altior rumpat. Quod me de his ætatibus sentire nemo mirabitur, qui apud Ciceronem legerit: *Volo enim se efferat in adolescente sæcunditas*. Quapropter in primis evitandus, et in pueris præcipue, magister aridus, non minus quam teneris adhuc plantis siccum et sine humore ullo solum. Inde fiunt humiles statim, et velut terram spectantes, qui

nihil supra quotidianum sermonem attollere audeant. Macies illis pro sanitate, et iudicii loco infirmitas est: et dum satis putant vitio carere, in id ipsum incidunt vitium, quod virtutibus carent. Quare mihi ne maturitas quidem ipsa festinet, nec musta in lacu statim austera sint: sic et annos ferent, et vetustate proficient.

Ne illud quidem quod admoncamus indignum est, ingenia puerorum nimia interim emendationis severitate deficere. Nam et desperant, et dolent, et novissime oderunt; et, quod maxime nocet, dum omnia timent, nihil conantur. Quod etiam rusticis notum est, qui frondibus teneris non putant adhibendam esse falcem, quia reformidare ferrum videntur, et cicatricem nondum pati posse. Jucundus ergo tum maxime debet esse præceptor, ut quæ alioqui natura sunt aspera, molli manu leniantur: laudare aliqua; ferre quædam; mutare etiam, reddita cur id fiat ratione; illuminare, interponendo aliquid sui. Nonnunquam hoc quoque erit utile, totas ipsum dictare materias, quas et imitetur puer, et interim tanquam suas amet. At si tam negligens ei stylus fuerit, ut emendationem non recipiat, expertus sum prodesse, quoties eandem materiam, rursus a me (1) retractatam, scribere de integro juberem; *posse enim eum adhuc melius*; quatenus nullo magis studia quam spe gaudet. Aliter autem alia ætas emendanda est, et pro modo virium exigendum et corrigendum opus. Solebam ego dicere pueris, aliquid ausis licentius aut lætius, laudare illud me adhuc; venturum tempus, quo idem non permetterem. Ita et ingenio gaudebant, et iudicio non fallebantur.

Sed ut eo revertar, unde sum egressus, *narrationes* stylo componi, quanta (2) maxime possit adhibita diligentia, volo. Nam ut primo, cum sermo instituitur, dicere quæ audierint, utile est pueris ad loquendi facultatem; ideoque et retro agere expositionem, et a media in utramque partem discurrere, sane merito cogantur; sed ad præceptoris gremium, et dum aliud non possunt, et dum res ac verba connectere incipiunt, ut protinus memoriam firment; ita cum jam formam rectæ atque emendatæ orationis accipient, extemporalis garrulitas, nec expectata cogitatio, et vix surgendi mora, circulatoriæ vere jactationis est. Hinc parentum imperitorum inane gaudium, ipsis vero contentus operis, et invere-

(1) Fusius explicatam. Addebam, *posse eum adhuc melius* scribere.

(2) Alii leg. *maxima*, parum eleganter, si quid sapiamus. O.

cunda frons, et consuetudo pessime dicendi, et (1) malorum exercitatio, et, quæ magnos quoque profectus frequenter perdidit, arrogans de se persuasio innascitur. Erit suum parandæ facultati tempus, neque a nobis negligenter locus iste transibitur. Interim satis est, si puer omni cura, et summo (quantum ætas illa capit) labore aliquid probabile scripserit: in hoc assuescat, hujus rei naturam sibi faciat. Ille demum in id quod quærimus, aut ei proximum, poterit evadere, qui ante discet recte dicere, quam cito.

Narrationibus non inutiliter subjungitur opus destruendi confirmandique eas, quod ἀνασκευή et κατασκευή vocatur. Id porro non tantum in fabulosis et carmine traditis fieri potest, verum etiam in ipsis annalium monumentis: ut, si quærat, *An sit credibile super caput Valerii pugnantis sedisse corvum, qui os oculosque hostis Galli rostro atque alis everberaret?* sit in utramque partem ingens ad dicendum materia: et, *de serpente quo Scipio traditur genitus, et lupa Romuli, et Ægeria Numa*: nam Græcis historiis plerumque poetice similis est licentia. Sæpe etiam quæri solet de tempore, de loco, quo gesta res dicitur. Nonnunquam de persona quoque, sicut Livius frequentissime dubitat, et alii ab aliis historici dissentiant.

Inde paulatim ad majora tendere incipiet, laudare claros viros, et vituperare improbos: quod non simplicis utilitatis opus est. Namque et ingenium exercetur multiplici variaque materia, et animus contemplatione recti pravique formatur, et multa inde cognitio rerum venit: exemplisque, quæ sunt in omni genere causarum potentissima, jam tum instruitur, cum res pascet, usurus. Hinc illa quoque exercitatio subit *comparationis, uter melior, uterque deterior?* quæ quanquam versatur in ratione simili, tamen et duplicat materiam, et virtutum vitiorumque non tantum naturam, sed etiam modum tractat. Verum de ordine laudis, contraque, quoniam tertia hæc rhetorices pars est, præcipiemus suo tempore.

Et *communes loci* (de iis loquor, quibus citra personas in ipsa vitia moris est perorare, ut in adulterum, aleatorem, petulantem) ex mediis sunt iudiciis; et, si reum adjicias, *accusationes*: quanquam hi quoque ab illo generali tractatu ad quasdam deduci species solent, ut si ponatur adulter *cæcus*, aleator *pauper*, *petulans* senex,

(1) Exercitatio in rebus malis. V. Lib. 10. cap. 7.

Habent autem nonnunquam etiam defensionem. Nam et pro luxuria, et pro amore dicimus; et leno interita parasitusque defenditur: sic ut non homini patrocinemur, sed crimini.

Theses autem, quæ sumuntur ex rerum comparatione, ut, *Rusticane vita an urbana potior? Jurisperiti an militaris viri laus major?* mire sunt ad exercitationem dicendi speciosæ atque uberes; quæ vel ad *suadendi* officium, vel etiam ad *judicium disceptationemque*, juvant plurimum. Nam posterior ex prædictis locus, in causa Murenæ copiosissime a Cicerone tractatur. Sunt et illæ pene totæ ad *deliberativum* pertinentes genus, *Ducendane uxor? Petendine magistratus?* Namque hæ, personis modo adjectis, *suasoriæ* erunt.

Solebant præceptores mei, neque inutili, et nobis etiam jucundo genere exercitationis, preparare nos conjecturalibus causis, cum quærere atque exequi juberent, *cur armata apud Lacedæmonios Venus?* et, *quid crederetur Cupido puer, ac volucer, et sagittis ac face armatus?* et similia: in quibus scrutabamur voluntatem, cujus in controversiis frequens quæstio est; quod genus *chiæ* videri potest.

Nam *locos* quidem, quales sunt de *testibus*, *Semperne his credendum?* et de *argumentis*, *An habenda etiam parvis fides?* adeo manifestum est ad forenses actiones pertinere, ut quidam, nec ignobiles in officiis civilibus, scriptos eos, memoriæque diligentissime mandatos, in promptu habuerint; ut, quoties esset occasio, extemporales eorum dictiones his velut (1) emblematis exornarentur. Quo quidem (nec enim ejus rei judicium differre sustineo) summam videbantur mihi infirmitatem de se confiteri. Nam quid hi possint in causis, quarum varia ac nova semper est facies, proprium invenire, quomodo propositis ex parte diversa respondere, altercationibus velociter occurrere, testem rogare, qui etiam in iis quæ sunt communia, et in plurimis causis tractantur, vulgatissimos sensus verbis, nisi tanto ante præparatis, prosequi nequeant? Necesse (2) est his, cum eadem judiciis pluribus dicunt, aut fastidium moveant velut frigidi et re-

(1) *Emblema*, insertum quid et applicitum alteri significat. Ita apud Ciceronem *emblemata* dicuntur ornamenta quædam vasis aureis et argenteis inserta, quæ, cum libitum erat, eximi poterant.

(2) *Necesse est his*, oratoribus scilicet, cum dicunt eadem in pluribus judiciis, ut eadem illa sæpius repetita, aut velut frigidi et repositi cibi moveant fastidium audientibus, aut velut infelix suppellex deprehensa toties per memoriam audientium, moveant pudorem ipsis oratoribus.

positi cibi, aut pudorem deprehensa toties audientium memoria infelix supellex; quæ, sicut apud pauperes ambitiosos, pluribus et diversis officiis conteratur: cum co (1) quidem, quod vix ullus est tam *communis* locus, qui possit cohærere cum causa, nisi aliquo propriæ quæstionis vinculo copulatus; appareatque eum non tam insertum quam applicitum, vel quod dissimilis est cæteris, vel quod plerumque assumi etiam parum apte solet, non quia desideratur, sed quia paratus est: ut quidam sententiarum gratia verbosissimos locos arcessunt, cum ex locis debeat nasci sententia. Ita sunt autem speciosa hæc et utilia, si oriuntur ex causa. Cæterum quamlibet pulchra locutio, nisi ad victoriam tendit, utique supervacua, sed interim etiam contraria est. Verum hactenus evagari satis fuerit.

Legum laus et vituperatio jam majores ac prope summis operibus suffecturas vires desiderant. . .

His fere veteres facultatem dicendi exercuerunt, assumpta tamen a *dialecticis* argumentandi ratione. Nam fictas ad imitationem fori consiliorumque materias apud Græcos dicere, circa Demetrium Phalerea institutum fere constat. An ab ipso id genus exercitationis sit inventum (ut alio quoque libro sumi confessus) parum comperi, sed ne ii quidem, qui hoc fortissime affirmant, ullo satis idoneo auctore nituntur. Latinos vero dicendi præceptores extremis L. Crassi temporibus cœpisse, Cicero auctor est: quorum insignis maxime Plotius fuit.

V. SED de ratione *declamandi* post paulo: interim, quia prima rhetorices rudimenta tractamus, non omnittendum videtur id quoque, ut moneam, quantum sit collaturus ad profectum discentium rhetor, si, quemadmodum a grammaticis exigitur *poetarum enarratio*, ita ipse quoque *historiæ*, atque etiam magis *orationum* lectione susceptos a se discipulos instruxerit: quod nos in paucis, quorum id ætas exigebat, et parentes utile esse crediderant, servavimus. Cæterum sentientibus jam tum optima, duæ res impedimento fuerunt; quod et longa consuetudo aliter docendi fecerat legem, et robusti fere juvenes, nec hunc laborem desiderantes, exemplum (2) nostrum sequebantur. Nec tamen, si quid novi vel sero invenissem, præcipere in posterum puderet. Nunc vero scio id fieri apud Græcos, sed magis per adjutores; quia non viden-

(1) Præterquam quod.

(2) Non legebant in schola historicos, et oratores unde exempla scribendi peterent; sed proposita a nobis exempla sequebantur. Paulo inferius: *An vero declamabit quidem præceptor, ut sit exemplo suis auditoribus; non plus contulerint lecti Cicero ac Demosthenes?*

tur tempora suffectura, si legentibus singulis præire semper ipsi velint.

Et hercle prælectio, quæ in hoc adhibetur, ut facile atque distincte pueri scripta oculis sequantur, etiam illa, quæ vim cujusque verbi, si quod minus usitatum incidat, docet, multum infra rhetoris officium existimanda est. At demonstrare virtutes, vel, si quando ita incidat, vitia, id professionis ejus atque promissi, quo se magistrum eloquentiæ pollicetur, maxime proprium est: eo quidem validius, quod non utique hunc laborem docentium postulo, ut ad gremium (1) revocatis, cujus quisque eorum velit, libri lectioni deserviant. Nam mihi cum facilius, tum etiam multo magis videtur utile, facto silentio, unum aliquem (quod ipsum imperari per vices optimum est) constituere lectorem, ut protinus pronuntiationi quoque assuescant: tum exposita causa, in quam scripta legetur oratio, (nam sic clarius quæ dicentur intelligi poterunt) nihil otiosum pati; quodque in *inventione*, quodque in *elocutione* annotandum erit; quæ in *proæmio* conciliandi judicis ratio; quæ *narrandi* lux, brevitatis, fides; quod aliquando consilium, et quam occulta calliditas: namque ea sola in hoc ars est, quæ intelligi nisi ab artifice non possit: quanta deinceps in *dividendo* prudentia; quam subtilis et crebra *argumentatio*; quibus viribus inspiret; qua jucunditate permulceat; quanta in maledictis asperitas, in jocis urbanitas; ut denique dominetur in *affectibus*, atque in pectora irrumpat, animumque judicum similem iis quæ dicit efficiat: tum in ratione *eloquendi*, quod verbum *proprium*, *ornatum*, *sublime*; ubi *amplificatio* laudanda; quæ virtus ei contraria; quid speciose *translatum*; quæ *figura* verborum; quæ lenis et quadrata, virilis tamen *compositio*.

Ne id quidem inutile, etiam corruptas aliquando et vitiosas orationes, quas tamen plerique judiciorum pravitatem mirantur, legi palam pueris, ostendique in his quam multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciva, effeminata sint: quæ non laudantur modo a plerisque, sed (quod pejus est) propter hoc ipsum, quod sunt prava, laudantur. Nam sermo rectus, et secundum naturam enuntiatus, nihil habere ex ingenio videtur; illa vero, quæ utcumque deflexa sunt, tanquam exquisitiora miramur: non aliter quam distortis et quocumque modo

(1) Non id exigo a docentibus, ut, tanquam si pueros instituant qui adhuc velut in gremio præceptoris versentur, quem quisque eorum velit librum explicent: quod fortasse tunc in usu erat privatim pueros docentibus.

prodigiosis corporibus apud quosdam majus est pretium, quam iis quæ nihil ex communis habitus bonis perdiderant: atque etiam qui specie capiuntur, vulsis lævatisque, et inustas comas acu comentibus, et non suo colore nitidis, plus esse formæ putant, quam possit tribuere incorrupta natura: ut pulchritudo corporis venire videatur ex malis moribus.

Nec solum hæc ipse debet docere præceptor, sed frequenter interrogare, et iudicium discipulorum experiri. Sic audientibus securitas aberit, nec quæ dicentur superfluent aures, simulque ad id perducentur, quod ex hoc quæritur ut invenient ipsi, et intelligant. Nam quid aliud agimus docendo eos, quam ne semper docendi sint?

Hoc diligentia genus ausim dicere plus collaturum discipulis, quam omnes omnium *Artes*: quæ juvant sine dubio multum; sed latiore quadam comprehensione per omnes quidem species rerum, quotidie pene nascentium, ire qui possunt? Sicut, de re militari quanquam sunt tradita quædam præcepta communia, magis tamen proderit scire, qua ducum quisque ratione, in quali loco, tempore, sit usus sapienter, aut contra. Nam in omnibus fere minus valent præcepta, quam experimenta. At vero declamabit quidem præceptor, ut sit exemplo suis auditoribus: non plus contulerint lecti Cicero ac Demosthenes? Corrigetur palam, si quid in declamando discipulus erraverit: non potentius erit emendare orationem? quin imo etiam jucundius: *aliena enim quisque vitia reprehendi mavult quam sua*: nec decrant plura quæ dicerem; sed neminem hæc utilitas fugit: atque (1) utinam tam non pigeat facere istud, quam hoc non displicebit!

VI. QUOD si potuerit obtineri, non ita difficilis supererit quæstio, qui legendi sint incipientibus. Nam quidam illos minores, quia facilius eorum intellectus videbatur, probaverunt; alii floridius genus, ut ad alenda primarum ætatum ingenia magis accommodatum. Ego optimos quidem, et statim, et semper, sed tamen eorum candidissimum quemque, et maxime expositum velim; ut Livium a pneris magis quam Sallustium: et (2) hic historia major est auctor; ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit. Cicero, ut mihi quidem videtur, et

(1) Utinam t. n. p. (*præceptores*) s. istud (*emendare corruptas et vitiosas orationes*) quam hoc (*aliena vitia reprehendi*) non displicebit. O.

(2) *Sallustius*; de quo *Martialis* (*Epigram. XIV. 191.*) *Crispus Romana primus in historia.* O.

jucundus incipientibus quoque, et apertus est satis; nec prodesse tantum, sed etiam amari potest: tum (quemadmodum (1) Livius præcipit) ut quisque erit Ciceroni simillimus.

Duo autem genera maxime cavenda pueris puto; unum, ne quis eos, antiquitatis nimius admirator, in Græcehorum Catonisque et aliorum similium lectione durescere velit; fiet enim horridi atque jejuni; (nam neque vim eorum adhuc intellectu consequentur, et elocutione, quæ tum sine dubio erat optima, sed nostris temporibus aliena, contenti, quod est pessimum, similes sibi magnis viris videbuntur;) alterum, quod huic diversum est, ne, recentis hujus lasciviæ flosculis capti, voluptate quadam prava deliniantur, ut prædulce illud genus, et puerilibus ingeniis hoc gratius quo propius est, adamant.

Firmis autem judiciis, jamque extra periculum positis, suaserim et antiquos legere; ex quibus si assumatur solida ac virilis ingenii vis, deterso rudis seculi squalore, tum noster hic cultus clarius evitescet; et novos, quibus et ipsis multa virtus adest. Nec enim nos tarditatis natura damnavit; sed dicendi mutavimus genus, et ultra nobis, quam oportebat, indulgimus: ita non tam ingenio illi nos superaverunt, quam proposito. Multa ergo oportebit eligere; sed curandum erit, ne iis quibus permista sunt, inquinentur. Quosdam vero etiam, quos totos imitari oporteat, et fuisse nuper, et nunc esse (2) quidem, libenter non concesserim modo, verum etiam contenderim. Sed hi qui sint, non ejusque est pronuntiare. Tutius circa priores ter erratur: ideoque hanc novorum distuli lectionem, ne imitatio judicium antecederet.

VII. FUIT etiam in hoc diversum præcipientium propositum, quod eorum quidam materias, quas discipulis ad dicendum dabant, non contenti divisione dirigere, latius dicendo prosequerantur: nec solum probationibus implebant, sed etiam affectibus. Alii, cum primas modo lineas duxissent, post declamationes, quod omisisset quisque, tractabant; quosdam vero locos non minore cura, quam cum ad dicendum ipsi surgerent, excolebant.

Utile utrumque: et ideo neutrum ab altero separo: sed si facere tantum alterum necesse sit, plus proderit demonstrasse rectam protinus viam, quam revocare ab errore jam lapsos: primum, quia emendationem auribus modo accipiunt; divisionem vero ad cogitationem etiam et

(1) In epist. ad filium, cujus mentio fit l. 10. c. 1. quæ utinam extaret.

(2) Plinium, Tacitum, et alios suæ ætatis intelligit.

stylum perferunt: deinde, quod libentius præcipientem audiunt, quam reprehendentem. Si qui vero paulo sunt vivaciores, in his præsertim moribus, etiam irascuntur admonitioni, et taciti repugnant. Nec ideo tamen minus vitia aperte coarguenda sunt. Habenda enim ratio cæterorum, qui recta esse, quæ præceptor non emendaverit, credent. Utraque autem ratio miscenda est, et ita tractanda, ut res ipsæ postulabunt. Namque incipientibus danda erit velut præformata materia secundum cujusque vires: at eum satis composuisse se ad exemplum videbuntur, brevia quædam demonstranda vestigia; quæ persecuti jam suis viribus sine adminiculo progredi possint. Nonnunquam credi sibi ipsos oportebit; ne, mala consuetudine semper alienum laborem sequendi, nihil per se conari et quærere sciant. Quod si satis prudenter dicenda viderint, jam prope consummata fuerit præcipientis opera. Si quid erraverint adhuc, erunt ad ducem reducendi. Cui rei simile quiddam facientes aves cernimus; quæ teneris infirmisque fortibus cibos ore suo collatos partiuntur; at eum visi sunt adulti, paululum egredi nidis, et circumvolare sedem illam præcedentes ipsæ docent; tum expertas vires, libero cælo suæque ipsorum fiducia permittunt.

VIII. ILLUD ex consuetudine mutandum prorsus existimo in his, de quibus nunc discrimus, ætatibus, ne omnia quæ scripserint ediscant, et certa, ut moris est, die dicant. Quod quidem maxime patres exigunt, atque ita demum studere liberos suos, si quam frequentissime declamaverint, erudunt; cum profectus præcipue diligentia constet. Nam, ut scribere pueros, plurimumque esse in hoc opere, plane velim; sic ediscere electos ex orationibus vel historiis, aliove quo genere dignorum ea cura voluminum, locos, multo magis suadeam. Nam et exercebitur acrius memoria, aliena complectendo, quam sua; et qui erunt in difficiliore hujus generis labore versati, sine molestia, quæ ipsi composuerint, jam familiaris animo suo affigent; et assuescent optinis, semperque habebunt intra se, quod imitentur: etiam non sentientes, formam orationis illam, quam mente penitus acceperint, expriment. Abundabunt autem copia verborum optimorum, et compositione, ac figuris jam non quæsitis, sed sponte et ex reposito velut thesauro se offerentibus. Accedit his et jucunda in sermone bene a quoque dictorum relatio, et in causis utilis. Nam et plus auctoritatis afferunt ea, quæ non præsentis gratia litis sunt comparata; et laudem sæpe majorem, quam si nostra sint, conciliant.

Aliquando tamen permittendum, quæ ipsi scripserint,

dicere; ut laboris sui fructum etiam ex illâ, quæ maxime petitur, laude plurimum capiant. Verum id quoque tum fieri oportebit, cum aliquid commodius elimaverint; ut eo velut præmio studii sui donentur, ac, se meruisse ut dicerent, gaudeant.

IX. VIRTUS præceptoris haberi solet, nec immerito, diligenter in iis, quos erudiendos susceperit, notare discrimina ingeniorum, et quo quæque natura maxime ferat, scire. Nam est in hoc incredibilis quædam varietas, nec pauciores animorum pene quam corporum formæ. Quod intelligi etiam ex ipsis oratoribus potest, qui tantum inter se distant genere dicendi, ut nemo sit alteri similis; quamvis plurimi se ad eorum, quos probabant, imitationem composuerint. Utile deinde plerisque visum est, ita quemque instituire, ut propria naturæ bona doctrina foverent, et in id potissimum ingenia, quo tenderent, adjuvantur: ut, si quis palæstræ peritus, cum in aliquod plenum pueris gymnasium venerit, expertus eorum omni modo corpus animumque, discernat, cui quisque certamini sit præparandus; ita præceptorem eloquentiæ, cum sagaciter fuerit intuitus, cujus ingenium presso limatoque genere dicendi, cujus acri, gravi, dulci, aspero, nitido, urbano, maxime gaudeat, ita se commodaturum singulis, ut in eo, quo quisque eminet, provehatur: quod et adjuta cura natura magis evalescat; et qui in diversa ducatur, nec in iis, quibus minus aptus est, satis possit efficere, et ea, in quæ natus videtur, deserendo faciat infirmiora.

Quod mihi (libera enim vel contra receptas persuasiones rationem sequenti sententia est) in parte verum videtur. Nam proprietates ingeniorum dispicere prorsus necessarium est. In his quoque certum studiorum facere delectum nemo dissuaserit. Namque erit alius historiæ magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius utilis studio juris, et nonnulli rus fortassè mittendi. Sic discernet hæc dicendi magister, quo modo palæstricus ille cursorem faciet, aut pugilem, aut luctatorem, aliudve quid ex iis quæ sunt sacrorum (1) certaminum. Verum ei, qui foro destinabitur, non in unam partem aliquam, sed in omnia quæ sunt ejus operis, etiam si qua difficiliora discenti videbuntur, elaborandum est. Nam et omnino supervacua erat doctrina, si natura sufficeret.

An si quis ingenio corruptus ac tumidus (ut plerique sunt) incidit, in hoc eum ire patiemur? aridum atque

(1) Quatuor sunt sacra Græciæ certamina, Nemea, Olympia, Isthmia, Pythia: in quibus omne genus certaminis liebat. *Turn.*

jejunum non alemus, et quasi vestiemus? Nam si quædam detrahere necessarium est, cur non sit adjuccere concessum? Neque ego contra naturam pugno. Non enim deserendum id bonum, si quod ingenitum est, existimo, sed augendum, addendumque quod cessat. An vero clarissimus ille præceptor Isocrates, quem non magis libri bene dixisse, quam discipuli bene docuisse testantur, cum de Ephoro atque Theopompo sic iudicaret, ut *alteri franis, alteri calcaribus opus esse* diceret; aut in illo lentiore tarditatem, aut in hoc pene præcipiti concitationem adjuvandam docendo existimavit, cum alterum alterius natura miscendum arbitraretur?

Imbecillis tamen ingeniis sane sic obsequendum sit, ut tantura in id, quo vocat natura, ducantur. Ita enim, quod solum possunt, melius efficiunt. Si vero liberalior materia contigerit, et in qua merito ad spem oratoris sinus aggressi, nulla dicendi virtus omittenda est. Nam licet sit aliquam in partem pronior, ut necesse est, cæteris tamen non repugnabit, atque ea cura paria faciet iis in quibus eminebat: sicut ille (ne ab eodem exemplo recedamus) exercendi corpora peritus, non si docendum (1) pancratiasten susceperit, pugno ferire vel calce tantum, aut nexus modo, atque in his certos aliquos docebit, sed omnia quæ sunt ejus certaminis.

Erit qui ex his aliqua non possit: in id maxime quod poterit incumbet. Nam sunt hæc duo vitanda prorsus; unum, ne tentes quod effici non possit; alterum, ne ab eo quod quis optime facit, in aliud, cui minus est idoneus, transferas. At si fuerit, qui docebitur, ille, quem adolescentem senem vidimus, (2) Nicostratus, omnibus in eodocendi partibus similiter utetur; efficietque illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quorum utroque certamine iisdem diebus coronabatur) invictum. Et quanto id magis oratoris futuri magistro providendum erit? Non enim satis est dicere presse tantum, aut subtiliter, aut aspere: non magis quam (3) phonasco acutis tantum, aut mediis, aut gravibus sonis, aut horum etiam particulis

(1) *Pancratiastes* dicitur, qui omni nixu corporis et contensione adversarium calce pugnoque ferit, et nexibus illigat; quod genus exercitationis appellatur *pancratium*. *Turn*. Et est unum e quinque certaminibus, quibus constat *πένταθλον*, seu quinquertium; quæ sunt lucta, pugilatus, cursus, saltus, et pancratiatum. Sunt qui *pancratiastes* pro *pentathlis* intelligi volunt, id est, ii qui quinque illa antiqua Græciæ certamina obibant. Et hunc sensum præsens locus postulare videtur.

(2) Nicostratus, ut meminuit Pausanias, *pancratiastes* fuit fortissimus, qui eodem sacro certamine victoriam et luctæ et pugilatus est adeptus. *Turn*.

(3) *Phonascus*, vocis et pronuntiationis magister, a *φωνή* et *ἀσκειω*.

excellere. Nam sicut cithara, ita oratio perfecta non est, nisi ab imo ad summum omnibus intenta nervis consentiat.

X. PLURA de officiis docentium locutus, discipulos id unum interim moneo, ut præceptores suos non minus quam ipsa studia ament; et parentes esse, non quidem corporum, sed mentium credant. Multum hæc pietas confert studio. Nam ita et libenter audient, et dictis credent, et esse similes concupiscunt: in ipsos denique cœtus sodalium keti et alacres convenient: emendati non irascuntur; laudati gaudebunt: ut sint carissimi, studio merebuntur. Nam ut illorum officium est docere, sic horum præbere se dociles. Alioqui neutrum sine altero sufficiet. Et sicut hominis ortus ex utroque gignentium confertur; et frustra sparseris semina, nisi illa præmolitus foverit sulcus; ita eloquentia coalescere nequit, nisi sociata tradentis accipientisque concordia.

XI. IN his primis operibus, quæ non ipsa parva sunt, sed majorum quasi membra atque partes, bene instituto, ac satis exercitato, jam fere tempus appetet aggrediendi *suasorias judicialesque* materias; quarum antequam viam ingredior, pauca mihi de ipsa *declamandi* ratione dicenda sunt: quæ quidem, ut ex omnibus novissime inventa, ita multo est utilissima. Nam et cuncta illa, de quibus diximus, in se fere continet, et veritati proximam imaginem reddit. Ideoque ita est celebrata, ut plerisque videretur ad formandam eloquentiam vel sola sufficere. Neque enim virtus ulla perpetuæ duntaxat orationis reperiri potest, quæ non sit cum hac dicendi meditatione communis. Eo quidem res ista culpa docentium recidit, ut inter præcipuas quæ corrumpent eloquentiam causas, licentia atque incitia declamantium, fuerit. Sed eo, quod natura bonum est, bene uti licet. Sint ergo et ipsæ materiæ, quæ fingentur, quam simillimæ veritati; et declamatio, in quantum maxime potest, imitetur eas actiones, in quarum exercitationem reperta est. Nam *magos*, et *pestilentiam*, et *responsa*, et *sæviore tragicis novebras*, aliaque magis adhuc fabulosa, frustra inter *sponsiones* (1) et *interdicta* quæremus.

Quid ergo? Nunquam hæc supra fidem et poetica (ut vere dixerim) themata juvenibus pertractare permittemus,

(1) Forenses sunt formulæ. Ejusmodi autem fabulosæ materiæ in foro non tractantur. *R. Sponsionem* sive *sacramentum* interponunt litigantes. *Interdicit*, qui possessionem rei controversæ petit: *interdictum* dat prætor. In his igitur exerceri, qui ad forum aspirant, profecto melius est, quam in monstruosis illis materiis. G.

ut expatiantur, et gaudeant materia, et quasi in corpus eant? Erat optimum: sed certe sint grandia et tumida, non stulta etiam, et acrioribus oculis intuenti ridicula: ac, si jam cedendum est, impleat se declamator aliquando, dum sciat, ut quadrupedes, cum viridi pabulo distentæ sunt, sanguinis detractioe curantur, et sic ad cibos viribus conservandis idoneos redeunt, ita sibi quoque tenuandas adipēs, et quicquid humoris corrupti contraxerit, emittendum, si esse sanus ac robustus volet. Alioqui tumor ille inanis primo cujusque veri operis conatu deprehenditur.

Totum autem declamandi opus qui diversum omnino a forensibus causis existimant, ii profecto ne rationem quidem, qua ista exercitatio inventa sit, pervident. Nam si foro non præparat, aut scenicæ ostentationi, aut furiosæ vociferationi simillimum est. Quid enim attinet judicem præparare, qui nullus est? narrare, quod omnes sciant falsum? pro obationes adhibere causæ, de qua nemo sit pronuntiaturus? Et hæc quidem otiosa tantum: affici vero, et ira vel luctu permoveri, cujus est ludibrii, nisi quibusdam pugnæ simulacris ad verum discrimen aciemque justam consuescimus?

Nihil ergo inter forensis generis dicendi, atque hoc declamatorium intererit? Si *profectus* gratia dicimus, nihil: utinamque adjici ad consuetudinem posset, ut nominibus uteremur, et perplexæ magis, et longioris aliquando actûs controversiæ fingerentur, et verba in usu quotidiano posita minus timeremus, et jocos inserere moris esset: quæ nos, quamlibet per alia in scholis exercitati sumus, tirones in foro inveniunt: si vero in *ostentationem* comparetur declamatio, sane paululum aliquid inclinare ad voluptatem audientium debemus. Nam et iis actionibus, quæ in aliqua sine dubio veritate versantur, sed sunt ad popularem aptatæ delectationem, quales legimus *panegyricos*, totumque hoc *demonstrativum* genus, permittitur adhibere plus cultus; omnemque artem, quæ latere plerumque in *judiciis* debet, non confiteri modo, sed ostentare etiam, hominibus in hoc advocatis. Quare declamatio, quoniam est judiciorum consiliorumque imago, similis esse debet veritati; quoniam autem aliquid in se habet *εισιδικτιον*, non nihil sibi nitoris assumere. Quod faciunt actores comici: qui nec ita prorsus, ut nos vulgo loquimur, pronuntiant; quod esset sine arte; nec procul tamen a natura recedunt; quo vitio periret imitatio; sed morem communis hujus sermonis decore quodam scenico exornant. . . .

XII. JAM hinc ergo nobis inchoanda est ea pars artis,

Ex qua capere initium solent qui priora omiserunt: quam video quosdam in ipso statim limine obstaturos mihi, qui nihil egere hujusmodi præceptis eloquentiam putent; sed natura sua, et vulgari modo, et scholarum exercitatione contenti, rideant etiam diligentiam nostram; exemplo magni quoque nominis professorum, quorum aliquis, ut opinor, interrogatus, quid esset *σχῆμα* et *νόημα*, nescire se quidem, sed, si ad rem pertineret, esse in sua declamatione, respondit. Alius percontanti, *Theodoreus* (1) an *Apollodoreus* esset, *Ego*, inquit, *parmularius sum*. Nec sane potuit urbanus ex confessione inscitiae suae elabi. Porro hi, quia et beneficio ingenii præstantes sunt habiti, et multa etiam memoria digna exclamaverunt, plurimos habent similes negligentiae suae, paucissimos naturæ. Igitur impetu dicere se, et viribus uti gloriantur: nec enim opus esse probatione aut dispositione in rebus fictis; sed, cujus rei gratia plenum sit auditorium, sententiis grandibus, quarum optima quæque a periculo (2) petatur. Qui etiam, in cogitando nulla ratione adhibita, aut tectum intuentes, magnum aliquid, quod ultro se offerat, [pluribus sæpe diebus] expectant; aut murmure incerto velut classico instincti, concitatissimum corporis motum non enuntiandis sed quærendis verbis accommodant.

Nonnulli certa sibi initia, priusquam sensum invenerint, destinant, quibus aliquid disertis subjungendum sit; eaque diu secum ipsi clareque modulati, desperata connectendi facultate, deserunt, et ad alia deinceps, atque inde alia, non minus communia atque nota, devertunt.

Qui plurimum videntur habere rationis, non in *causas* tamen laborem suum, sed in *locos* intendunt: atque in his non corpori prospiciunt, sed abrupta quædam, ut forte ad manum venire, jaculantur. Unde fit, ut dissoluta et ex diversis congesta oratio coherere non possit, similisque commentariis puerorum sit, in quos ea, quæ aliis declamantibus laudata sunt, regerunt. Magnas tamen sententias, et *res bonas* (ita enim gloriari solent) elidunt: nam et barbari, et servi: et, si hoc sat est, nulla est ratio dicendi.

(1) Theodorus et Apollodorus eximii fuerunt Rhetorices professores (quorum fit mentio l. 3. c. 1.) ab hisque emanarunt sectatores *Theodorei* et *Apollodorei*. Jocatus est autem Rhetor, deflexo aliorum responso ad eludendum, ac se *parmularium* dixit. Ita enim appellatur gladiator, qui parmula pugnat: quem etiam appellant *Thracem*. Turn.

(2) Sententias eas putant optimas, quæ sint audaciores et ad temeritatem accedant. R. V. Longin. 15, 12. 22, 7. 32, 3. et Quinct. 2, 13. p. 57. O.

XIII. NE hoc quidem negaverim, sequi plerumque hanc opinionem, ut fortius dicere videantur indocti. Primum, vitio male judicantium; qui majorem habere vim credunt ea quæ non habent artem: ut effringere, quam aperire; rumpere, quam solvere; trahere, quam ducere, putant robustius. Nam et gladiator qui armorum inscius in rixam ruit, et luctator qui totius corporis nisu in id quod semel invasit incumbit, fortior ab his vocatur; cum interim et hic frequenter suis viribus ipse prosternitur, et illum vehementis impetus excipit adversarii mollis (1) articulus.

Sed sunt in hac parte, quæ imperitos etiam naturaliter fallant. Nam et divisio, cum plurimum valeat in causis, speciem virium minuit, et rudia politis majora, et sparsa compositis numerosiora creduntur.

Est præterea quædam virtutum vitiorumque vicinia; qua maledicus pro libero, temerarius pro forti, effusus pro copioso accipitur. Maledicit autem ineruditus apertius, et sæpius vel cum periculo suscepti (2) litigatoris, frequenter etiam suo. Affert et ista res opinionem, quia libentissime homines audiunt ea, quæ dicere ipsi noluisse.

Illud quoque alterum, quod est in elocutione ipsa, periculum minus vitat, (3) conaturque perditæ. Inde evenit nonnunquam, ut aliquid grande inveniat, qui semper quærit quod nimium est. Verum et raro evenit, et certa vitia non pensat.

Propter hoc quoque interdum videntur indocti copiam habere majorem, quod dicunt omnia: doctis est et electio et modus.

His accedit, quod a cura docendi quod intenderint recedunt. Itaque illud quæstionum et argumentorum (4) apud corrupta judicia frigus evitant; nihilque aliud, quam quo vel pravis voluptatibus aures assistentium permulceant, quærunt. Sententiæ quoque ipsæ, quas solas petunt, magis eminent, cum omnia circa illas sordida et abjecta sint: ut *lumina non inter umbras* (quemadmodum Cicero dicit) *sed plane in tenebris clariora sunt*. Itaque ingeniosi vocentur, ut libet, dum tamen constet contumeliose sic laudari disertum.

(1) Eleganter *mollem articulum* appellavit lenem corporis inflectionem, qua armorum periti adversariorum eludunt petitionem. *Turn.* *Mollem pro mobilem*, primo sensu dixit. Porro, *excipit*, eleganter pro *ἀντίκει.* *O.*

(2) Cujus causam suscepit. *R.* *Res* includitur in *persona*. *O.*

(3) Nihil non audet. Supra modum res verbis attollere conatur.

(4) Evitant quæstiones et argumenta, quæ apud corruptos Judices frigida videntur.

Nililominus confitendum est, etiam detrudere doctrinam aliquid; ut limam rudibus, et cotes hebetibus, et vino vetustatem; sed vitia detrahit; atque eo solo minus est, quod literæ perpolierunt, quo melius.

Verum hi pronuntiatione quoque famam dicendi fortius querunt. Nam et clamant ubique, et omnia *levata* (ut ipsi vocant) *manu* emugiant, multo discursu, anhelitu, jactatione, gestu, motu capitis furentes. Jam, collidere manus; terræ pedem incutere; femur, pectus, frontem cædere; miæ ad pullatum (1) circulum facit: cum ille eruditus, ut in oratione multa submittere, variare, disponere, ita etiam in pronuntiando suum cuique, eorum quæ dicet, colori accomodare actum sciat; et, si quid sit perpetua (2) observatione dignum, modestus et esse et videri malit.

At illi hanc *vim* appellant, quæ est potius *violentia*; cum interim non actores modo aliquos invenias, sed (quod est turpius) præceptores etiam, qui brevem dicendi exercitationem consecuti, ommissa ratione, ut tulit impetus, passim tumultuentur; eosque, qui plus honoris literis tribuerunt, et ineptos, et jejunos, et trepidos, et infirmos, ut quodque verbum contumeliosissimum occurrit, appellent.

Verum illis quidem gratulemur, sine labore, sine ratione, sine disciplina disertis: nos, quando et præcipiendi munus etiam pridem deprecati sumus, et in foro quoque dicendi; quia honestissimum finem putabamus, (3) desinere dum desideraremur; inquirendo scribendoque talia consolemur otium nostrum, quæ futura usui bonæ mentis juvenibus arbitramur, nobis certe sunt voluptati.

XIV. NEMO autem a me exigat id præceptorum genus, quod est a plerisque scriptoribus *Artium* traditum, ut quasi quasdam leges immutabili necessitate constrictas studiosis dicendi feram: utique *proæmium*, et id *quale*; proxima huic *narratio*; quæ lex deinde *narrandi*; *propositio* post hanc, vel, ut quibusdam placuit, *excursio*; tum *certus ordo questionum*, cæteraque; quæ, velut si aliter facere fas non sit, quidam tanquam jussi sequuntur. Erat enim rhetorice res prorsus facilis ac parva, si uno et

(1) Sic appellatur turba populi, et corona, pullatis vestibus utentis. Nam his vestibus plebs Romana utebatur, ut apparet ex Tranquillo in Augusto. *Turn.*

(2) Si quid sit quod perpetuo observari ab oratore et custodiri debeat, id esse modestiam malit.

(3) De Trachallo, qui ob productam longius usque ad extremum senectutis tempus forcensem operam risui erat, aiebant *nulle eum deficere quam definere*. Fab. l. 12. c. 11.

brevi præscripto contineretur. Sed mutantur pleraque causis, temporibus, occasione, necessitate. Atque ideo res in oratore præcipua *consilium* est; quia varie, et ad rerum momenta, convertitur.

Quid enim? si præcipias imperatori, quoties aciem instruet, ut dirigat frontem, cornua utrinque promoveat, equites pro cornibus locet? erit hæc quidem rectissima fortasse ratio, quoties licebit; sed mutabitur natura loci, si mons occurret, si flumen obstabit, si collibus, sylvis, asperitate aliqua prohibebitur. Mutabit hostium genus, mutabit præsentis conditio discriminis: nunc acie directa, nunc cuneis, nunc auxiliis, nunc legione pugnabitur: nonnunquam terga etiam dedisse simulata fuga proderit. Ita, *proæmium* necessarium an supervacuum; breve an longius; ad iudicem omni sermone directo, an aliquando averso per aliquam figuram, dicendum sit; constricta an latius fusa *narratio*; continua an divisa; recta an ordine permutato; causæ docebunt. Itemque de *questionum* ordine, cum in eadem controversia aliud alii parti prius queri frequenter expediat. Neque enim (1) rogationibus, plebisve scitis sancta sunt ista præcepta; sed hoc, quicquid est, utilitas excogitavit. Non negabo autem, sic utile esse plerumque; alioqui nec scriberem; verum, si eadem illa nobis aliud suadebit utilitas, hanc relictis magistrorum auctoritatibus sequemur.

Equidem id maxime præcipiam, *ac repetens iterumque iterumque monebo*; res duas in omni actu spectet orator; quid *deceat*, quid *expediat*. *Expedit* autem sæpe mutare ex illo constituto traditoque ordine aliqua, et interim *deceat*; ut in statuëis atque picturis videamus variari habitus, vultus, status. Nam recti quidem corporis vel minima gratia est. Nempe enim adversa sit facies, et demissa brachia, et juncti pedes, et a summis ad ima rigens opus! Flexus ille, et, ut sic dixerim, motus, dat (2) actum quædam efficitis. Ideo nec ad unum modum formatæ manus, et in vultu mille species. Cursum habent quædam et impetum; sedent alia, vel incumbant; nuda hæc, illa velata sunt; quædam mista ex utroque. Quid tam distortum et elaboratum, quam est ille *Discobolos* (3) Myronis? Si quis tamen ut parum rectum improbet opus,

(1) *Rogatio* est lex quæcunque: sic dicta, quia rogabantur suffragia. *Plebisçitium*, est plebis statutum. *Sancta*, id est, *sançtia*, sancita, decreta.

(2) Dat actionem et velut animam rebus arte fietis.

(3) Myro optimus statuarius. *Discobolos*, id est, discum jaciens. Qua in statua mire expressit nixum et conatum hominis discum jacere molientis. *Turn. V. Jun. de Pict. Vet. O.*

nonne ab intellectu artis abfuerit, in qua vel præcipue laudabilis est illa ipsa novitas, ac difficultas? Quam quidem gratiam et delectationem afferunt figuræ, quæque in sensibus, quæque in verbis sunt. Mutant enim aliquid a recto, atque hanc præ se virtutem ferunt, quod a consuetudine vulgari recesserunt.

Habet in pictura speciem tota facies: Apelles tamen imaginem Antigoni latere tantum altero ostendit, ut amissi oculi deformitas lateret. Quid? non in oratione operienda sunt quadam, sive ostendi non debent, sive exprimi pro dignitate non possunt? ut fecit Timanthes, ut opinor, Cithnius in ea tabula qua Colotem Teium vicit. Nam cum in Iphigeniæ immolatione pinxisset tristem Calchantem, tristiore Ulyssem, addidisset Menelao quem summum poterat ars efficere mœrorem; consumptis affectibus, non reperiens quo digne modo PATRIS vultum posset exprimere, velavit ejus caput, et suo cuique animo dedit æstimandum. Nonne huic simile est illud Sallustianum; *Nam de Carthagine tacere satius puto, quam parum dicere?*

Propter quæ mihi semper moris fuit, quam minime alligare me ad præcepta quæ καθολικά vocant, id est (ut dicamus quo modo possumus) *universalia*, vel *perpetualia*. Raro enim reperitur hoc genus, ut non labefactari parte aliqua, aut subrui possit. Sed de his plenius suo quidque loco tractabimus. Interim nolo se juvenes satis iustructos, si quem ex his, qui breves plerumque circumferuntur, *Artis* libellum edidicerint, et velut decretis (1) *technicorum* tutos, putent. Multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, (2) plurimis experimentis, altissima prudentia, præsentissimo consilio constat ars dicendi. Sed adjuvatur his quoque, si tamen rectam viam, non unam orbitam monstrent: a qua declinare qui crediderit nefas, patiat necesse est illam per funes ingredientium tarditatem. Itaque, et stratum militari labore iter sæpe deserimus, compendio ducti; et, si rectum limitem rupti torrentibus pontes inciderint, circumire cogemur; et, si janua tenebitur incendio, per parietem exibimus. Late fusum opus est, et multiplex, et prope quotidie novum, et de quo nunquam dicta erunt omnia. Quæ sunt tamen tradita, quid ex his optimum, et si quid mutari, adjici, detrahi melius videbitur, dicere experiar. . . .

XV. RHETORICE sic, ut opinor, optime dividetur,

(1) *Technicos* appellat illos qui præcepta artis, τὰς τέχνας, tradebant.

(2) Longe aliter hunc locum in quibusdam edit. impressum legimus: pluribus experimentis, altissimo consilio c. a. d. O.

ut de arte, de artifice, de opere dicamus. *Ars* erit, quæ disciplina percipi debet; ea est *bene dicendæ scientia*. *Artifex* est, qui percipit hanc artem, id est *orator*: cujus est summa, *bene dicere*. *Opus*, quod efficitur ab artifice, id est, *bona oratio*. Hæc omnia rursus diducuntur in species. Sed illa sequentia suo loco: nunc, quæ de prima parte tractanda sunt, ordiar.

XVI. ANTE omnia, quid sit *rhetorice*: quæ finitur quidem varie, sed quæstionem habet duplicem: aut enim de (1) *qualitate ipsius rei*, aut de (2) *comprehensione verborum* dissensio est. Prima ac præcipua opinionum circa hoc differentia, quod alii malos quoque viros posse oratores dici putant; alii (quorum nos sententiæ accedimus) nomen hoc, artemque, de qua loquimur, bonis demum tribui volunt.

Qui autem dicendi facultatem a majore ac magis expetenda vitæ laude secerant, . . hi fere aut in *persuadendo*, aut in *dicendo apposite ad persuadendum*, positum orandi munus sunt arbitrati. Id enim fieri potest ab eo quoque, qui vir bonus non sit. Est igitur frequentissimus (3) finis rhetorices, *vis persuadendi*. . . Hæc opinio originem ab Isocrate (si tamen re vera *Ars*, quæ circumfertur, ejus est) duxit. Qui, cum longe sit a voluntate infamantium oratoris officia, finem artis temere comprehendit, dicens esse rhetorice *persuadendi opificem*, id est *πειθαρχὸν δημιουργόν*. . . Apud Platonem quoque Gorgias, in libro qui nomine ejus inscriptus est, idem fere dicit: sed hanc Plato illius opinionem vult accipi, non suam. Cicero pluribus locis scripsit, oratoris officium esse, *dicere apposite ad persuadendum*. In rhetoricis etiam, quos sine dubio ipse non probat, finem facit *persuadere*.

Verum et pecunia persuadet, et gratia, et auctoritas dicentis, et dignitas, et postremo aspectus etiam ipse sine voce, quo vel recordatio meritorum ejusque, vel facies aliqua miserabilis, vel formæ pulchritudo, sententiam dicat. Nam et (4) M. Aquilium defendens Antonius, cum scissa veste cicatrices, quas is pro patria pectore adverso suscepisset, ostendit; non orationis habuit fiduciam, sed oculis populi Romani vim attulit: quem illo ipso aspectu maxime motum in hoc, ut solveret reum, creditum est. Servium quidem Galbam miseratione sola, qua non suos modo liberos parvulos in concionem produxerat, sed Galli etiam

(1) Scilicet, utrum bona res sit an mala.

(2) Quibusnam verbis definiri debeat.

(3) Definitio.

(4) Legitur in MSS. Manium Aquilium.

Sulpitii filium suis ipse manibus circumtulera, elapsum esse, cum aliorum monumentis, tum Catonis oratione, testatum est. Et Phrynem, non Hyperidis actione, quauquam admirabili, sed aspectu corporis, quod illa, speciosissimum alioqui, diducta nudauerat tunica, putant periculo liberatam. Quæ si omnia persuadent, non est hic, de quo locuti sumus, idoneus finis.

Ideoque diligentiores visi sunt sibi, qui, cum de rhetorice idem sentirent, existimauerant eam, *vim dicendo persuadendi*. Quem finem Gorgias, in eodem de quo supra diximus libro, velut coactus a Socrate, dicit. A quo non dissentit Theodectes, sive ipsius id opus est, quod de rhetorice nomine ejus inscribitur, sive, ut creditum est, Aristotelis; in quo est, finem esse rhetorice, *ducere homines dicendo in id quod actor velit*. Sed ne hic quidem satis est comprehensum: persuadent enim dicendo, vel ducunt in id quod volunt, alii quoque, ut meretrices, adulatores, corruptores. At contra, non persuadet semper orator: ut interim non sit proprius hic finis ejus, interim sit communis cum iis, qui ab oratore procul ab sunt. . .

Quidam recesserunt ab eventu; sicut Aristoteles, qui dicit: *rhetorice est vis inveniendi omnia in oratione persuasibilia*: qui finis et illud vitium, de quo supra diximus, habet; et insuper, quod nihil nisi *inventionem* complectitur, quæ sine *elocutione* non est oratio. . . .

Apparet (ex *Gorgia*) Platoni non rhetorice videri malam, sed eam veram, nisi justo ac bono, non contingere. Adhuc autem in *Phædro* manifestius facit, hanc artem consummari citra justitiæ quoque scientiam non posse: cui opinioni nos quoque accedimus. An aliter defensionem Socratis, et eorum qui pro patria ceciderant, laudem scripsisset? quæ certe sunt oratoris opera. Sed in illud hominum genus, quod facultate dicendi male utebatur, invectus est. Nam et Socrates inhonestam sibi credidit orationem quam ei Lysias reo composuerat: et tum maxime scribere (1) litigatoribus, quæ illi pro se ipsi dicebant, erat moris; atque ita juri, quo non licebat pro altero agere, fraus adhibebatur. Doctores quoque ejus artis parum idonei Platoni videbantur, qui rhetorice a justitia separarent, et veris credibilia præferrent: nam id quoque dicit in *Phædro*. . . .

Hi sunt fere fines maxime illustres, et de quibus præ-

(1) Cum litigatores ipsi causam suam dicere cogerentur, erat moris ut eis alii orationes scriberent.

cipue disputatur. Nam omnes quidem persequi, nec attinet, nec possum; cum pravum quoddam (ut arbitror) studium circa scriptores *Artium* extiterit, nihil eisdem verbis quæ prior aliquis occupasset finiendi. Quæ ambitio procul aberit a me: dicam enim, non utique quæ invenero, sed quæ placebunt: sicut hoc, *rhetoricen esse bene dicendi scientiam*: cum, reperto quod est optimum, qui quærit aliud, pejus velit. His approbatis, simul manifestum est illud quoque, quem finem, vel quid summum et ultimum habeat rhetorice, quod τῆς λέξεως dicitur; ad quod omnis ars tendit; nam si est ipsa *bene dicendi scientia*, finis ejus et summum est, *bene dicere*.

XVII. SEQUITUR quæstio, *An utilis rhetorice?* Nam quidam vehementer in eam invehi solent; et, quod sit indignissimum, in accusationem orationis utuntur orandi viribus: *Eloquentiam esse, quæ panis eripiat scelestos; cujus fraude damnentur interim boni; consilia ducantur in pejus; nec seditiones modo, turbæque populares, sed bella etiam inexpiabilia, excitentur; cujus denique tum maxime sit usus, cum pro falsis contra veritatem valet*. Nam et Socrati objiciunt comici, *docere eum, quo modo pejorem causam meliorem faciat*; et contra, Tisiam et Gorgiam similia dicit polliceri Plato. Et his adjiciunt exempla Græcorum Romanorumque; et enumerant, qui perniciosi, non singulis tantum, sed rebus etiam publicis, usi eloquentia, turbaverunt civitatum status, vel everterunt: eoque et Lacedæmoniorum civitate expulsam; et Athenis quoque, ubi actor movere affectus vetabatur, velut recisam orandi potestatem.

Quo quidem modo nec duces erunt utiles, nec magistratus, nec medicina, nec ipsa denique sapientia. Nam et dux Flaminius; et Gracchi, Saturnini, Glauciæ, magistratus; et in medicinis, venena; et in iis, qui philosophorum nomine male utuntur, gravissima nonnunquam flagitia deprehensa sunt. Cibos aspernemur; attulerunt sæpe valetudinis causas. Nunquam tecta subeamus; super habitantes aliquando procumbunt. Non fabricetur militi gladius; potest uti eodem ferro latro. Quis nescit, ignes, aquas, sine quibus nulla sit vita, et (ne terrenis immerer) Solem, Lunamque, præcipua siderum, aliquando etiam nocere?

Nam igitur negabitur deformem Pyrrhi pacem cæcus ille Appius dicendi viribus diremisit? Aut non divina M. Tullii eloquentia et contra leges Agrarias popularis fuit? et Catilinæ fregit audaciam? et supplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, in toga meruit?

Non perterritos militum animos frequenter a metu revocat oratio? et tot pugnandi pericula ineuntibus, laudem vita potioem esse, persuadet? Neque vero me Lacedæmonii aut Athenienses magis moverint, quam populus Romanus, apud quem summa semper oratoribus dignitas fuit. Equidem nec urbium conditores reor aliter effecturos fuisse, ut vaga illa multitudo coiret in populos, nisi docta voce commota; nec legum repertores sine summa vi orandi consecutos, ut se ipsi homines ad servitutem juris astringerent. Quin ipsa vitæ præcepta, etiam si natura sunt honesta, plus tamen ad formandas mentes valent, quoties pulcritudinem rerum claritas orationis illuminat. Quare, etiam si in utramque partem valent arma faciendiæ, non tamen est æquum, id haberi in alium, quo bene uti licet.

Verum hæc apud eos fortasse quærantur, qui summam rhetorices ad *persuadendi vim* retulerunt. Si vero est *bene dicendi scientia*, quem nos finem sequimur, ut sit orator in primis vir bonus, utilem certe eam esse, confidendum est. Et, hercle, Deus ille [princeps] parens rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem separavit a cæteris, quæ quidem mortalia essent, animalibus, quam dicendi facultate. Nam *corpora* quidem, magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate, præstantiora in illis mutis videmus; eadem minus egere acquisitæ extrinsecus opis. Nam et ingredi citius, et pasci, et tranare aquas, citra docentem natura ipsa sciunt. Et pleraque contra frigus ex suo corpore vestiuntur; et armis ingenta quædam; et ex obvio fere victus: circa quæ omnia multus hominibus labor est. *Rationem* igitur nobis præcipuam dedit, ejusque nos socios esse cum diis immortalibus voluit. Sed ipsa ratio neque tan nos juvaret, neque tam esset in nobis manifesta, nisi, quæ concepissemus mente, promere etiam *loquendo* possemus: quod magis deesse cæteris animalibus, quam intellectum et cogitationem quandam videmus. Nam et moliri cubilia, et nidos texere, et educare fœtas, et excludere, quin etiam reponere in hiemem alimenta, opera quædam nobis inimitabilia, qualia sunt cerarum et mellis, efficere, nonnullius fortasse *rationis* est: sed, quia carent *sermone* quæ id faciunt, *muta* atque *irrationabilia* vocantur. Denique homines, quibus negata vox est, quantulum adjuvat animus ille cœlestis?

Quare, si nihil a diis *oratione* melius accepimus, quid tam dignum cultu ac labore ducimus? aut in quo malimus præstare hominibus, quam quo ipsi homines cæteris ani-

malibus præstant? Eo quidem magis, quod nulla in parte plenius labor gratiam refert. Id adeo manifestum erit, si cogitaverimus, unde et quousque jam provecta sit orandi facultas, et adhuc augeri potest. Nam ut omittam, defendere amicos, regere consiliis senatum, populum, exercitum in quæ velit ducere, quam sit utile, conveniatque bono viro; nonne pulcrum vel hoc ipsum est, ex communi intellectu, verbisque quibus utuntur omnes, tantum assequi laudis et gloriæ, ut non loqui et orare, sed, quod Pericli contigit, fulgurare ac tonare videaris?

XVIII. FINIS non erit, si expatiari parte in hac, et indulgere voluptati velim. Transeamus igitur ad eam quæstionem, quæ sequitur, *An rhetorice ars sit?* Quod quidem adeo ex iis, qui præcepta dicendi tradiderunt, nemo dubitavit, ut etiam ipsis librorum titulis testatum sit, scriptos eos *de arte rhetorica*: Cicero vero etiam, quæ *rhetorice* vocetur, esse *artificiosam eloquentiam* dicat. Quod non oratores tantum vindicarunt, ut studiis aliquid suis præstitisse videantur, sed cum his philosophi, et Stoici et Peripatetici, plerique consentiunt. Ac me dubitasse confiteor, an hanc partem quæstionis tractandam putarem. Nam quis est adeo non ab eruditione modo, sed a sensu remotus hominis, ut fabricandi quidem, et texendi, et e luto vasa ducendi, *artem* putet; *rhetoricen* autem, maximum ac pulcerrimum (ut supra diximus) opus, in tam sublime fastigium existimet *sine arte* venisse? Equidem illos, qui contra disputarunt, non tam id sensitisse quod dicerent, quam exercere ingenia materiæ difficultate, credo, voluisse: sicut (1) Polyratem, cum Busirim laudaret, et Clytæmnestram: quauquam is, quod his dissimile non esset, composuisse orationem quæ est habita contra Socratem dicitur.

Quidam *naturalem* esse *rhetoricen* volunt; et tamen adjuvari exercitatione non diffitentur; ut in libris Ciceronis de Oratore dicit Antonius, *observationem* quandam esse, *non artem*. Quod non ideo, ut pro vero accipiamus, est positum: sed ut Antonii persona servetur, qui dissimulator artis fuit. Hanc autem opinionem habuisse Lysias videtur. Cujus sententiæ talis defensio est; quod indocti, et barbari, et servi, pro se cum loquuntur, aliquid dicant simile *principio*; *narrent*; *probent*; *refutent*; et (quod vim habeat *epilogi*) *deprecentur*. Deinde adjiciunt illas verborum cavillationes: Nihil, quod ex arte fiat, ante

(1) Polyrates, Atheniensis, inopia coactus est in Cypro sophistam agere. Orationem in laudem Busiridis composuit. Busiris autem, tyrannus Ægypti, qui homines ad aram mactare consueverat.

artem fuisse: atqui dixisse homines pro se, et in alios, semper: doctores artis sero iam et circa Tisiam et Coracæ primum repertos: orationem igitur ante artem fuisse, eoque artem non esse. Nos porro, quando cœperit hujus rei doctrina, non laboramus exquirere: quanquam apud (1) Homerum et præceptorem Phœnicem tum agendi tum etiam loquendi, et oratores plures, et omne in tribus duobus orationis genus, et certamina quoque proposita eloquentiæ inter juvenes, invenimus: quin in cælatura clypei Achillis et lites sunt et actores.

Illud admonere satis est; *omnia quæ ars consummarit, à natura initia duxisse*: aut tollatur *medicina*; quæ ex observatione salubrium atque his contrariorum reperta est, et, ut quibusdam placet, tota constat experimentis: nam et vulnus deligavit aliquis ante quam hæc ars esset; et febrem quiete et abstinentia, non quia rationem videbat, sed quia id valetudo ipsa coegerat, mitigavit. Nec *fabrica* sit ars: casas enim primi illi sine arte fecerunt: nec *musica*: cantatur ac saltatur per omnes gentes aliquo modo. Ita, si *rhetorice* vocari debet *sermo quicumque*, fuisse eam antequam esset ars, confitebor. Si vero non quisquis loquitur orator est, et tum non tanquam oratores loquebantur, necesse est, oratorem factum arte, nec ante artem fuisse, fateantur.

Quo illud quoque excluditur, quod dicunt: Non esse artis id quod faciat qui non didicerit; dicere autem homines et qui non didicerunt. Ad cujus rei confirmationem afferunt, (2) Demadem remigem et (3) Æschinem hypocriten oratores fuisse. Falso: nam neque orator esse, qui non didicit, potest; et hos sero potius, quam nunquam; didicisse quis dixerit: quanquam Æschines ab initio sit versatus in literis, quas pater ejus etiam docebat; Demadem neque non didicisse certum sit, et continua dicendi exercitatio potuerit tantum, quantumcumque postea fuit, fecisse. Nam id potentissimum discendi genus est. Sed et præstantiorem, si didicisset, futurum fuisse dicere licet. Neque enim orationes scribere est ausus; ut eum multum valuisse in dicendo sciamus. . . .

Altera est calumnia, nullam artem falsis assentiri opinionibus; quia constitui sine perceptione non possit; quæ

(1) Phœnix, Iliad. 9. 443. Tres duces, eodem lib. 9. Certamina eloquentiæ proposita inter juvenes, Il. 15. 283. Clypeus, Il. 1. 18. v. 497—503.

(2) Demades, orator Atheniensis, vauæ filius fuit, nec a patre ad rhetores missus, sed rex factus. *Turn.*

(3) Æschines, filius Atrometi literatoris, primum hypocrita fuit; id est, actor personarum in theatro; postea scriba; postremo rhetor. *Turn.*

semper vera sit: *rhetoricen* assentiri falsis: non esse igitur artem. Ego *rhetoricen* nonnunquam dicere falsa pro veris confitebor; sed non ideo in falsa quoque esse opinione concedam: quia longe diversum est, ipsi quid videri, et ut alii videatur efficere. Nam et imperator falsis utitur saepe; ut Annibal, cum inclusus a Fabio, sarmentis circa cornua bouum deligatis, incensisque, per noctem in adversos montes agens armenta, speciem hosti abeuntis exercitus dedit: sed illum fefellit; ipse, quid verum esset, non ignoravit. Nec vero Theopompus Lacedaemonius, cum permutato cum uxore habitu e custodia ut mulier evasis, falsam de se opinionem habuit, sed custodibus praebuit. Item orator, cum falso utitur pro vero, scit esse falsum, eoque se pro vero uti: non ergo falsam habet ipse opinionem, sed fallit alium. Nec Cicero, cum se tenebras offudisse iudicibus in causa Cluentii gloriatus est, nihil ipse vidit. Et pictor, cum vi artis suae efficit, ut quaedam emiuere in opere, quaedam recessisse, credamus, ipse ea plana esse non nescit.

Aiunt etiam, omnes artes habere finem aliquem propositum, ad quem tendant: huic modo nullum esse in rhetorice, modo non praestari eum qui promittatur. Mentiantur: nos enim esse finem iam ostendimus, et quis esset diximus. Praestabit hunc semper orator: semper enim *bene dicet*. Firmum autem hoc, quod opponitur, adversus eos fortasse sit, qui *persuadere* finem putaverunt. Noster orator, arsque, a nobis finita, non est posita in eventu. Tendit quidem ad victoriam qui dicit: sed cum bene dixit, etiam si non vincat, id quod arte continetur efficit. Nam et gubernator vult salva nave in portum pervenire; si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetque notum illud, (1) *Dum clarum rectum teneam*: et medicus sanitatem aegri petit; si tamen aut valetudinis vi, aut intemperantia aegri, aliove quo casu, summa non contingit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinae fine non excedit. Ita oratori *bene dicere* finis est. Nam est ars ea, ut post paulum clarius ostendemus, in *actu* posita, non in *effectu*. Ita falsum erit illud quoque, quod dicitur: *Artes scire quando sint finem consecutae; rhetoricen nescire*: nam se quisque bene dicere intelligit.

Uti etiam vitis rhetorice, quod ars nulla faciat, criminantur: quia et falsum dicat, et affectus moveat. Quo-

(1) Videtur hemistichium e poeta quopiam sumtum. Nonnulli citant ex Ennio: *Dum clarum rectum teneam, navinque gubernem*. Eras. in Adag.

rum neutrum est turpe, cum ex bona ratione proficiscitur: ideoque nec vitium. Nam et mendacium dicere, etiam sapienti aliquando concessum est; et affectus, si aliter ad æquitatem perducere iudex non poterit, necessario movebit orator. Imperiti enim judicant, et qui frequenter in hoc ipsum fallendi sunt, ne errent. Nam, si mihi sapientes iudices dentur, sapientum conciones, atque omne concilium, nihil invidia valeat, nihil gratia, nihil opinio præsumpta, falsique testes; perquam sit exiguus eloquentiæ locus, et prope in sola delectatione ponatur. Sin et audientium mobiles animi, et tot malis obnoxia veritas, arte pugnandum est, et adhibenda quæ prosunt. Nec enim, qui recta via depulsus est, reduci ad eam nisi alio flexu potest. . . .

Hæc sunt præcipua, quæ contra rhetoricen dicuntur: alia et minora, et tamen ex his fontibus derivata. Confirmatur autem, eam esse *artem*, breviter. Nam sive, ut Cleanthes voluit, *ars est potestas, viam ac ordinem efficiens*; esse certam viam atque ordinem in bene dicendo nemo dubitaverit; sive ille ab omnibus fere probatus finis observatur, *artem constare ex præceptionibus consentientibus et coexercitationis ad finem vitæ utilem*; jam ostendimus, nihil non horum in *rhetorice* inesse. Quid, quod et inspectione et exercitatione, ut artes cæteræ, constat? Nec potest ars non esse, si ars est *dialectice*; quod fere constat; cum ab ea *specie* magis quam *genere* differat. Sed nec illa omittenda sunt; qua in re alius se inartificialiter, alius artificialiter gerat, in ea esse *artem*; et in eo, quod qui didicerit melius faciat, quam qui non didicerit, esse *artem*. Atqui non solum doctus indoctum, sed etiam doctior doctum, in rhetorices opere superabit: neque essent ejus aliter tam multa præcepta, tamque magni qui docerent: id quod cum omnibus confitendum est, tum nobis præcipue, qui rationem dicendi a bono viro non separamus.

XIX. CUM sint autem artium aliæ positæ in (1) *inspectione*, id est, cognitione et æstimatione rerum, qualis est *astrologia*, nullum exigens actum, sed ipso rei, cujus studium habet, intellectu contenta, quæ *θεωρητικὴ* vocatur; aliæ in *agendo*, quarum in hoc finis est, et ipso actu perficitur, nihilque post actum operis relinquit, quæ *πρακτικὴ* dicitur, qualis est *saltatio*; aliæ in *effectu*, quæ operis,

(1) Male ex Græco, *θεωρία*, vel ἐν τῷ θεωρεῖν. Græcorum τέχνης et επιστήμας cum exprimere volunt, misere se torquent vel optimi inter Romanos scriptores. O.

quod oculis subjicitur, consummatione finem accipiunt, quam ποιητικὴν appellamus, qualis est *pictura*; fere judicandum est, *rhetoricen* in *actu* consistere: hoc enim, quod est officii sui, perficit: atque ita ab omnibus dictum est. Mihi autem videtur etiam ex illis cæteris artibus multum assumere. Nam et potest aliquando ipsa res per se *inspectione* esse contenta. Erit enim rhetorice in oratore etiam tacente; et si desierit agere, vel proposito, vel aliquo casu impeditus, non magis desinet esse orator, quam medicus qui curandi fecerit finem. Nam est aliquis, ac nescio an maximus etiam, ex secretis studiis fructus, ac tum pura voluptas literarum, cum ab actu, id est opere recesserant, et contemplatione sui fruuntur. Sed *effectivæ* quoque aliquid simile, scriptis orationibus, vel historiis, quod ipsum opus in parte oratoria merito ponimus, consequetur. Si tamen una ex tribus artibus habenda sit, quia maximus ejus usus *actu* continetur, atque est in eo frequentissima, dicatur *activa*; vel *administrativa*; nam et hoc ejusdem rei nomen est.

XX. SCIO quæri etiam, *Naturæ plus ad eloquentiam conferat, an doctrina?* Quod ad propositum quidem nostri operis nihil pertinet: nec enim consummatus orator nisi ex utraque fieri potest: plurimum tamen referre arbitror, quam esse quæstionem in hoc loco velimus. Nam si parti utrilibet omnino alteram detrahas, natura etiam sine doctrina multum valebit, doctrina nulla esse sine natura poterit. Sin ex pari coeant, in mediocribus quidem utrisque majus adhuc naturæ credam esse momentum, consummatos autem plus doctrinæ debere quam naturæ putabo: sicut terræ nullam fertilitatem habenti nihil optimus agricola profuerit; e terra uberi utile aliquid etiam nullo colente nascetur; at in solo fecundo plus cultor quam ipsa per se bonitas soli efficiet. Et si Praxiteles signum aliquod ex (1) molari lapide conatus esset exculpere, Parium marmor mallet rude: at si illud idem artifex expolisset, (2) plus in manibus fuisset, quam in marmore. Denique natura materia doctrinæ est. Hæc fugit, illa fugitur. Nihil ars sine materia: materiæ etiam sine arte pretium est. Ars summa, materia optima melior.

XXI. ILLA quæstio est major; ex *mediis* artibus, quæ neque laudari per se, neque vituperari possunt, sed utiles aut secus secundum mores utentium fiunt, habenda sit

(1) Molari lapide nihil asperius, et ad sculpendas imagines minus aptum.

(2) Majus pretium duceret ab artificis labore et peritia, quam a materia.

retorice; an sit, ut compluribus etiam philosophorum placet, *virtus*?

Equidem illud quod in studiis dicendi plerique exercuerunt, et exercent, aut nullam artem, quæ ἀτεχνία nominatur, puto, (multos enim video sine ratione, sine literis, qua vel impudentia vel fances duxit, ruentes) aut malam quasi artem, quam κακοτεχνίαν dicimus: nam et fuisse multos, et esse nonnullos existimo, qui facultatem dicendi ad hominum perniciem converterunt. Ματαιοτεχνία quoque est quædam, id est supervacua artis imitatio, quæ nihil sane nec boni nec mali habeat, sed vanum laborem: qualis illius fuit, qui grana ciceris ex spatio distante missa, in ænem continuo et sine frustratione inserebat: quem cum spectasset Alexander, donasse eum dicitur ejusdem leguminis modio. Quod quidem præmium fuit illo opere dignissimum. His ego comparandos existimo, qui in declamationibus, quas esse veritati dissimillimas volunt, ætatem multo studio ac labore consumunt. Verum hæc, quam instituere conamur, et cujus imaginem animo concepimus, quæ bono viro convenit, quæque est vera rhetorice, *virtus* erit.

Quod philosophi quidem multis et acutis conclusionibus colligunt; mihi vero etiam planiore ac proprie nostra probatione videtur esse perspicuum. Ab illis hæc dicuntur: Si consonare sibi in faciendis ac non faciendis, virtutis est, quæ pars ejus *prudentia* vocatur, eadem in dicendis ac non dicendis erit. Et, si virtutes sunt, ad quas nobis, etiam ante quam doceremur, initia quædam ac semina sunt concessa natura; ut ad justitiam, cujus rusticis quoque ac barbaris apparet aliqua imago; nos certe sic esse ab initio fermatos, ut possemus orare pro bonis, etiam si non perfecte, tamen ut inessent quædam (ut dixi) semina ejus facultatis, manifestum est. Non eadem autem his natura artibus est, quæ a virtute sunt remotæ. Itaque, cum duo sint genera orationis, altera *perpetua*, quæ *rhetorice* dicitur, altera *conversa*, quæ dialectice; quas quidem Zenon adeo conjunxit, ut hanc compressæ in pugnum manus, illam explicitæ diceret similem; etiam *disputatrix* virtus erit: adeo de hac, quæ speciosior atque apertior est, nihil dubitabitur.

Sed planius hoc idem atque apertius intueri ex ipsis operibus volo. Nam quid orator in *laudando* faciet, nisi honestorum ac turpium peritus: aut in *suadendo*, nisi utilitate proposita et perspecta: aut in *judiciis*, si justitiæ sit ignarus? Quid? non fortitudinem postulat res eadem, cum sæpe contra turbulentas populi minas sæpe cum

periculosa potentium offensa, nonnunquam, ut in iudicio Miloniano, inter circumfusa militum arma dicendum sit? ut, si virtus non est, ne perfecta quidem esse possit oratio.

Quod si ea in quoque animalium est *virtus*, qua præstat cætera, vel pleraque, ut in leone impetus, in equo velocitas, hominẽ porro ratione atque oratione excellere cæteris certum est, cur non tam in eloquentia, quam in ratione *virtutem* ejus esse credamus? Recte hoc apud Ciceronem disserit Crassus; *Est enim eloquentia una quædam de summis virtutibus*. Et ipse Cicero, in sua persona, cum ad Brutum in epistolis, tum aliis etiam locis, *virtutem* eam appellat.

At præmium aliquando et narrationem dicit malus homo, et argumenta, sic, ut nihil sit in his requirendum. Nam et latro pugnabit acriter; virtus tamen erit fortitudo: et tormenta sine gemitu feret malus servus; tolerantia tamen doloris laude sua non carebit. Multa fiunt eadem, sed aliter. Sufficiant igitur hæc, quia de utilitate supra tractavimus. . .

XXII. MATERIAM esse rhetorices iudico, *omnes res quæcunque ei ad dicendum subjectæ erunt*. Neque id sine auctoribus. Nam Socrates apud Platonem dicere Gorgiæ videtur, non in *verbis* esse materiam, sed in *rebus*. Et in Phædro palam, non in iudicii modo et concionibus, sed in rebus omnibus, etiam privatis ac domesticis, rhetorice esse, demonstrat. Quo manifestum est, hanc opinionem ipsius Platonis fuisse. Et Cicero quodam loco materiam rhetorices vocat *res quæ subjectæ sunt ei*, (1) sed *certas* demum putat esse subjectas. Alio vero, de omnibus rebus oratori dicendum arbitratur, his quidem verbis: *Quamquam vis oratoris, professioque ipsa bene dicendi, hoc suscipere ac polliceri videatur, ut omni de re, quæcunque sit proposita, ornate ab eo copioseque dicatur*. Atque adhuc alibi: *Verum enim oratori, quæ sunt in hominum vita (quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subjecta materia) omnia quæsita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent*.

Hanc autem quam nos *materiam* vocamus, id est, res subjectas, quidam modo infinitam, modo non propriam rhetorices esse, dixerunt: eamque artem (2) *circumcur-*

(1) Hoc idem argumentum fusius tractat Cicero de Orat. 1, 45—47.

(2) *Ἐγκυκλίον*, sive *circulatoriam*. Vide sis quæ observavimus ad c. xix. Græci quidem λόγους alios ἐγκυκλίους, sive ἑξωτερικούς, alios ἀκροαματικούς vocabant. Hos philosophi, ut Aristoteles, pomeridianis scholis selectis auditoribus præcipiebant; illi vero quasi populares, publici juris facti, circumferbantur. O.

rentem vocaverunt, quod in omni materia diceret. Cum quibus mihi minima pugna est. Nam de *omni* materia dicere eam fatentur: *propriam* habere materiam, quia *multiplicem* habeat, negant. Sed neque infinita est, etiam si est multiplex: et aliæ quoque artes *minores* habent multiplicem materiam; velut *architectonice*; nam ea in omnibus quæ sunt ædificio utilia versatur; et *calatura*; quæ auro, argento, ære, ferro, opera efficit. Nam *sculptura* etiam lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea quæ supra dixi, complectitur. Neque protinus non est materia rhetorices, si in eadem versatur et alius. Nam si quæram, quæ sit materia statuarii, dicitur *æs*: si quæram, quæ sit excusoris, id est, ejus fabricæ quam Græci *χαλκευτικήν* vocant, similiter *æs* esse respondeant. Atqui plurimum a statuis differunt vasa. Nec medicina ideo non erit ars, quia unctio et exercitatio cum palæstrica, ciborum vero qualitas etiam cum coquorum ei sit arte communis.

Quod vero de bono, utili, justo disserere, *philosophiæ* officium esse dicunt, non obstat. Nam cum *philosophum* dicunt, hoc accipi volunt, *virum bonum*. Cur igitur oratorem, quem a bono viro non separo, in eadem materia versari mirer? cum præsertim primo libro jam ostenderit, philosophos omissam hanc ab oratoribus partem occupasse, quæ rhetorices propria semper fuisset; ut illi potius in nostra materia versentur. Denique, cum sit *dialectices* materia de rebus subjectis disputare, sit autem dialectice oratio *conclisa*; cur non eadem *perpetuæ* quoque materia videatur?

Solet a quibusdam et illud poni; *Omnium igitur artium peritus erit orator, si de omnibus ei dicendum est*. Possem hic Ciceronis respondere verbis; apud quem hoc invenio: *Mea quidem sententia nemo esse poterit omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus*. Sed mihi satis est, ejus esse oratorem rei, de qua dicit, non inscium. Neque enim omnes causas novit, et debet posse de omnibus dicere. De quibus ergo dicet? de quibus didicit. Similiter de artibus quoque, de quibus dicendum erit, interim discet; et de quibus didicerit, dicet.

Quid ergo? non aut faber de fabrica melius, aut de musicæ musicus? si nesciat orator quid sit de quo quærat, plane melius. Nam et litigator rusticus illiteratusque de causa sua melius, quam orator qui nescit quid in lite sit, dicit. Sed accepta a musico, a fabro, sicut a litigatore, melius orator quam ipse qui docuerit. Verum et faber

cum de fabrica, et musicus cum de musica, si quid confirmationem desideravit, dicet, non erit quidem orator, sed faciet illud quasi orator: sicut cum vulnus imperitus deligabit, non erit medicus, sed faciet ut medicus.

An hujusmodi res, nec in *laudem*, nec in *deliberationem*, nec in *judicium* veniunt? Ergo, cum de faciendo portu (1) Ostiensi deliberatum est, non debuit dicere sententiam orator? atqui opus erat ratione *architectorum*. Livores et tumores in corpore, cruditatis an veneni signa sint, non tractat orator? At est id ex ratione *medicinæ*. Circa mensuras et numeros non versabitur? Dicamus has *geometriæ* esse partes. Equidem omnia fere posse credo casu aliquo venire in officium oratoris; quod si non accidet, non erunt ei subjecta. Ita sic quoque recte diximus, materiam rhetorices esse *omnes res ad dicendum ei subjectas*: quod quidem probat etiam sermo communis: nam cum aliquid de quo dicamus accepimus, positam nobis esse materiam frequenter etiam præfatione testamur. (2) Gorgias quidem adeo rhetori de omnibus putavit esse dicendum, ut se in auditoriis interrogari pateretur, quæ quisque de re vellet. Hermagoras quoque, dicendo materiam esse in causa et in quæstionibus, omnes res subjectas erat complexus. Sed quæstiones si negat ad rhetoricen pertinere, dissentit a nobis: si autem ad rhetoricen pertinent, ab hoc quoque adjuvamus. Nihil est enim, quod non in causam aut in quæstionem cadat. Aristoteles tres faciendo partes orationis, *judicialem, deliberativam, demonstrativam*, pene et ipse oratori subjecit omnia; nihil enim non in hæc cadit. Quæsitum a paucissimis etiam de *instrumento* est. *Instrumentum* voco, sine quo formari materia, et in id quod velimus effici opus, non possit. Verum hoc ego non *artem* credo egere, sed *artificem*. Neque enim *scientia* desiderat instrumentum, quæ potest esse consummata, etiam si nihil faciat; sed ille opifex, ut cælator cælum, et pictor penicilla. Itaque hæc in eum locum, quo de *oratore* dicturi sumus, differamus.

(1) Illud facere destinaverat Julius Cæsar, perfecit Claudius imperator. R. Sive *Ostiensi* legas, sive *Hostiensi*, &c. portus ille celeberrimus nomen traxit ab eo, quod ibi Tiberis *ostia* in mare se exonerant. Vid. Cellar. Geogr. Antiq. O.


(2) *Gorgias*] Plato principio dialogi cognominis, Ἐκίλευε γαῦν νῦν δὴ ἐρωτᾷς ὃ, τί τις βέλαιο τῶν ἔσθων ἔστων, καὶ πρὸς ἅπαντα ἔφη ἀποκρινεῖσθαι. Refert etiam, quod jam hic adnotatum est a Philandro, Cic. de Orat. 1, 22: et 3, 32. ac de Fin. 2, 1. it. de Inv. 1, 5. ubi etiam Hermagoræ Aristotelis-que sententiæ referuntur. Gesner.

M. FABII QUINTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER III.



I. QUONIAM in libro secundo quæsitum est, *quid esset rhetorice, et quis finis ejus; artem quoque eam esse, et utilem, et virtutem, ut vires nostræ tulerunt, ostendimus; materiamque ei res omnes, de quibus dicere oporteret, subjecimus; jam hinc, unde cœperit, quibus constet, quo quæque in ea modo inveniendâ atque tractandâ sint, exequar: intra quem modum plerique scriptores Artium constiterunt, adeo ut Apollodorus contentus solis judicialibus fuerit.*

Nec sum ignarus, hoc a me præcipue, quod hic liber inchoat, opus studiosos ejus desiderasse; ut inquisitione opinionum, quæ diversissimæ, longe difficillimum, ita nescio an minime legentibus futurum voluptati; quippe quod prope nudam præceptorum traditionem desideret. In cæteris enim admiscere tentavimus aliquid nitoris; non jactandi ingenii gratia, namque in id eligi materia poterat uberior, sed ut hoc ipso alliceremus magis juventutem ad cognitionem eorum, quæ necessaria studiis arbitramur, si, ducti jucunditatē aliqua lectionis, libentius discerent ea, quorum ne jejunâ atque arida traditio averteret animos, et aures (præsertim tam delicatas) raderet, vercbamur. Qua ratione se Lucretius dicit præcepta philosophiæ carmine esse complexum. Namque hæc, ut est notum, similitudine utitur:

*Ac veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Adspargunt mellis dulci flavoque liquore:*

Et quæ sequuntur. Sed nunc veremur, ne parum hic liber mellis, et absinthii multum habere videatur, sitque salubrior studiis quam dulcior.

Quin etiam hoc timeo, ne ex eo minorem gratiam ineat, quod pleraque non inventa per me, sed ab aliis tradita, continebit: habeat etiam quosdam qui contra sentiant, et adversentur, propterea quod plurimi auctores, quanvis eodem tenderent, diversas tamen vias inierunt, atque in suam quisque induxit sequentes. Illi autem probant qualecunque ingressi sunt iter: nec facile inculcatas pueris persuasiones mutaveris; quia nemo non didicisse mavult, quam discere. Est autem, ut procedente libro patebit, infinita dissensio auctorum, primo ad ea, quæ rudia atque imperfecta adhuc erant, adjicientibus quod invenissent scriptoribus; mox, ut aliquid sui viderentur afferre, etiam recta mutantibus.

Nam primus post eos, quos poetæ tradiderunt, movisse aliqua circa rhetoricen Empedocles dicitur. *Artium* autem scriptores antiquissimi Corax et Tisias, Siculi; quos insecutus est vir ejusdem insulæ Gorgias Leontinus, Empedoclis, ut traditur, discipulus. Is beneficio longissimæ ætatis (nam centum et novem vixit annos) cum multis simul floruit: ideoque et illorum, de quibus supra dixi, fuit æmulus, et ultra Socratem usque duravit. Thrasy-machus Chalcedonius cum hoc, et Prodicus Chius, et Abderites Protagoras, a quo decem millibus denariorum didicisse *Artem*, quam edidit, Euathlus dicitur; et Hippias Eleus, et, quem Palamedem Plato appellat, Alcidas Eleates: Antiphon quoque, qui primus omnium orationem scripsit, et nihilo minus *Artem* ipse composuit, et pro se dixisse optime est creditus: etiam Polycrates, a quo scriptam in Socratem diximus orationem: et Theodorus Byzantius, ex iis et ipse, quos Plato appellat (1) *λογοδαίδαλας*. Horum, primi communes locos tractasse dicuntur, Protagoras, Gorgias, Prodicus, et Thrasy-machus. Cicero in Bruto negat ante Periclem scriptum quidquam, quod ornatum oratorium habeat: ejus aliqua ferri. Equidem non reperio quidquam tantæ eloquentiæ fama dignum. Ideoque minus miror esse, qui nihil ab eo scriptum putent; hæc autem, quæ feruntur, ab aliis esse composita.

His successere multi; sed clarissimus, Gorgiæ auditor, Isocrates; quanquam de præceptore ejus inter auctores non convenit. Nos autem Aristoteli credimus. Hinc

(1) Qui orationem nimis expolitant.

velut diversæ secari cœperunt viæ. Nam et Isocratis præstantissimi discipuli fuerunt in omni studiorum genere, eoque jam seniore (octavum enim et nonagesimum implevit annum) pomeridianis scholis (1) Aristoteles præcipere artem oratoriam cœpit, noto quidem illo, ut traditur, versu ex (2) Philocteta frequenter usus.

^{Ἰσοκράτην σιωπᾶν, Ἰσοκράτην δ' ἔαν λέγειν.}

Turpe esse tacere, et Isocratem pati dicere.

Ars est utriusque, sed pluribus eam libris Aristoteles complexus est. Eodem tempore Theodectes fuit, de cujus (3) opere supra dictum est. Theophrastus quoque, Aristotelis discipulus, de rhetorice diligenter scripsit: atque hinc vel studiosius philosophi, quam rhetores, præcipueque Stoicorum ac Peripateticorum principes. Fecit deinde velut propriam Hermagoras viam, quam plurimi sunt secuti; cui maxime par atque æmulus videtur Athenæus fuisse. Multa post Apollonius Molon, multa Areus, multa Cæcilius, et Halicarnasseus Dionysius.

Præcipue tamen in se converterunt studia Apollodorus Pergamænus, qui præceptor Apolloniæ Cæsaris Augusti fuit, et Theodorus Gadæus, qui se dici maluit Rhodium, quem studiosè audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius Cæsar. Hi diversas opiniones tradiderunt, appellatique inde *Apollodorei* et *Theodorei*, ad morem certas in philosophia sectas sequendi. Sed Apollodori præcepta magis ex discipulis cognoscas; quorum diligentissimus in tradendo Latine fuit C. Valgius, Græcè Atticus. Nam ipsius sola videtur *Ars* edita ad Matium, quia cæteras missa ad Domitium epistola non agnoscit. Plura scripsit Theodorus, cujus auditorem Hermagoram sunt qui viderint.

Romanorum primus (quantum ego quidem sciam) condidit aliqua in hac materia M. Cato ille Censorius: post M. Antonius inchoavit. Nam hoc solum opus ejus, atque id ipsum imperfectum, manet. Secuti minus celebres,

(1) Hoc Cicero fusius enarrat l. 3. de Orat. n. 141. *Scholas* autem dicit dissertationes, disputationes, et præceptiones. *Scholas* enim Græci proprie dicunt, non tam ludum literarium, quam disputationes prælectionesque, et id genus alia; ut manifestum est ex l. Tuscul. n. 7. *Tunn.*

(2) Annotant hunc versum esse in Philocteta Sophoclis, cum illic nusquam reperiat. Porro in illa Tragœdia, quæcumque sit, ait Philoctetes sibi turpe esse tacere, cum *barbari* loquantur. ^{Ἰσοκράτην σιωπᾶν βαρβάρους δ' ἔαν λέγειν.} *Tunn.*

(3) De ejus operis auctore ambigitur. l. 2, 16. O.

quorum memoriam, si quo loco res poscet, non omittam. Præcipuum vero lumen sicut eloquentiæ, ita præceptis quoque ejus dedit unicum apud nos specimen orandi, docendique oratorias artes, M. Tullius: post quem tacere modestissimum forct, nisi et rhetoricos suos ipse adolescenti sibi elapsos diceret, et in oratoriis hæc minora, quæ plerique desiderant, sciens omisisset. Scripsit de eadem materia non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil pater Gallio: accuratius vero priores Gallione Celsus et Lenas, et ætatis nostræ Virginius, Plinius, Rutilius. Sunt et hodie clari ejusdem operis auctores; qui, si omnia complexi forent, consulissent labori meo; sed parco nominibus viventium: veniet eorum laudi suum tempus: ad posteros enim virtus durabit, non perveniet invidia.

Non tamen post tot ac tantos auctores pigebit meam quibusdam locis posuisse sententiam. Neque enim me cujusquam sectæ, velut quadam superstitione imbutus, addixi; et electuris quæ volent facienda copia fuit: sicut ipse plurimum in unum confero inventa; ubicunque ingenio non erit locus, curæ testimonium promeruisse contentus.

II. NEC diu nos moretur quæstio, *Quæ rhetorices origo sit?* Nam cui dubium est, quin sermonem ab ipsa rerum natura geniti protinus homines acceperint, (quod certe principium est ejus rei) huic studium et incrementum dederit utilitas; summam ratio et exercitatio? Nec video, quare curam dicendi putent quidam inde cœpisse, quod illi, qui in discrimen aliquod vocabantur, accuratius loqui defendendi sui gratia instituerint. Hæc enim, ut honestior causa, ita non utique prior est; cum præsertim *accusatio* præcedat *defensionem*; nisi quis dicit, etiam gladium fabricatum ab eo prius qui ferrum in tutelam sui, quam qui in perniciem alterius comparavit.

Initium ergo dicendi dedit natura; initium artis, observatio. Homines enim, sicut in medicina, cum viderent alia salubria, alia insalubria, ex observatione eorum effecerunt artem; ita, cum in dicendo alia utilia alia inutilia deprehenderent, notarunt ea ad imitandum vitandumque; et quædam secundum rationem eorum adjecerunt: ipsa quoque hæc confirmata sunt usu: tum, quæ sciebat, quisque docuit. Cicero quidem initium orandi conditoribus urbium ac legum latoribus dedit: in quibus fuisse vim dicendi necesse est; cur tamen hanc primam originem putet, non video; cum sint adhuc quædam vagæ et sine urbibus ac sine legibus gentes, et tamen qui sunt in his

nati, et legationibus fungantur, et accusent aliqua ac defendant, et denique alium alio melius loqui credant.

III. OMNIS autem orandi ratio, ut plurimi maximeque auctores tradiderunt, quinque partibus constat; *inventione, dispositione, elocutione, memoria, pronuntiatione* (sive *actione*, utroque enim modo dicitur.) Omnis vero sermo, quo quidem voluntas aliqua enuntiatur, habeat necesse est et *rem*, et *verba*: ac si est brevis, et una conclusione finitus, nihil fortasse ultra desideret. At oratio longior plura exigit: non enim tantum refert, quid, et quo modo dicamus, sed etiam quo loco: opus ergo est *dispositione*. Sed neque omnia, quæ res postulat, dicere, neque suo quæque loco poterimus, nisi adjuvante *memoria*: quapropter ea quoque pars *quarta* erit. Verum hæc cuncta corrumpit, ac propemodum perdit, indecora vel voce vel gestu *pronuntiatio*. Huic quoque igitur necessario tribuendus est *quintus* locus. . .

IV. TRIA autem plura sint [genera causarum] ambiguntur. . . Nobis autem et tutissimum est auctores plures sequi, et ita videtur ratio dictare. Est igitur unum genus, quo laus ac vituperatio continetur, sed est appellatum a parte meliore, *laudativum*: idem alii *demonstrativum* vocant; . . quod laus ac vituperatio quale sit quidque *demonstrat*. Alterum est, *deliberativum*. Tertium, *judiciale*. Cæteræ species in hæc tria incidunt genera; nec invenietur ex his ulla, in qua non laudare aut vituperare, suadere aut dissuadere, intendere quid vel depellere, debeamus. . .

Ne his quidem accesserim, qui laudativam materiam *honestorum*, deliberativam *utilium*, judiciale *justorum* quæstione contineri putant, celeri magis ac rotunda usu distributione, quam vera. Stant enim quodam modo mutuis auxiliis omnia. Nam et in *laude* justitia utilitasque tractantur, et in *consiliis* honestas; et raro *judiciale* inveneris causam, in cujus non parte aliqua eorum quid, quæ supra diximus, reperiat.

V. OMNIS autem oratio constat, et ex his quæ significantur, et ex his quæ significant, id est, *rebus et verbis*. Facultas orandi consummatur *natura, arte, exercitatione*: cui *quartam* partem adjiciunt quidam, *imitationis*; quam nos *artem* subjicimus. Tria sunt item quæ præstare debet orator, ut *doceat, moveat, delectet*. . .

Convenit quæstiones esse aut *infinitas*, aut *finitas*. *Infinitæ* sunt, quæ remotis personis, et temporibus, et locis, cæterisque similibus, in utramque partem tractantur;

quod Græci *ἑστίν* dicunt, Cicero propositum. . . *Finitæ* autem sunt ex complexu rerum, personarum, temporum, cæterorumque. Hæ *ἰσοθέσεις* a Græcis dicuntur, *causæ* a nostris. In his omnibus quæstio videtur circa res personæque consistere. Amplior est semper *infinita*: inde enim *finita* descendit. Quod ut exemplo pateat, infinita est, *An uxor ducenda?* finita, *An Catoni ducenda?* . . Hæ autem, quas *infinitas* voco, et *generales* appellantur; quod si est verum, *finitæ speciales* erunt. In omni autem *speciali* utique inest *generalis*, ut quæ sit prior. Ac nescio an in causis quoque, quidquid in quæstionem venit qualitatis, generale sit: *Milo Clodium occidit: jure occidit insidiatorem?* nonne hoc quæritur, *An sit jus insidiatorem occidendi?* . .

Quin etiam in iis, quæ ad personam referuntur, ut non est satis generalem tractasse quæstionem, ita perveniri ad specialem, nisi illa prius excussa, non potest. Nam quo modo, *an sibi uxor ducenda sit*, deliberabit Cato, nisi constiterit, *uxores esse ducendas?* Et quo modo an ducere Martiam debeat quæretur, nisi Catoni ducenda uxor est? . .

VI. STATUS causæ est, quod et orator præcipue sibi obtinendum, et iudex spectandum maxime intelligit: in hoc enim causa consistet. . . . Id si quis *generalem quæstionem*, vel *caput generale*, dicere malit, cum hoc mihi non erit pugna. . . .

A plurimis (1) tres sunt facti generales status; quibus et Cicero in Oratore utitur, et omnia, quæ aut in controversiam aut in contentionem veniant, contineri putat: (2) *Sitne? Quid sit? Quale sit?* . .

Ipsæ me paulum in alia, quam prius habuerim, opinione nunc esse confiteor. Et fortasse tutissimum erat, famæ modo studentî, nihil ex eo mutare, quod multis annis non sensissem modo, verum etiam approbassem. Sed non sustineo esse conscius (3) mihi dissimulanti, in eo præsertim opere quod ad bonorum juvenum aliquam utilitatem componimus, in ulla parte iudicii mei. Nam et

(1) De triplici statu vide Cicero. lib. 2. de Orat. 104.—114.

(2) Triplex itaque est *status*. *Conjecturalis*; in quo quæritur et conjici debet, an sit factum: verbi gratia, in oratione pro Cælio quæritur, utrum Cælius venenum Clodiæ paraverit? *Qualitatis*; in quo quæritur, quale sit id, quod factum esse constat: ut in oratione pro Milone quæritur, jure necne Milo Clodium occiderit? *Definitivus*; in quo quæritur, et defini debet, quid sit id quod factum est: ut in oratione pro Plancio, an largitio pecuniæ, facta ab ipso, sit ambitus.

(3) *Hellenismum* hic retinendum duximus: *dissimulati*, Gesn. et Ox. *Male*; neque enim, cum vim habeat temporis præteriti, quadrat cum *studenti* et *componimus*. O.

(1) Hippocrates, clarus arte medicinæ, videtur honestissime fecisse, qui quosdam errores suos, ne posteri errarent, confessus est; et M. Tullius non dubitavit aliquos jam editos libros aliis postea scriptis ipse damnare, sicut (2) Catulum atque Lucullum, et (3) hos ipsos, de quibus modo sum locutus, *artis rhetorices*. Etenim supervacuum foret in studiis longior labor, si nihil liceret melius invenire præteritis. Neque tamen quidquam, ex his quæ tum præcepi, supervacuum fuit: ad easdem enim particulas hæc quoque, quæ nunc præcipiam, revertentur. Ita neminem didicisse pœniteat. Colligere tantum eadem, ac disponere paulo significantius conor. Omnibus autem patefactum volo, non me hæc serius demonstrare aliis, quam mihi ipse persuaserim. . .

Credendum est igitur iis, quorum auctoritatem secutus est Cicero; tria esse, quæ in omni disputatione quærantur, *An sit? Quid sit? Quale sit?* Quod ipsa nobis etiam natura præscribit. Nam primum oportet subesse aliquid, de quo ambigitur: quod *quid* sit, et *quale* sit, certe non potest æstimari, nisi prius *esse* constiterit. Ideoque ea prima quæstio. Sed non statim quod *esse* manifestum est, etiam *quid* sit apparet. Hoc quoque constituto, novissima *qualitas* superest: nec his exploratis aliud est ultra. . .

Nunc, quia in tria genera causas divisi, ordinem sequar.

VII. AC potissimum incipiam ab ea quæ constat *laude* et *vituperatione*. Quod genus videtur Aristoteles, atque eum secutus Theophrastus, a parte negotiali, hoc est *πραγματικῆ*, removisse, totamque ad solos auditores relegasse: et id ejus nominis, quod (4) ostentatione ducitur, proprium est. Sed mos Romanus etiam negotiis hoc munus inseruit. Nam et funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atque ex senatusconsulto magistratibus sæpe mandantur: et laudare testem, vel contra, pertinet ad momentum judiciorum: et ipsis etiam reis dare laudatores licet: et editi in competitorum,

(1) Hippocrates, ut est lib. *ἐπιδημίων* ε. in cujusdam curatione, qui lapide percussus fuerat in sincipite, se deceptum fuisse scribit ex ratione suturarum capitis. Quod etiam meminit Celsus lib. 8. c. 4. *De suturis se deceptum esse Hippocrates memoriæ prodidit, more magnorum virorum, et fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quæ nihil habent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio, multaquæ nihilominus habituro, convenit etiam veri erroris simplex confessio, &c. Turn.*

(2) Vide lib. 13. epist. ad Atticum, præsertim epist. 12, et 13.

(3) Lib. 1. de Orat. n. 5. quod modo observavit hoc eodem libro, cap. 1. pag. 76.

(4) *Ἐπίδεικτικόν*, scilicet; quod Latine *demonstrativum* dicitur. O.

in L. Pisonem, in Clodium et Curionem libri, vituperationem continent, et tamen in Senatu loco sunt habitæ sententiæ. Neque infitias eo, esse quasdam ex hoc genere materias ad solam compositas ostentationem, ut laudes deorum, virorumque, quos priora tempora tulerunt. . .

Ut desiderat autem laus, quæ negotiis adhibetur, probationem; sic etiam illa quæ ostentationi componitur, habet interim aliquam speciem probationis: ut qui Romulum Martis filium, educatumque a lupa dicat, in argumentum cœlestis ortus utatur his; quod abjectus in fluentem non potuerit extingui; quod omnia sic egerit, ut genitum præside bellorum deo incredibile non esset: quod ipsum quoque cœlo receptum temporis ejus homines non dubitaverint. Quædam vero etiam in defensionis speciem cadent: ut si in laude Herculis, permutatum cum regina Lydiæ habitum, et imperata (ut traditur) pensa, orator excuset.

Sed proprium *laudis* est, res amplificare et ornare. Quæ materia præcipue quidem in deos et homines cadit: est tamen et aliorum animalium, et carentium anima.

Verum in deis, *generaliter* primum, majestatem ipsius eorum naturæ venerabimur: deinde *propriam* vim cujusque, et inventa, quæ utile aliquid hominibus attulerunt. Vis ostenditur; ut in Jove, regendorum omnium; in Marte; belli; in Neptuno, maris. Inventa; ut artium, in Minerva; Mercurio, literarum; Medicinæ, Apolline; Cerere, frugum; Libero, vini. Tum si qua ab his acta vetustas tradidit, commemoranda. Addunt etiam diis honorem parentes; ut si quis sit filius Jovis: addit antiquitas; ut iis qui sunt ex Chao: progenies quoque; ut Apollo ac Diana Latonæ. Laudandum in quibusdam, quod geniti immortales: in quibusdam, quod immortalitatem virtute sunt consecuti: quod pietas (1) principis nostri, præsentium quoque temporum decus, fecit.

Magis est varia laus hominum. Nam primum dividitur in *tempora*, quodque ante eos fuit, quodque ipsi vixerunt: in iis autem, qui fato sunt functi, etiam quod est insecutum. Ante hominem, patria ac parentes, majoresque erunt: quorum duplex tractatus est: aut enim respondisse nobilitati, pulcrum erit; aut humiliter genus illustrasse factis. Illa quoque interim ex eo, quod ante ipsum fuit, tempore trahentur, quæ responsis vel auguriis

(1) Impia adulatio, &c. R. *Pietas principis nostri*, &c. pari ratione dicitur qua *tanti Majestas duois* &c. Aliter tamen Gesnerus, Burmanno usus auctore. O.

futuram claritatem promiserint: ut eum, qui ex Thetide natus esset, majorem patre suo futurum cecinisse dicuntur oracula.

Ipsius vero laus hominis, ex *animo*, et *corpore*, et *extra positis*, peti debet. Et *corporis* quidem, fortuitorumque, cum levior, tum non uno modo tractanda est. Nam et pulcritudinem interim roburque prosequimur honore verborum, ut Homerus in Agamemnone atque Achille. Interim confert admirationi multum etiam infirmitas, ut cum idem Tydea parvum, sed bellatorem dicit fuisse. *Fortuna* vero, cum dignitatem affert, ut in regibus principibusque, (namque est hæc materia ostendendæ virtutis uberior) tum, quo minores opes fuerunt, eo majorem benefactis gloriam parit. Sed omnia quæ *extra nos* bona sunt, quæque hominibus forte obtigerunt, non ideo laudantur, quod habuerit quis ea, sed quod bis honeste sit usus. Nam divitiæ, et potentia, et gratia, cum plurimum virium dent, in utramque partem certissimum faciunt morum experimentum: aut enim meliores propter hæc, aut peiores sumus.

Animi semper vera laus. Sed non una per hoc opus via ducitur. Namque alias, ætatis gradus gestarumque rerum ordinem sequi, speciosius fuerit; ut in primis annis laudaretur indoles, tum disciplinæ, post hoc operum, id est, factorum dictorumque, contextus; alias, in species virtutum dividere laudem, *fortitudinis*, *justitiæ*, *continentiæ*, cæterarumque, ac singulis assignare, quæ secundum quaque earum gesta erunt. Utra sit autem harum via utilior, cum materia deliberabimus: dum sciamus gratiora esse audientibus, quæ solus quis, aut primus, aut certe cum paucis fecisse dicetur; si quid præterea supra spem aut expectationem, præcipue quod aliena potius causa, quam sua.

Tempus, quod finem hominis insequitur, non semper tractare contingit: non solum quod viventes aliquando laudamus, sed quod rarâ hæc occasio est, ut referri possint divini honores et decreta, ut publice statuæ constitutæ. Inter quæ numeraverim ingeniorum monumenta, quæ seculis probarentur. Nam quidam, sicut Menander, justiora posterorum, quam suæ ætatis, judicia sunt consecuti.

Afferunt laudem liberi parentibus, urbes conditoribus, leges latoribus, artes inventoribus, necnon instituta quoque auctoribus, ut a Numa traditum, deos colere, et a Publicola, fasces populo submittere.

Qui omnis etiam in *vituperatione* ordo constabit, tamen

in diversum. Nam et turpitudine generis opprobrio multis fuit; et quosdam claritas ipsa notiores circa vitia, et invisos magis fecit: et in quibusdam, ut in Paride traditum est, prædicta perniciēs: et corporis ac fortunæ quibusdam mala contentum; ut Thersitæ atque Iro; quibusdam bona, vitiis corrupta, odium attulerunt; ut Nireia imbellem, Clisthenem impudicum, a poetis accepimus. Et animi totidem vitia, quot virtutes sunt; nec minus, quam in laudibus, duplici ratione tractantur. Et post mortem adjecta quibusdam ignominia est; ut Melio, cujus domus solo æquata; Marcoque Manlio, cujus prænomen a familia in posterum exemptum est. Et parentes malorum odimus. Et est conditoribus urbium infame, contraxisse aliquam perniciosam cæteris gentem, (1) qualis est primus Judicæ superstitionis auctor; et Gracchorum leges invisæ. Sed in viventibus quoque judicia hominum velut argumenta sunt morum, et honos aut ignominia veram esse laudem vel vituperationem probat.

Interesse tamen Aristoteles putat *ubi* quisque laudetur, aut vituperetur. Nam plurimum refert, qui sint audientium mores, quæ publice recepta persuasio: ut illa maxime, quæ probant, esse in eo qui laudabitur, credant, aut in eo contra quem dicemus, ea quæ oderunt: ita non dubium erit iudicium, quod orationem præcesserit. Ipsorum etiam permiscenda laus semper; nam id benevolos facit: quoties autem fieri poterit, cum materiæ utilitate jungenda. Minus Lacedæmone studia literarum, quam Athenis, honoris merebuntur; plus patientia, fortitudo. Rapto vivere, quibusdam honestum; aliis, cura legum. Frugalitas apud Sybaritas forsitan odio foret; veteribus Romanis summum luxuria crimen. Eadem in singulis differentia.

Idem præcipit illud quoque; quod mox Cornelius Celsus prope supra modum invasit; quia sit quædam virtutibus ac vitiis vicinitas, utendum proxima (2) *derivatione* verborum; ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro avaro parcum vocemus: quæ eadem etiam contra va-

(1) Hunc locum alii de Judæis, alii de Christianis intelligunt. Idem utrisque nomen a Romanis, et par odium. Fabii quoque tempore persecutio in Christianos jam Domitiano imperante flagrabat. Sed nec illud primus Christo convenit, nec quæ ante dicta erant. Malim igitur, cum Gesnero, Mosen hic quam Jesum, Salutis nostræ auctorem, intelligere. O.

(2) Eleganter dictum; tracta metaphora a *derivationibus illis aquarum*, per quas in quoscunque velint usus, sive fertilitatis, sive amœnitatis, seu cuiuslibet commodi, proprio alveo flumina devertunt homines. Vld. Aristot. Rhet. I. 9. O.

lent. Quod quidem orator, id est, vir bonus, nunquam faciet, nisi forte communi utilitate ducatur.

Laudantur autem urbes similiter atque homines. Nam pro parente est conditor; et multum auctoritatis affert vetustas, ut iis qui (1) terra dicuntur orti; et virtutes ac vitia, circa res gestas, eadem quæ in singulis. Illa propria, quæ ex loci positione aut inuentione sunt. Cives illis, ut hominibus liberi, decori. Est laus et operum, in quibus honor, utilitas, pulchritudo, auctor, spectari solet: honor, ut in templis; utilitas, ut in muris; pulchritudo vel auctor, utrobique. Est et locorum; qualis Siciliæ apud Ciceronem; in quibus similiter speciem et utilitatem inuenitur: speciem, maritimis, planis, amœnis; utilitatem, salubribus, fertilibus. Erit etiam dictorum factorumque laus generalis. Erit et rerum omnis modi: nam et somni et mortis scriptæ laudes, et quorundam a medicis ciborum. Itaque, ut non consensi hoc *laudativum* genus circa solam versari *honesti* quæstionem, sic *qualitate* maxime contineri puto; quanquam omnes tres *status* cadere in hoc opus possint, hisque usum C. Cæsarem in vituperando Catone, notaverit Cicero. Totum autem habet aliquid simile *suasoriis*: quia plerumque eadem illic suaderi, hic laudari solent.

VIII. DELIBERATIVAS quoque miror a quibusdam sola *utilitate* finitas. Ac, si quid in his *unum* sequi oporteret, potior fuisset apud me Ciceronis sententia, qui hoc materiæ genus *dignitate* maxime contineri putat. Nec dubito, quin hi qui sunt in illa priore sententia, secundum opinionem pulcherrimam, ne utile quidem, nisi quod honestum esset, existimarint. Et est hæc ratio verissima, si (2) consilium contingat semper bonorum atque sapientum. Verum apud imperitos, apud quos frequenter dicenda sententia est, populumque præcipue, qui ex pluribus constat indoctis, discernenda sunt hæc, et secundum communes magis intellectus loquendum. Sunt enim multi, qui etiam quæ credunt honesta, non tamen satis utilia quoque existiment: quæ turpia esse dubitare non possunt, utilitatis specie ducti probent: ut fœdus Numantinum, jugumque Caudinum. . .

Pars *deliberativa* (quæ eadem *suasoria* dicitur) . . officii constat duobus, *suadendi* et *dissuadendi*. *Proœmio*, quale est in *judicialibus*, non utique eget, quia conciliatus est ei quisque, quem consulit. Initium tamen quòdcunque debet habere aliquam proœmii speciem: nec enim

(1) Scilicet ἀντοχθονες, ut falso de se jactabant Athenienses. O.

(2) Id est, *deliberatio*. Male conj. Gesnerus, *concilium*. O.

abrupte, nec unde libuit, incipiendum; quia est aliquid in omni materia naturaliter primum.

In senatu, et utique in concionibus, eadem ratio quæ apud iudices, acquirendæ sibi plerumque eorum apud quos dicendum sit benevolentia. Nec mirum, cum etiam in Panegyricis petatur audientium favor, ubi emolumentum non in utilitate aliqua, sed in sola laude consistit. Aristoteles quidem, nec sine causa, putat et a nostra, et ab ejus qui dissentiet, persona, duci frequenter in *consiliis* exordium; quasi mutantibus hoc nobis a *judiciali* genere; nonnunquam etiam, ut minor res majorve videatur: in *demonstrativis* vero proemia esse maxime libera existimat; nam et longe a materia duci, ut in Helene laude Isocrates fecit, et ex aliqua rei vicinia, ut idem in Panegyrico, cur queritur, *plus honoris corporum quam animorum virtutibus dari*, et Gorgias in Olympico, laudans eos qui primi tales instituerunt conventus. Quos secutus videlicet Crispus Sallustius, in bello Jugurthino et Catilinario, nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus est.

Sed nunc ad *suasoriam*; in qua etiam cum *proæmio* ntemur, brevior tamen, et velut quodam capite tantum et initio, debemus esse contenti. *Narrationem* vero nunquam exiget privata deliberatio, ejus duntaxat rei, de qua dicenda sententia est: quia nemo ignorat id, de quo consulit. Extrinsecus possunt pertinentia ad deliberationem multa narrari. In concionibus sæpe est etiam illa, quæ ordinem rei docet, necessaria: et affectus, ut quæ maxime, postulat. Nam et concitanda et lenienda frequenter est ira, et ad metum, cupiditatem, odium, conciliationem, impellendi animi. Nonnunquam etiam movenda miseratio est; sive ut auxilium obsessis feratur suadere oportebit, sive sociæ civitatis eversionem deflebinus.

Valet autem in consiliis auctoritas plurimum. Nam et prudentissimus esse haberi que et optimus debet, qui sententiæ suæ de utilibus atque honestis credere omnes velit. In iudiciis enim vulgo fas habetur indulgere aliquid studio suo: consilia nemo est qui neget secundum mores dari.

Græcorum quidem plurimi omne hoc officium *concionale* esse judicaverunt, et in sola reipublicæ administratione posuerunt. Quin et Cicero in hac maxime parte versatur. Ideoque suasuris de pace, bello, copiis, opibus, vectigalibus, hæc duo præcipue nota esse voluit, *vires civitatis*, et *mores*: ut ex natura cum ipsarum rerum, tum audientium, ratio suadendi duceretur. Nobis major in

re videtur varietas: nam et consultantium et consiliorum plurima sunt genera. —

Quare in suadendo et dissuadendo tria primum spectanda erunt; quid sit de quo deliberetur; qui sint qui deliberent; qui sit qui suadeat.

Rem, de qua deliberatur, aut certum est posse fieri, aut incertum. Si incertum, hæc erit quæstio sola, aut potentissima. Sæpe enim accidet, ut prius dicamus, ne si possit quidem fieri esse faciendum: deinde, fieri non posse. Cum autem de hoc quæritur, conjectura est: *An Isthmos intercidi, An siccare palus Pomptina, An portus fieri Ostiæ possit, An Alexander terras ultra Oceanum sit inventurus?* Sed in iis quoque, quæ constabit posse fieri, conjectura erit aliquando: ut si quærat, *An utique futurum sit, ut Carthaginem superent Romani? at redeat Annibal, si Scipio exercitum in Africam transtulerit? ut serrent fidem Samnites, si Romani arma deposuerint?* Quædam et fieri posse, et futura esse, credibile est; sed aut alio tempore, aut alio loco, aut alio modo.

Ubi conjecturæ non erit locus, alia sunt intuennda. Et primum, aut propter ipsam rem, de qua sententiæ rogantur, consultabitur; aut propter alias intervenientes extrinsecus causas. Propter ipsam deliberant Patres conscripti, *An stipendium militi constituent?* Hæc materia simplex erit. Accedunt causæ, aut faciendi, ut deliberant P. C. *An Fabios dedant Gallis bellum minitantibus?* aut non faciendi, ut deliberat C. Cæsar, *An perseveret in Germaniam ire, cum milites passim testamenta facerent?* Hæc suasoriæ duplices sunt. Nam et illic causa deliberandi est, quod bellum Galli minitentur; esse tamen quæstio potest, *Dedendūne fuerint, etiam citra hanc demuntiationem, qui contra fas, cum legati missi essent, prælium inierint, regemque ad quem mandata acceperant, trucidarint?* et hic nihil Cæsar sine dubio deliberet, nisi propter hanc militum perturbationem: est tamen locus quærendi, *An citra hunc quoque casum penetrandum in Germaniam fuerit?* Semper autem de eo prius loquimur, de quo deliberari, etiam detractis sequentibus, posset.

Partes suadendi quidam putaverunt, *honestum, utile, necessarium*. Ego non invenio huic tertiæ locum. Quanta libet enim vis ingruat, aliquid fortasse pati necesse sit, nihil *facere*. De faciendo autem deliberatur. Quod si hanc vocant *necessitatem*, in quam homines graviorum metu coguntur; *utilitatis* erit quæstio: ut si obsessi, et impares, et aqua ciboque defecti, de facienda ad hostem deditioe deliberent, et dicatur, *necesse est*; nempe se-

quitur ut hoc subjiciatur, *alioqui pereundum est*: ita propter id ipsum non est necesse, quia perire potius licet. Denique non fecerunt Saguntini, nec in rate (1) Opitergīna circumventi. Igitur in his quoque causis, aut de sola ambigetur utilitate, aut quæstio inter utile atque honestum consistet. At enim, si quis liberos procreare velit, necesse habeat uxorem ducere. Quis dubitat? sed ei, qui pater vult fieri, liqueat necesse est, uxorem esse ducendam. Itaque mihi ne consilium quidem videtur, ubi necessitas est; non magis quam ubi constat quid fieri omnino non posse. Omnis enim deliberatio de dubiis est. Melius igitur, qui tertiam partem dixerunt *δυνατόν*, quod nostri *possibile* nominant; quæ ut dura videatur appellatio, tamen sola est.

Quas partes non omnes in omnem cadere suasoriam, manifestius est quam ut docendum sit. Tamen apud plerosque earum numerus augetur, a quibus ponuntur ut partes, quæ species sunt partium. Nam *fas*, *justum*, *pium*, *æquum*, *mansuetum* quoque (sic enim sunt interpretati τὸ ἡμέτερον) et si qua adhuc adjicere quis ejusdem generis velit, subjici possunt *honestati*. An sit autem *facile*, *magnun*, *jucundum*, *sine periculo*? ad quæstionem pertinet *utilitatis*; qui loci oriuntur ex contradictione; *Est quidem utile, sed difficile*, *parvum*, *injucundum*, *periculosum*.

Tamen quibusdam videtur esse nonnunquam de jucunditate sola consultatio: ut si de ædificando theatro, instituendis ludis, deliberetur. Sed neminem adeo solutum luxu puto, ut nihil in causa suadendi sequatur præter voluptatem. Præcedat enim semper aliquid necesse est; ut in ludis, honor deorum, in theatro, non inutilis laborum remissio, deformis et incommoda turbæ, si id non sit, conflictatio: et nihilo minus eadem illa religio, cum theatrum veluti quoddam illius sacri templum vocabimus.

Sæpe vero et utilitatem despiciendam esse dicimus, ut honesta faciamus: ut cum illis Opertiginis damus consilium, ne se hostibus dedant, quanquam perituri sint, nisi fecerint. Et utilia honestis præferimus: ut cum suademus, ut bello Punico servi armentur. Sed tamen neque *hic* plane concedendum est, esse id inhonestum; liberos enim natura omnes, et eisdem constare elementis, et fortasse antiquis etiam nobilibus ortos, dici potest: et *illic*, ubi manifestum periculum est, opponenda alia; ut cru-

(1) *Opitergium*, oppidum Italiæ, non procul a Venetiis: ex quo mille juvenes, bello inter Pompeium et Cæsarem exorto, in parva rate circumventi, mutuis ictibus concidere maluerunt, quam se hosti trucidandos relinquere. Vid. Flor. Epit. 4, 2, 35. De Saguntinis vid. Liv. 21, 14. O.

melius etiam perituros affirmemus, si se dediderint, sive hostis non servaverit fidem, sive Cæsar vicerit, quod est vero similis.

Hæc autem, quæ tantum inter se pugnant, plerumque nominibus deflecti solent. Nam et utilitas ipsa expugnatur ab iis, qui dicunt non solum potiora esse honesta, quam utilia, sed ne utilia quidem esse, quæ non sunt honesta: et contra, quod nos honestum, illi vanum, ambitiosum, stolidum, verbis quam re probabilius vocant. Nec tantum inutilibus comparantur utilia, sed inter se quoque ipsa: ut si ex duobus eligamus, in altero quid sit magis, in altero quid sit minus. Crescit hoc adhuc. Nam interim triplices etiam suasoriæ incidunt: ut cum Pompeius deliberavit, *Parthos*, an *Africanam*, an *Ægyptum* peteret. Ita non tantum, utrum sit melius, sed quid sit optimum, quæritur: itemque contra.

Nec unquam incidet in hoc genere materiæ dubitatio rei, quæ undique secundum nos sit. Nam ubi contradictioni locus non est, quæ potest esse causa dubitandi? Ita fere omnis suasoria nihil est aliud quam comparatio: videndumque, quid consecuturi simus, et per quid; ut æstimari possit, plus in eo quod petimus sit commodi, an vero in eo per quod petimus incommodi. Est utilitatis et in tempore quæstio; *Expedit, sed non nunc*: et in loco; *Non hic*: et in persona; *Non nobis; non contra hos*: et in genere agendi; *Non sic*: et in modo; *Non in tantum*.

Sed personam sæpius decoris gratia intuemur, quæ et in nobis, et in iis qui deliberant, spectanda est. Itaque, quamvis exempla plurimum in consiliis possunt, quia facillime ad consentiendum homines ducuntur experimentis, refert tamen quorum auctoritas, et quibus adhibeatur. Diversi sunt enim deliberantium animi, duplex conditio. Nam consultant aut plures, aut singuli: sed in utrisque differentia; quia et in pluribus multum interest, Senatus sit, an populus; Romani, an Fidenates; Græci, an Barbari: et in singulis, Catoni petendos honores suadeamus, an C. Mario; de ratione belli Scipio prior, an Fabius deliberet. Proinde intuenda, *sexus, dignitas, ætas*. Sed *mores* præcipue discrimen dabunt.

Et honesta quidem honestis suadere facillimum est: si vero apud turpes recta obtinere conabimur, ne videamur exprobrare diversam vitæ sectam, cavendum est: et animus deliberantis, non ipsa honesti natura, quam ille non respicit, permovendus; sed laude, vulgi opinione, et, si parum proficiet hæc vanitas, secutura ex his utilitate; aliquanto vero magis objiciendo aliquos, si diversa fecerit,

metus. Nam præter id, quod his levissimi cujusque animus facillime terretur, nescio an etiam naturaliter apud plurimos plus valeat malorum timor, quam spes bonorum: sicut facilius eisdem turpium, quam honestorum, intellectus est.

Aliquando bonis quoque suadentur parum decora, dantur parum bonis consilia, in quibus ipsorum qui consulunt spectatur utilitas. Nec me fallit, quæ statim cogitatio subire possit legentem; *Hoc ergo præcipis? et hoc fas putas?* Poterat me liberare M. Cicero, qui ita scribit ad Brutum: (1) *Propositis plurimis, quæ honeste suaderi Cæsari possent, sinne bonus vir, si hæc suadeam? Minime. Suasoris enim est finis, utilitas ejus cui quisque suadet. At recta sunt. Quis negat? sed non est semper rectis in suadendo locus.* Sed quia est altior quæstio, nec tantum ad suasorias pertinet, destinatus est mihi hic locus duodecimo, qui summus futurus est, libro. Nec ego quidquam fieri turpiter velim: verum interim hæc vel ad scholarum exercitationes pertinere credantur; nam et iniquorum ratio noscenda est, ut melius æqua tueamur; interim, si quis bono inhonesta suadebit, meminerit, non suadere tanquam inhonesta; ut quidam declamatores Sextum Pompeium ad piraticam, propter hoc ipsum, quod turpis ac crudelis sit, impellunt; sed dandus illis deformibus (2) *color*, idque etiam apud malos. Nec enim est quisquam tam malus, ut malus videri velit. Sic Catilina apud Sallustium loquitur, ut rem sceleratissimam non malitia, sed indignatione videatur audere. Sic Atreus apud Varium:

Jam fero (inquit) infandissima, jam facere cogor.

Quanto magis eis, quibus cura famæ fuit, conservandus est hic vel (3) ambitus? Quare et cum Ciceroni dabimus consilium, ut Antonium roget, vel etiam ut Philippicas, ita vitam pollicente eo, exurat, non cupiditatem lucis allegabimus, (hæc enim si valet in animo ejus, tacentibus quoque nobis valet) sed ut se Reipublicæ servet, hortabimur. Hac illi opus est occasione, ne eum talium precum pudeat. Et C. Cæsari suadentes regnum, affirmabimus,

(1) Non extat quidem in Ciceronis operibus hæc epistola; cujus utique fragmentum illud Fabio debemus. O.

(2) Sententiam vix honestam verbis fecit speciosam. Sic deformi vultu qui sunt, fucato colore imbuti speciem quandam pulcritudinis præ se ferunt. Hunc locum respicere videtur Juvencialis Sat. VI. 279.

“ Dic aliquem sodes hic Quinctiliane *colorem*,” O.

(3) Ambitiosa boni nominis in speciem captatio.

stare jam rempublicam nisi uno regente non posse. Nam qui de re nefaria deliberat, id solum quærit, quo modo quam minimum peccare videatur.

Multum refert etiam, quæ sit persona suadentis; et quia anteacta vita, si illustris fuit, aut clarius genus, aut ætas, aut fortuna, affert expectationem, providendum est, ne quæ dicuntur, ab eo qui dicit, dissentiant. At his contraria submissiorem quandam modum postulant. Nam quæ in aliis libertas est, in aliis licentia vocatur. Et quibusdam sufficit auctoritas; quosdam ratio ipsa ægre tuetur. ʚ

Ideoque longe mihi difficillimæ videntur (1) *prosopopœiæ*, in quibus ad reliquum suasoriæ laborem accedit etiam personæ difficultas. Namque idem illud aliter Cæsar, aliter Cicero, aliter Cato suadere debet. Utillissimâ vero hæc exercitatio, vel quod duplicis est operæ, vel quod poetis quoque, aut historiarum futuris scriptoribus plurimum confert: verum et oratoribus necessaria; nam sunt multæ a Græcis Latinisque compositæ orationes, quibus alii uterentur, ad quorum conditionem vitamque aptanda, quæ dicebantur, fuerunt. An eodem modo cogitavit, aut eandem personam induit (2) Cicero, cum scriberet Cn. Pompeio, et cum C. Appio, cæterisve? ac non, uniuscujusque eorum fortunam, dignitatem, res gestas intuitus, omnium, quibus vocem dabat, etiam imaginem expressit? ut melius quidem, sed tamen ipsi, dicere videntur. Neque enim minus vitiosa est oratio, si ab homine, quam si a re, cui accommodari debuit, disidet. Ideoque Lysias optime videtur in iis, quæ scribebat indoctis, servasse veritatis fidem.

Enimvero præcipue declamatoribus considerandum est, quid cuique personæ conveniat; qui paucissimas controversias ita dicunt ut (3) advocati; plerumque filii, patres, divites, senes, asperi, lenes, avari, denique superstitiosi, timidi, derisores fiunt: ut vix comœdiarum actoribus plures habitus in pronuntiando concipiendi sint, quam his in dicendo. Quæ omnia videri possunt *prosopopœiæ*;

(1) Hic per *prosopopœias* intelligit declamationes, in quibus aliquem de-liberantem inducimur: alienam personam gerimus. Dicit autem eas esse *duplicis operæ*, quia in iis et suaderi oportet, et servari decorum personæ.

(2) Cicero aliquando nobilibus Romanis orationes scribebat, quas illi ediscebant, et in Senatu, aut apud populum pronuntiabant. *Turn.*

(3) In scholasticis declamationibus agebant, non ut advocati, ut patroni; sed ut rei ipsi; filii, patres, &c. Itaque *prosopopœiæ* nullo alio a suasoriis quam persona distant; quia in suasoria sub persona nostra suademus, in *prosopopœia* idem facimus sub aliena.

quas ego suasoriis subjeci, quia nullo alio ab his quam persona distant. . . .

Non simplex autem circa suasorias error in plerisque declamatoribus fuit, qui dicendi genus in his diversum, atque in totum illi judiciali contrarium esse existimaverunt. Nam et principia abrupta, et concitatum semper orationem, et in verbis effusiosem (ut ipsi vocant) cultum affectaverunt, et earum breviores utique (1) commentarios quam judicialis materiæ facere elaboraverunt.

Ego porro, ut proæmio video non utique opus esse suasoriis, propter quas dixi supra causas, ita cur initio furioso sit exclamandum, non intelligo: cum proposita consultatione rogatus sententiam, si modo est sanus, non (2) *Quiritet*, sed quam maxime potest civili et humano ingressu mereri assensum deliberantis velit.

Cur autem torrens, et utique æqualiter concitata sit in ea dicentis oratio, cum vel præcipue moderationem rationemque consilia desiderent? Neque ego negaverim, sæpius (3) subsidere in controversiis impetum dicendi proæmio, narratione, argumentis: quem si detrahas, id fere supererit, quo suasoriæ constant. Verum id quoque æqualius erit, non tumultuosius atque turbidius.

Verborum autem magnificentia non validius est affectanda suasorias declamantibus; sed contingit magis. Nam et personæ fere magnæ fingentibus placent, *regum, principum, populi, senatus*, et res ampliores. Ita, cum verba rebus aptentur, ipso materiæ nitore clarescunt. Alia veris consiliis ratio est: ideoque Theophrastus quam maxime remotum ab omni affectatione in *deliberativo* genere voluit esse sermonem, secutus in hoc auctoritatem præceptoris sui, quanquam dissentire ab eo non timide solet. Namque Aristoteles idoneam maxime ad scribendum *demonstrativam*, proximamque ab ea *judicalem* putavit: videlicet, quoniam prior illa tota esset ostentationis, hæc secunda egeret artis, vel ad fallendum, si ita popos-

(1) Breviores orationes faciendas putaverunt in genere *deliberativo*, quam in *judiciali*.

(2) *Quiritare* dicitur is, qui *Quiritium* fidem clamans implorat.

(3) Fateor in genere *judiciali* sæpius impetum dicendi *subsidere*, imminui, sedari: id est minorem esse dicendi acrimoniam in *exordio*, quod lenè; in *narratione*, quæ perspicua et fluens; in *confirmatione*, quæ subtilis esse debet. *Quem* impetum si *detrahas* a genere *judiciali*, id fere in eo *supererit*, quo *suasoriæ constant*. Id est, manebit oratio gravis illa quidem, sed non impetuosa; et talem quoque desiderat *suasorium* genus. Verum hæc vis et acrimonia, quæ remoto impetu superest, instar rapidi fluminis intra ripas æqualius fluet, non more torrentis tumultuosius atque turbidius huc et illic rapietur. *Ex Fino.*

eisset utilitas; *consilia* fide prudentiaque constarent. Quibus in *demonstrativa* consentio; nam et omnes alii scriptores idem tradiderunt: in *judiciis* autem, *consiliisque*, secundum conditionem ipsius quæ tractabitur rei accommodandam dicendi credo rationem. Nam et Philippicis Demosthenis eisdem, quibus habitas in *judiciis* orationes, video eminere virtutibus: et Ciceronis (1) sententiæ et conciones non minus clarum, quam est in accusationibus ac defensionibus, eloquentiæ lumen ostendunt. Dicit tamen de suasoria idem hoc modo: *Tota autem oratio simplex et gravis et sententiis debet ornatior esse quam verbis*. Usus exemplorum nulli materiæ magis convenire, merito fere omnes consentiunt, cum plerumque videantur respondere futura præteritis, habeaturque experimentum velut quoddam rationis testimonium.

Brevitas quoque aut copia non genere materiæ, sed modo constat. Nam ut in *consiliis* plerumque simplicior quæstio est, ita sæpe in causis minor.

Quæ omnia vera esse sciet, si quis non orationes modo, sed historias etiam (namque in his conciones atque sententiæ plerumque suadendi ac dissuadendi funguntur officio) legere maluerit, quam in commentariis rhetorum consenescere. Inveniet enim nec in *consiliis* abrupta initia, et concitatius sæpe in *judiciis* dictum, et verba aptata rebus in utroque genere, et breviores aliquando causarum orationes quam sententiarum.

Ne illa quidem in his vitia deprehendet, quibus quidam declamatores laborant, quod et contra sententibus inhumane conviciantur, et ita plerumque dicunt, tanquam ab iis qui deliberant utique dissentiant: itaque objurgantibus similiores sunt, quam suadentibus. Hæc adolescentes sibi scripta sciant, ne aliter quam dicturi sint exerceri velint, et in desuescendis morentur. Cæterum, cum advocari cœperint in *consilia* amicorum, dicere sententiam in senatu, suadere si quid consullet princeps, quod præceptis fortasse non credunt, usu docebuntur.

IX. NUNC de *judiciali* genere; quod est præcipue multiplex, sed officii constat duobus, *intentionis* ac *depulsivis*: cujus partes, ut plurimis auctoribus placuit, quinque sunt, *proæmium*, *narratio*, *probatio*, *refutatio*, *peroratio*. His adjecerunt quidam *partitionem*, *propositionem*, *excessum*: quarum priores duæ *probationi* succedunt. . . *Egressio* vero, vel (quod usitatius esse cœpit)

(1) *Sententiæ* in Senatu dictæ, ut in Antonium et Catilinam. *Conciones* habitæ ad populum, ut pro lege Manilia, in Rullum.

excessus, sive est extra causam, non potest esse pars causæ; sive est in causa, adiutorium vel ornamentum partium earum est, ex quibus egreditur. Nam si quidquid in causa est pars causæ vocabitur, cur non *argumentum*, *similitudo*, *locus communis*, *affectus*, *exempla*, partes vocentur? Tamen nec iis assentior, qui detrahunt *refutationem*, tanquam *probationi* subjectam, (1) ut Aristoteles: hæc enim est quæ constituat, illa quæ destruat. Hoc quoque idem aliquatenus novat, quod *proæmio* non *narrationem* subjungit, sed *propositionem*.

Verum ex his quas constitui partibus, non, ut quidque primum dicendum, ita primum cogitandum est: sed ante omnia intueri oportet, quod sit *genus causæ*, quid in ea *queratur*, quid *prosit*, quid *noceat*: deinde, quid *confirmandum* sit, ac *refellendum*: tum, quo modo *narrandum*: *expositio* enim, probationum est præparatio; nec esse utilis potest, nisi prius constiterit quid debeat de probatione promittere: postremo intuendum, quemadmodum *judex* sit conciliandus. Neque enim, nisi totis causæ partibus diligenter inspectis, scire possumus, qualem nobis cognoscentis animum facere expediat, severum an mitem, concitatum an remissum, adversum gratiæ an obnoxium.

Nec ideo tamen eos probaverim, qui scribendum quoque proæmium novissime putant. Nam, ut conferri materiam omnem oportet, et quid quoque loco sit opus constare debet, ante quam dicere aut scribere ordiamur, ita incipiendum ab iis quæ prima sunt. Nam nec pingere quisquam aut fingere cœpit a pedibus: nec denique ars ulla consummatur ibi, unde ordiendum est. Quid fiet alioqui, si spatium componendi orationem stylo non fuerit? nonne et nos hæc inversa consuetudo deceperit? (2) *Inspicienda* igitur materia est, quo præcepimus ordine; *scribenda*, quo dicimus.

(1) Hæc, ut et alia quam plurima Aristoteli objecta, traxisse videtur Fabius ex Aristotele male intellecto, vel memoriter citato; quod profecto non nisi injuria fieri utrumque nemo negabit. Talem vero injuriam Aristoteles, si quis alius, a censoribus tam veteribus quam novis frequenter passus est; quod multis verbis possumus ostendere, *sed nunc non erat his locus*. Aristotelis tamen subinde *fidus interpret* est Fabius. O.

(2) *Conferenda* omnis materia et *inspicienda* est, ante quam dicere aut scribere ordiamur, eo ordine quo supra præcepimus, *genus causæ*, &c. sed *scribenda* et *componenda* eodem ipso ordine quo postea dicturi sumus. O.

M. FABII QUINTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER IV.

PERFECTO, Marcelle Victori, operis tibi dedicati tertio libro, et jam quarta fere laboris parte transacta, novæ insuper mihi diligentiae causa, et altior sollicitudo, quale iudicium hominum emereret, accessit. Adhuc enim velut studia inter nos conferebamus: et, si parum nostra institutio probaretur a cæteris, contenti fore domestico usu videbamur, ut tui meique filii formare disciplinam satis putaremus. Cum vero mihi Domitianus Augustus sororis suæ (1) nepotum delegaverit curam, non satis honorem iudiciorum (2) cœlestium intelligam, nisi ex hoc quoque oneris magnitudinem metiar. Quis enim mihi aut mores excolendi sit modus, ut eos non immerito probaverit sanctissimus censor? aut studia, ne fefellisse in his videar principem, ut in omnibus, ita in eloquentia quoque, eminentissimum? Quod si nemo miratur poetas maximos sæpe fecisse, ut non solum initiis operum suorum Musas invocarent, sed proveci quoque longius, cum ad aliquem graviorem venissent locum, repeterent vota, et velut nova precatione uterentur; mihi quoque profecto poterit ignosci, si, quod initio, cum primum hanc ma-

(1) Domitilla, soror Domitiani, filiam habuit Flaviam Domitillam, quæ nupsit Flavio Clementi, consobrino Domitiani, ex quo suscepit duos filios, quorum cura commissa est Fabio. Erant igitur proprie nepotes sororis Domitiani, non, ut Turnebus putat, nepotes ex sorore. V. Dodwell. Ann. Q. c. 34.

(2) Honorem iudicii quod de me tulit *Divus* Domitianus. Impia adulatione! Laudat ut censorem sanctissimum, imo ut Deum, quem ob nefandas libidines nemo non abhorrebat! R. PERP. CENSOR. numm. ant. O.

teriam inchoavi, non feceram, nunc omnes in auxilium deos, ipsunque in primis, quo neque præsentius aliud, neque studiis magis propitium numen est, invocem: ut quantum nobis expectationis adjecit, tantum ingenii adspiret, dexterque ac volens adsit, et me, qualem esse credidit, faciat.

Cujus mihi religionis non hæc sola ratio, quæ maxima est, sed alia, qua sic procedit ipsum opus, ut majora præteritis, ac magis ardua sint, quæ ingredior. Sequitur enim, ut *judicialium causarum*, quæ sunt maxime variæ ac multiplices, *ordo* explicetur: quod *proæmii* sit officium: quæ ratio *narrandi*: quæ *probationum* sit fides, seu proposita confirmamus, seu contra dicta dissolvimus: quanta vis in *perorando*; seu reficienda brevi repetitione rerum memoria est iudicis, sive affectus (quod est longe potentissimum) commovendi. De quibus partibus singulis quidam separatim scribere maluerunt, velut onus totius corporis veriti, et sic quoque complures de unaquaque earum libros ediderunt; quas ego omnes ausus contexere, prope infinitum mihi laborem prospicio, et ipsa cogitatione suscepti muneris fatigor. Sed durandum est, quia cœpimus: et, si viribus deficiemus, animo tamen perseverandum.

I. QUOD *principium* Latine vel *exordium* dicitur, majore quadam ratione Græci videntur *προοίμιον* nominasse: quia a nostris initium modo significatur; illi satis clare partem hanc esse ante ingressum rei, de qua dicendum sit, ostendunt. Nam, sive propterea quod *ὄμιον* cantus est, et citharædi pauca illa, quæ ante quam legitimum certamen inchoent emerendi favoris gratia canunt, *proæmium* vocaverunt, oratores quoque ea, quæ prius quam causam exordiantur ad conciliandos sibi iudicum animos præloquuntur, eadem appellatione signarunt; sive, quod *ὄμιον* iidem Græci *viam* appellant, id quod ante ingressum rei ponitur sic vocare est institutum; certe proæmium est, quod apud iudicem dici, prius quam causam cognoverit, prosit. . .

Causa principii nulla est alia, quam ut auditorem, quo sit nobis in cæteris partibus accommodatior, præparemus. Id fieri tribus maxime rebus, inter auctores plurimos constat, si *benevolum*, *attentum*, *docilem* fecerimus: non quia ista non per totam actionem sint custodienda, sed quia in initiis maxime necessaria; per quæ in animum iudicis, ut procedere ultra possimus, admittimur.

Benevolentiam aut a *personis* ducimus, aut a *causis* accipimus. Sed *personarum* non est, ut plerique crediderunt,

triplex tantum ratio, ex *litigatore*, *adversario*, et *judice*: nam exordium duci nonnunquam etiam ab *actore causæ* solet. Quanquam enim pauciora de se ipso dicit, et parcius: plurimum tamen ad omnia momenti est in hoc positum, si vir bonus creditur. Sic enim continget, ut non studium advocati videatur afferre, sed pene testis fidem. Quare in primis existimetur venisse ad agendum ductus officio, vel cognationis, vel amicitiae, maximeque, si fieri poterit, reipublicæ, aut alicujus certe non mediocris exempli. Quod sine dubio multo magis ipsis litigatoribus faciendum est, ut ad agendum magna atque honesta ratione, aut etiam necessitate, accessisse videantur.

Sed ut præcipua in hoc dicentis auctoritas, si omnis in subeundo negotio suspicio sordium, aut odiorum, aut ambitionis, abfuerit; ita quædam in his quoque commendatio tacita, si nos infirmos, et impares ingeniis contra agentium, dixerimus, qualia sunt pleraque Messalæ proœmia. Est enim naturalis favor pro laborantibus: et judex religiosus libentissime patronum audit, quem justitiæ suæ minime timet. Inde illa veterum circa occultandam eloquentiam simulatio, multum ab hac nostrorum temporum jactatione diversa.

Vitandum etiam, ne contumeliosi, maligni, superbi, maledici, in quemquam hominem ordinemve videamur, præcipueque eorum, qui lædi nisi aversa judicum voluntate non possunt. Nam, in judicem ne quid dicatur, non modo palam, sed quod omnino intelligi possit, stultum erat monere, nisi fieret.

Etiam *partis adversæ patronus* dabit exordio materiam: interim cum honore: si, eloquentiam ejus ac gratiam nos timere fingendo, ut ea suspecta sint judici fecerimus: interim per contumeliam: sed hoc perquam raro; ut Asinius pro Urbinæ hæredibus Labienum adversarii patronum inter argumenta causæ male posuit. Negat hæc esse proœmia Cornelius Celsus, quia sint extra litem. Sed ego, cum auctoritate summorum oratorum magis ducor, tum pertinere ad causam puto, quidquid ad dicentem pertinet: cum sit naturale, ut judices iis, quos libentius audiunt, facilius etiam credant.

Ipsius autem *litigatoris* persona tractanda varie est. Nam tum dignitas ejus allégatur, tum commendatur infirmitas: nonnunquam contingit relatio meritorum: de quibus verecundius dicendum erit sua, quam aliena, laudanti. Multum agit sexus, ætas, conditio; ut in feminis, senibus, pupillis; liberos, parentes, conjuges allégantibus. Nam sola rectum quoque judicem inclinat

miseratio. Degustanda tamen hæc procœmio, non consumenda.

Adversarii vero persona prope iisdem omnibus, sed a contrario ductis, impugnari solet. Nam et potentes sequitur invidia, et humiles abjectosque contentio, et turpes ac nocentes odium: quæ tria sunt ad alienandos iudicum animos potentissima. Neque hæc dicere satis est, quod datur etiam imperitis: pleraque augenda, aut minuenda, ut expediet: hoc enim oratoris est, illud causæ.

Judicem conciliabimus nobis, non tantum laudando eum; quod et fieri cum modo debet, et est tamen parti utrique commune; sed si laudem ejus ad utilitatem nostræ causæ conjunxerimus, ut allegemus pro honestis dignitatem illi suam, pro humilibus justitiam, pro infelicibus misericordiam, pro læsis severitatem, et similiter cætera.

Mores quoque, si fieri potest, iudicis velim nosse. Nam prout asperi, leues, jucundi, graves, duri, remissi erunt, aut assumere in causam naturas eorum qua competent, aut mitigare qua repugnabunt, oportebit.

Accidit autem interim hoc quoque, ut aut nobis inimicus, aut adversario sit amicus, qui iudicat: quæ res utrique parti tractanda est; ac nescio an ei magis, in quam videtur propensior. Est enim nonnunquam pravis iudicibus hic ambitus, adversus amicos, aut pro his quibuscum simulatas gerant, pronuntiandi, faciendique injuste, ne fecisse videantur.

Fuerunt etiam quidam rerum suarum iudices. Nam et in libris observationum a Septimio editis, affuisse Ciceronem tali causæ invenio: et ego pro regina Berenice (1) apud eam ipsam dixi. Similis hic quoque superioribus ratio est. (2) *Adversarius* enim fiduciam partis suæ jactat, *patronus* timet cognoscentis verecundiam.

Præterea detrahenda vel confirmanda opinio, si quam præcipue domo videbitur iudex attulisse. Metus etiam nonnunquam est amovendus; ut Cicero pro Milone, ne arma Pompeii contra se disposita putarent, laboravit: nonnunquam adhibendus; ut idem in Verrem facit: sed adhibendi modus alter ille frequens est et favorabilis;

(1) Agrippæ, qui sub Claudio diem suum obiit, filia; Agrippæ, sub quo Hierosolyma capta, soror; Titi Vespasiani amica, vel uxor adeo. G. ex Dodwell. Ann. Q. c. 18. O.

(2) Orator qui agit adversus *Judicem*, jactat fiduciam suæ partis, quæ nihil timet a suo iudice, licet eundem adversarium et iudicem habeat. Contra, *patronus* qui pro iudice stat, timere se significat, ne in malo pudore contra se ipsum pronuntiet, licet justa sit ejus causa.

*Ne male sentiat populus Romanus; Ne iudicia transfe-
rantur:* alter autem asper et rarus; quo minatur corruptis
accusationem. Et id quidem in concilio ampliore utcun-
que tutius; nam et mali inhibentur, et boni gaudent;
apud singulos vero nunquam suaserim, nisi defecerint
omnia: quod si necessitas exigit, non erit jam ex arte
oratoria; non magis quam appellare, etiamsi id quoque
sæpe utile est; aut, antequam pronuntiet, reum facere:
nam et minari et deferre, etiam non orator potest.

Si *causa conciliandi nobis iudicis materiam dabit*, ex
hac potissimum aliqua in usum *principii*, quæ maxime
favorabilia videbuntur, decerpi oportebit. . . Quæ sint
porro in causis *favorabilia*, enumerare non est necesse:
quoniam et manifesta erunt, cognita cujusque contro-
versis conditione, et omnia colligi in tanta litium varie-
tate non possunt. Ut autem *hæc* invenire et augere, ita
quod *lædit* aut omnino repellere aut certe minuere, ex
causa est.

Miseratio quoque aliquando ex eadem venit, sive quid
passi sumus grave, sive passuri. Nec enim sum in hac
opinionem, qua quidam, ut eò distare *proœmium* ab *epilogo*
credam, quod in hoc præterita, in illo futura dicantur;
sed quod in *ingressu* parcius et modestius prætentanda est
iudicis misericordia, in *epilogo* vero liceat totos effundere
affectus, et fictam orationem induere personis, et de-
functos excitare, et pignora eorum producere: quæ minus
exordiis sunt usitata: sed hæc, quæ supra dixi, (1) non
inovere tantum, verum ex diverso amoliri quoque pro-
œmio, opus est. Ut autem nostrum miserabilem, si vin-
camur, exitum, ita adversariorum superbum, si vicerint,
utile est credi.

Sed ex iis quoque, quæ non sunt *personarum* nec *cau-
sarum*, verum *adjuncta* personis et causis, duci proœmia
solent. Personis applicantur non *pignora* modo, de qui-
bus supra dixi, sed *propinquitates*, *amicitiæ*, interim *re-
giones* etiam, *civitatesque*, et si quid aliud ejus quem de-
fendimus causa dici potest. Ad causam extra pertinet
tempus; unde principium pro Cælio: *locus*; unde pro
Deiotaro: *habitus*; unde pro Milone: *opinio*; unde in
Verrem: deinceps, ne omnia enumerentur, *fama iudici-
orum*; *expectatio vulgi*: nihil enim horum in causa est,
ad causam tamen pertinet. Adjicit Theophrastus ab
actione principium, quale videtur esse Demosthenis pro
Ctesiphonte, ut sibi dicere suo potius arbitrio liceat

(1) *Non modo non*, ut apud Ciceronem; adeo non movenda sunt illa in
proœmio, ut e contrario amolenda magis. O.

rogantis, quam eo modo quem accusator actione præscripserat.

Fiducia ipsa solet opinione arrogantiae laborare. Faciunt favorem et illa, pene communia, non tamen omitienda, vel ideo, ne occupentur; *optare, abominari, rogare, sollicitum agere.*

Quæ plerumque *attentum* quoque judicem faciunt; si res agi videtur nova, magna, atrox, pertinens ad exemplum: præcipue tamen, si iudex aut sua vice aut reipublicæ commovetur; cujus animus spe, metu, admonitione, precibus, (1) vanitate denique, si id profuturum credimus, agendum est. Sunt et illa excitandis ad audiendum non inutilia, si nos neque diu moraturos, neque extra causam dicturos existiment.

Docilem sine dubio et hæc ipsa præstat attentio: sed et illud, si breviter et dilucide summam rei, de qua cognoscere debeat, indicaverimus: quod Homerus atque Virgilius operum suorum principiis faciunt. Nam istius rei modus est, ut propositioni similior sit, quam expositioni; nec quo modo quidque sit actum, sed de quibus dicturus sit orator, ostendat. Nec video quod hujus rei possit apud oratores reperiri melius exemplum, quam Ciceronis pro Cluentio: *Aninadverti, iudices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes; quarum altera mihi niti et magnopere confidere videbatur invidia jam inceterata iudicii Juniani; altera tantummodo consuetudinis causa timide et diffidenter attingere rationem beneficii criminum, qua de re lege est hæc questio constituta.* Id tamen totum respondententi facilius est, quam proponenti: quia (2) hic admonendus iudex, illic docendus est.

Nec me quamquam magni auctores in hoc duxerint, ut non semper facere attentum ac docilem judicem velim: non quia nesciam id quod ab illis dicitur, esse pro mala causa, qualis ea sit non intelligi; verum quia istud non negligentia iudicis contingit, sed errore. Dixit enim adversarius, et fortasse persuasit: nobis opus est ejus diversa opinione; quæ mutari non potest, nisi illum fecerimus ad ea, quæ dicemus, docilem et attentum. Quid ergo? Imminuenda quædam, et elevanda, et quasi contemnenda esse consentio, ad remittendam intentionem iudicis, quam adversario præstat; ut fecit pro Ligario

(1) Laudibus, quæ plerumque falsæ aut vanæ sunt.

(2) Ab eo qui proponit, iudex docendus est, quia res est nova: ab eo qui respondet, monendus tantum, quia notum jam id, de quo agitur.

Cicero. Quid enim agebat aliud ironia illa, quam ut Cæsar minus se in rem, tanquam non novam, intenderet? Quid pro Cælio, quam ut res expectatione minor videretur?

Verum ex iis quæ proposui, aliud in alio genere causæ desiderari palam est. Genera porro causarum plurimi quinque fecerunt, *honestum, humile, dubium* vel *anceps, admirabile, obscurum*: id est, ἔνδοξον, ἄδοξον, ἀμφίδοξον, παράδοξον, διαπαράλογον. Sunt, quibus recte videatur adjici *turpe*; quod alii *humili*, alii *admirabili* subjiciunt. *Admirabile* autem vocant, quod est præter opinionem hominum constitutum. In *incipiti* maxime benevolum iudicem, in *obscuro* docilem, in *humili* attentum parare debemus. Nam *honestum* quidem ad conciliationem satis per se valet: in *admirabili* et *turpi*, remediis opus est.

Et eo quidam exordium in duas dividunt partes, *principium* et *insinuationem*: ut sit in principiis recta benevolentia et attentionis postulatio: quæ quia esse in turpi genere causæ non possit, insinuatio surrepat animis, maxime ubi frons causæ non satis honesta est, vel quia res sit improba, vel quia hominibus parum probetur: aut (1) si facie quoque ipsa premitur, vel invidia consistentis ex diverso patroni, aut patris, vel miserabilis senis, cæci, infantis.

Et quidam, quibus adversus hæc modis sit medendum, verbosius tradunt, materiasque sibi ipsi fingunt, et ad morem actionum persequuntur: sed hæc, cum oriantur ex causis, quarum species consequi omnes non possumus nisi generaliter comprehendantur, in infinitum sunt extrahendæ. Quare singulis consilium ex propria ratione nascetur.

Illud in universum præceptum sit, ut ab iis quæ lædunt ad ea quæ prosunt refugiamus. Si causa laborabimus, persona subveniat; si persona, causa: si nihil quod nos adjuvet erit, quæramus quid adversarium lædat. Nam ut optabile est, plus favoris mereri; sic proximum, odii minus. In iis quæ negari non poterunt, elaborandum, ut aut minora, quam dictum est, aut alia mente facta, aut nihil ad præsentem quæestionem pertinere, aut emendari posse pœnitentia, aut satis jam punita, videantur. Ideoque agere advocato quam litigatori facilius: quia et laudat sine arrogantia crimine, et aliquando utiliter etiam

(1) Si cliens adversus patronum, aut filius adversus patrem agat, facies ipsa et præsentia utriusque, aut invidia quæ inde nascitur, clientem aut filium premit. R. Notanda metaphora; pr. frons, mox tota facies. O.

reprehendere potest. Nam se quoque moveri irriterim fingit, ut pro Rabirio Posthumo Cicero, dum aditum sibi ad aures faciat; et auctoritatem induit vera sententis, quo magis credatur vel defendenti eadem vel neganti.

His etiam de causis insinuatione videtur opus esse; si adversarii actio iudicum animos occupaverit, vel si dicendum apud fatigatos est: quorum alterum, promittendo nostras probationes, et adversas eluendo, vitabimus; alterum, et spe brevitatis, et iis, quibus attentum fieri iudicem docuimus. Et urbanitas opportuna reficit animos, et undecunque petita iudicis voluptas levat tædium. Non inutilis etiam est ratio occupandi quæ videntur obstare: ut Cicero dicit, *Scire se, mirari quosdam, quod is, qui per tot annos defenderit multos, laserit neminem, ad accusandum Verrem descenderit*: deinde (1) ostendit hanc ipsam sociorum defensionem. Quod schema *πρόληψις* dicitur. . . .

Verum, quoniam non est satis demonstrare discentibus, quæ sint in ratione proœmii, sed dicendum etiam quo modo perfecti facillime possint; hoc adjicio, ut dicturus intueatur, quid, apud quem, pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum statu, qua vulgi fama, dicendum sit; quid iudicem sentire credibile sit, antequam incipiamus: tum, quid aut desideremus, aut deprecemur. Ipsa illam natura eo ducet, ut sciat quid primum dicendum sit. At nunc omne quod cœperint, proœmium putant; et ut quidque succurrerit, utique si aliqua sententia blandiatur, exordium. Multa autem sine dubio ex alijs partibus sunt, aut alijs partibus causæ communia: nihil tamen in quaque melius dicitur, quam quod æque bene dici alibi non possit.

Multum gratiæ exordio est, quod ab actione adversæ partis materiam trahit; hoc ipso, quod, non compositum domi, sed ibi atque e re natum, et facilitate famam ingenii auget, et facie simplicis suntque e proximo sermonis fidem quoque acquirit: adeo ut, etiam si reliqua scripta atque elaborata sint, tamen plerumque videatur tota extemporalis oratio, cujus initium nihil præparatum habuisse manifestum est.

Frequentissime vero proœmium decebit et sententiarum et compositionis et vocis et vultus modestia: adeo ut in genere causæ etiam indubitabili fiducia se ipsa niniuræ excrere non debeat. Odit enim iudex fere litigantis se-

(1) Ostendit hanc ipsam Verri accusationem esse sociorum defensionem.

curitatem; cumque jus suum intelligat, tacitus reverentiam postulat.

Nec minus diligenter, ne suspecti simus in illa parte, vitandum: propter quod minime ostentari debet in principii cura; quia videtur ars omnis dicentis contra judicem adhiberi. Sed ipsum istud evitare, summæ artis est. Nam id sine dubio ab omnibus, et quidem optime, præceptum est: verum aliquatenus temporum conditione mutatur; quia jam quibusdam in judiciis, maximeque capitalibus, ut et apud Centumviros, ipsi judices exigunt sollicitas et accuratas actiones, contempnuntque se, nisi in dicendo etiam diligentia appareat, credunt; nec doceri tantum, sed etiam delectari volunt. Et est difficilis hujus rei moderatio: quæ tamen ita temperari potest, ut videamur accurate, non callide dicere.

Illud ex præceptis veteribus manet; ne quod insolens verbum, ne audacius translatum, ne aut ab obsoleta vetustate, aut a poetica licentia suntum, in *principio* deprehendatur. Nondum enim recepti sumus, et custodit nos recens audientium intentio. Magis conciliatis animis, et jam calentibus, hæc libertas feretur, maximeque cum in locos fuerimus ingressi, quorum naturalis ubertas licentiam verbi notari circumfuso nitore non patitur.

Nec argumentis autem, nec locis, nec narrationi similis esse in proœmio debet oratio: (1) neque tamen deducta semper, atque circumlata, sed sæpe simplici ac illaboratæ similis, nec verbis vultuque nimia promittens. Dissimulata enim, et, ut Græci dicunt, ἀνεπίφατος actio melius sæpe surrepit. Sed hæc, prout formari animos judicum expediet.

Turbari memoria, vel continuandi verba facultate destitui, nusquam turpius: cum vitiosum proœmium possit videri ut cicatricosa facies: et pessimus certe gubernator, qui navem, dum portum egreditur, impēgit.

Modus autem principii, pro causa: nam brevius simplices, longius perplexæ suspectæque et infames, desiderant. Ridendi vero, qui velut leges proœmiis omnibus dederunt, ut intra quatuor sensus terminarentur. Nec minus evitanda est immodica ejus longitudo, ne in caput excrevisse videatur, et quo præparare debet fatiget.

Sermonem a persona judicis aversum, quæ ἀποστογή dicitur, quidam in totum a proœmio submovent; nonnulla quidem in hanc persuasionem ratione ducti: nam prorsus

(1) *Deducta*: tenuis et subtilis. *Circumlata*: periodica; quæ certo verborum circuitu et numero comprehenditur.

esse hoc magis secundum naturam confitendum est, ut eos alloquamur potissimum, quos conciliare nobis studeamus. Interim tamen est et hic necessarius sensus aliquis: et is acrior fit atque vehementior ad personam directus alterius. Quod si accidat, quo jure, aut qua tanta superstitione prohibemur dare per hanc figuram sententiæ vires? Nec enim istud scriptores *Artium*, quia non liceat, sed quia non putent utile, vetant. Ita, si vincet utilitas, propter eandem causam facere debemus, propter quam vetamur. Et Demosthenes ad Æschinæ orationem in procæmio convertit, et Marcus Tullius, cum pro aliis quibusdam ad quos ei visum est, tum pro Ligario ad Tuberonem. Nam erat multo futura languidior, si esset aliter figurata. Quod facilius cognoscet, si quis illam totam partem vehementissimam, cujus hæc forma est, *Habes igitur, Tubero, quod est accusatori maxime optandum*, et cætera, convertat ad judicem: tum enim vere aversa videatur oratio, et languescat vis omnis, dicentibus nobis, *Habet igitur Tubero, quod est accusatori maxime optandum*. Illo enim modo pressit atque institit; hoc tantum indicasset. Quod idem in Demosthene, si flexum illum mutaveris, accidet. Quid? non Sallustius directo ad Ciceronem, in quem ipsum dicebat, usus est principio, et quidem protinus? *Graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, Marce Tulli*: sicut et Cicero fecerat in Catilinam: *Quousque tandem abutere patientia nostra?*

Ac, ne quis *apostrophæ* miretur, idem Cicero pro Scauro ambitus rei *prosopopæia* loquentis pro reo utitur: pro Rabirio vero Posthumo, eodemque Scauro reo repetundarum, etiam *exemplis*: pro Cluentio (ut modo ostendi) *partitione*. Non tamen hæc, quia possunt bene aliquando fieri, passim facienda sunt; sed quoties præceptum vicerit ratio: quo modo et *similitudine*, dum brevi, et *translatione*, atque aliis tropis (quæ omnia cauti illi ac diligentes prohibent) utemur interim: nisi si cui divina illa pro Ligario ironia, de qua paulo ante dixeram, displicet.

Alia exordiorum vitia verius tradiderunt. Quod in plures causas accommodari potest, *vulgare* dicitur: id minus favorabile, aliquando tamen non inutiliter assumimus, a magnis sæpe oratoribus non evitatum. Quo et adversarius uti potest, *commune* appellatur. Quod adversarius in suam utilitatem deflectere potest, *commutabile*. Quod causæ non cohæret, *separatum*. Quod aliunde trahitur, *translatum*. Præterea quod *longum*, quod *contra præcepta* est. Quorum pleraque non principii modo sunt vitia, sed totius orationis.

Hæc de *proœmio*; quoties erit ejus usus: non semper autem est: nam et supervacuum aliquando est; ut si sit præparatus satis etiam sine hoc iudex, aut si res præparatione non egeat. Aristoteles quidem in totum id necessarium apud bonos iudices negat. Aliquando tamen uti nec si velimus eo licet, cum iudex occupatus, cum angusta sunt tempora, cum major potestas ab ipsa re cogit incipere.

Contraque, est interim proœmii vis etiam non in exordio, Nam iudices et in narratione nonnunquam, et in argumentis, ut attendant, et ut faveant, rogamus: quo Prodiens velut dormitantes eos excitari putabat; quale est Ciceronis: *Tum C. Vareus, is qui a familia Anchariana occisus est: hoc, queso, Iudices, diligenter attendite.* Uti que, si multiplex causa est, sua quibusque partibus danda præfatio est: ut, *Audite nunc reliqua: et, Transeo nunc illuc.* Sed in ipsis etiam probationibus multa funguntur proœmii vice, ut facit Cicero pro Cluentio, dicturus contra censors; pro Murena, cum Servio se excusat. Verum id frequentius est, quam ut exemplis confirmandum sit.

Quoties autem proœmio fuerimus usi, tum, sive ad expositionem transibimus, sive protinus ad probationem, id debet in principio postremum esse, cui commodissime jungi initium consequentium poterit.

Illam vero frigida et puerilis est in scholis affectatio, ut ipse transitus efficiat aliquam utique sententiam, et hujus velut præstigie plausum petat: ut Ovidius lascivire in Metamorphosi solet; quem tamen excusare necessitas potest, res diversissimas in speciem unius corporis colligentem. Oratori vero quid est necesse surripere hanc transgressionem, et iudicem fallere, qui, ut ordini rerum animum intendat, etiam commonendus est? Peribit enim prima pars expositionis, si iudex narrari nondum sciet. Quapropter, ut non abrupte cadere in narrationem, ita non obscure transcendere, est optimum.

Si vero longior sequetur ac perplexa magis expositio, ad eam ipsam præparandus erit iudex: ut Cicero sapius, sed hoc præcipue loco, fecit: *Paulo longius exordium rei demonstrande repetam; quod, queso, iudices, ne molestè patiamini: principis enim cogitis, multo facilius extrema intelligetis.* Hæc fere mihi sunt de exordio comperta.

II. MAXIME naturale est, et fieri frequentissime solet, ac debet, ut præparato per hæc, quæ supra dicta sunt, iudice, res, de qua pronuntiaturus est, indicetur. Ea est *narratio*. . .

Plerique semper narrandum putaverunt: quod falsum esse pluribus coarguitur. Sunt enim ante omnia quædam tam breves causæ, ut propositionem potius habeant, quam narrationem.

Id accidit aliquando utrique parti, cum vel nulla expositio est, vel de re constat, de jure quæritur: ut apud centumviros: *Filius an frater debeat esse intestato hæres?* Aut cum est quidem in re narrationi locus, sed aut ante judici nota sunt omnia, aut priore loco recte exposita.

Accidit aliquando alteri, et sæpius actori causæ; vel quia satis est proponere, vel quia sic magis expedit. Satis est dixisse: [*Certam*] *creditam pecuniam peto ex stipulatione; Legatum peto ex testamento.* Diversæ partis expositio est, cur ea non debeantur. Et satis est actori, et magis expedit sic indicare: *Dico ab Horatio sororem suam interfectam.* Namque et propositione iudex crimen omne cognoscit, et ordo, et causa facti pro adversario magis est. Reus contra tunc narrationem subtrahit, cum id, quod obijcitur, nec negari, nec excusari potest, sed in sola juris quæstione consistit; ut in eo, qui, cum pecuniam privatam ex æde sacra surripuit, sacrilegii reus est, confessio verecundior quam expositio: *Non negamus, pecuniam de templo esse sublatam: calumniatur tamen accusator actione sacrilegii, cum privata fuerit, non sacra: vos autem de hoc cognoscetis, An sacrilegium sit admissum?*

Sed ut has aliquando non narrandi causas puto, sic ab illis dissentio, qui non esse narrationem existimant, cum reus, quod obijcitur, tantum negat. In qua est opinione Cornelius Celsus, qui . . non putat esse narrationem, nisi quæ summam criminis, de quo iudicium est, continet. .

Ego autem, magnos alioqui secutus auctores, duas esse in iudiciis narrationum species existimo: alteram ipsius causæ, alteram rerum ad causam pertinentium, expositionem. *Non occidi hominem,* nulla narratio est: sed erit aliqua, et interim etiam longa, circa argumenta ejus criminis, de anteacta vita, de causis propter quas innocens in periculum deducatur, aliisque, quibus incredibile id quod obijcitur fiat. Nec enim accusator hoc tantum dicit, *Occidisti;* sed, quibus id probet, narrat: ut in tragædiis, cum Teucer Ulyssem reum facit Ajacis occisi, dicens, inventum eum in solitudine, juxta exanime corpus inimici, cum gladio cruento; non id modo Ulysses respondet, non esse a se id facinus admissum, sed sibi nullas cum Ajace inimicitias fuisse: de laude inter ipsos certatum: deinde subjungit, quo modo in eam solitudinem venerit, jacentem exanimem sit conspicatus, gladium

e vulnere extraxerit. His subtexitur argumentatio. Sed ne illud quidem sine narratione est, dicente accusatore; Fuisti in eo loco, in quo tuus inimicus occisus est: *Non fui*: dicendum enim, *ubi fuerit*.

Quare ambitus quoque causæ et repetundarum hoc etiam plures ejusmodi narrationes habere poterunt, quo plura crimina: in quibus ipsa quidem neganda sunt, sed argumentis expositione contraria resistendum, interdum singulis, interdum universis. An reus ambitus male narrabit, quos parentes habuerit, quemadmodum ipse vixerit, quibus meritis fretus ad petitionem descenderit? Aut, qui repetundarum insimulabitur, et anteactam vitam, et quibus causis vel provinciam universam, vel accusatorem aut testem offenderit, non utiliter exponet? Quæ si narratio non est, ne illa quidem. Ciceronis pro Cluentio prima, cujus est initium: *A. Cluentius Habitus*. Nihil enim hic de veneficio, sed de causis quibus ei mater inimica sit, dicit.

Illæ quoque sunt pertinentes ad causam, sed non ipsius causæ, narrationes: vel exempli gratia; ut in Verrem de L. Domitio, qui pastorem, quod is aprum, quem ipsi muneri obtulerat, exceptum esse a se venabulo confessus esset, in crucem sustulit: vel discutiendi alicujus extrinsecus criminis; ut pro Rabirio Posthumo: *Nam ut ventum Alexandriam est ad Auletem, judices, hæc una ratio a rege proposita Posthumo est servandæ pecuniæ, si curationem et quasi dispensationem regiam suscepisset*: vel augendi; ut describitur iter Verris.

Ficta interim narratio introduci solet, vel ad concitandos judices, ut pro Roscio contra Chrysogonum . . vel ad solvandos aliqua urbanitate, ut pro Cluentio contra fratres Cepasios: interdum per digressionem, decoris gratia, qualis rursus in Verrem de Proserpina: *In his quondam locis mater filiam quæsisse dicitur*. Quæ omnia eo pertinent, ut appareat, non utique non narrare eum qui negat, sed illud ipsum narrare quod negat.

Nec hoc quidem simpliciter accipiendum, quod est a me positum, supervacnam esse narrationem rei quam judex noverit: quod sic intelligi volo, si non modo factum quid sit, sciet, sed ita factum etiam, ut nobis expedit, opinabitur. Neque enim narratio in hoc reperta est tantum, ut cognoscat judex, sed aliquanto magis, ut consentiat. Quare, etiam si non erit docendus, sed aliquo modo afficiendus, narrabimus cum præparatione quadam: *Scire quidem eum in summa, quid actum sit, tamen rationem quoque facti cujusque cognoscere ne grave-tur*. Interim propter aliquem in consilium adhibitum

nos repetere illa simulemus; interim ut rei, quæ ex ad verso proponatur, iniquitatem omnes etiam circumstantes intelligant. In quo genere plurimis figuris erit varianda expositio, ad effugiendum tædium nota audientis: sicut, *Meministi: et, Fortasse supervacuum fuerit hic commorari: Sed quid ego diutius, cum tu optime noris? Illud quale sit, tu scias: et his similia.* Alioqui, si apud judicem, cui nota causa est, narratio semper videtur supervacua, potest videri non semper esse etiam ipsa actio necessaria.

Alterum est, de quo frequentius quæritur; *An sit utique narratio proæmio subjicienda?* Quod qui opinantur, non possunt videri nulla ratione ducti. Nam, cum proæmium idcirco comparatum sit, ut judex ad rem accipiendam fiat conciliator, docilior, et intentior; et probatio, nisi causa prius cognita, non possit adhiberi; protinus notitia rerum instruendus videtur.

Sed hoc quoque interim mutat conditio causarum: nisi forte Marcus Tullius in oratione pulcherrima, quam pro Milone scriptam reliquit, male distulisse narrationem videtur, tribus præpositis quæstionibus: aut profuisset exponere, quo modo insidias Miloni fecisset Clodius, si remm qui a se hominem occisum fateretur, defendi omnino fas non fuisset; aut si jam præjudicio Senatus damnatus esset Milo; aut si Cn. Pompeius, qui propter aliquam gratiam iudicium militibus armatis clauserat, tanquam adversus existimaretur. Ergo hæc quoque quæstiones vim proæmii obtinebant, cum omnes iudicem præparaverint. Sed aliter pro L. Murena, postea quoque narravit, cum objecta diluit. Quod fiet utiliter, quoties crimen non repellendum tantum, sed etiam transferendum erit; ut, prius his defensis, velut initium sit alium culpandi narratio: ut in armorum ratione antiquior cavendi, quam ictum inferendi, cura est.

Erunt quædam causæ (neque id raro) crimen quidem, de quo cognitio est, faciles ad diluendum, sed et multis antea actæ vitæ flagitiis, et gravibus criminibus oneratæ: quæ prius amolienda sunt, ut propitius iudex defensionem ipsius negotii, cujus propria quæstio est, audiat: ut, si defendendus est M. Cælius, nonne optime patronus occurrat prius conviciis luxuriæ, petulantia, impudicitia, veneficii, in quibus solis omnis Ciceronis versatur oratio? tum narret de bonis (1) Pallæ, totamque de vi explicet causam, quæ est ipsius actione defensa? .

Nunc quæ sit ratio narrandi, subjungam. *Narratio*

(1) Male quidam, *paullatim*; et varie legitur totus hic locus. De bonis Pallæ vid. Cic. pro Cælio, c. 10. O.

est rei factæ, vel ut factæ, utilis ad persuadendum expositio: vel, ut Apollodorus finit, oratio docens auditorem, quid in controversia sit. Eam plerique scriptores, maxime qui sunt ab Isocrate, volunt esse *lucidam, brevem, verisimilem*. . Eadem nobis placet divisio: quanquam et (1) Aristoteles ab Isocrate parte in una dissenserit, præceptum *brevitatis* irridens, tanquam necesse sit longam aut brevem esse expositionem, nec liceat ire per medium. Theodori quoque solam relinquunt ultimam partem, quia nec breviter utique, nec dilucide, semper sit utile exponere. Quo diligentius distinguenda sunt singula, ut, quid quoque loco prosit, ostendam. Narratio est aut tota pro nobis, aut tota pro adversariis, aut mixta ex utrisque.

Si erit tota pro nobis, contenti simus iis tribus partibus, per quas efficitur, quo iudex facilius *intelligat, meminerit, credat*. Nec quisquam reprehensione dignum putet, quod proposerim, eam, quæ sit tota pro nobis, debere esse *verisimilem*, cum vera sit. Sunt enim plurima vera quidem, sed parum credibilia, sicut falsa quoque frequenter verisimilia. Quare non minus laborandum est, ut iudex, quæ vera dicimus, quam quæ fingimus, credat.

Sunt quidem hæ, quas supra retuli, virtutes aliarum quoque partium. Nam et per totam actionem vitanda est obscuritas, et modus ubique custodiendus, et credibilia esse oportet omnia quæ dicuntur: maxime tamen hæc in ea parte custodienda sunt, quæ prima iudicem docet; in qua si acciderit, ut aut non intelligat, aut non meminerit, aut non credat, frustra in reliquis laborabimus.

Erit autem aperta narratio atque *dilucida*, si fuerit primum exposita verbis propriis et significantibus, et non sordidis quidem, non tamen exquisitis, et ab usu remotis; tum distincta rebus, personis, temporibus, locis, causis; ipsa etiam pronuntiatione in hoc accommodata, ut iudex, quæ dicuntur, quam facillime accipiat.

Quæ quidem virtus negligitur a plurimis, qui, ad clamorem dispositæ vel etiam forte circumfusæ multitudinis compositi, non ferunt illud intentionis silentium; nec sibi discreti videntur, nisi omnia tumultu ac vociferatione concusserint: rem indicare, sermonis quotidiani et in quemcunque etiam indoctorum eadentis existimant; cum interim, quod tanquam facile contemnunt, nescias præstare minus velint, an possint. Neque enim aliud in eloquentia, cuncta experti, difficilius reperient, quam id,

(1) Rhet. 3, 16. Nempe Aristoteles το μετρίως præcipi satis putabat, quippe qui το ἔν semper τῷ μετρίως inesse censeret. O.

quod se dicturos fuisse omnes putant, postquam audierunt: quia non bona iudicant esse illa, sed vera: tum autem optime dicit orator, cum videtur vera dicere. At nunc, velut campum nacti expositionis, hic potissimum et vocem flectunt et cervicem reponunt et brachium iu latus jactant, toloque et rerum et verborum et compositionis genere lasciviunt: deinde, quod sit monstro simile, placet actio, causa non intelligitur. Verum hæc omittamus, ne minus gratiæ præcipiendo recta, quam offensæ reprehendendo prava, mereamur.

Brevis erit narratio ante omnia, si inde cœperimus rem exponere, unde ad iudicem pertinet; deinde, si nihil extra causam dixerimus; tum etiam, si reciderimus omnia, quibus sublatis nec cognitioni quidquam nec utilitati detrahatur. Solet enim esse quædam partium brevitatis, quæ longam tamen efficit summam: *In portum veni, navim prosperi, quanti veheret interrogavi, de pretio conveni, conscendi, sublatae sunt anchorae, solvimus oram, provecti sumus.* Nihil horum dici celerius potest; sed sufficit dicere, *e portu navigavi.* Et, quoties exitus rei satis ostendit priora, debemus hoc esse contenti, quo reliqua intelliguntur. Quare, cum dicere liceat, *Est mihi filius juvenis, omnia illa supervacua, Cupidus ego liberorum uxorem duxi, natum sustuli, filium educavi, in adolescentiam perduxi.*

Non minus autem cavenda erit, quæ nimium corripientes omnia sequitur, obscuritas: satiusque est aliquid narrationi superesse, quam deesse. Nam supervacua cum tædio dicuntur, necessaria cum periculo subtrahuntur. Quare vitanda etiam illa Sallustiana, quanquam in ipso virtutis locum obtinet, brevitatis, et abruptum sermonis genus; quod otiosum fortasse lectorem minus fallit, audientem transvolat, nec dum repetatur expectat: cum præsertim lector non fere sit nisi eruditus; iudicem ruræ plerumque in (1) decurias mittant, de eo pronuntiatum, quod intellexerit: ut fortasse ubique, in narratione tamen præcipue, media hæc tenenda sit via, dicendi quantum opus est, quantum satis est.

Quantum opus est autem, non ita solum accipi volo, quantum ad *indicandum* sufficit; quia non inornata debet esse brevitatis: alioqui sit indocta: nam et fallit voluptas, et minus longa quæ delectant videntur: ut amœnum ac

(1) E iudicibus multi agriculturæ dediti manebant in villis: unde veniebant in urbem ad exercenda iudicia. Porro in *decurias*, sive in certas portiones, erant divisi. *R.* Ianuit iudices non esse *eruditos nimium.* *O.*

molle iter, etiam si est spatii amplioris, minus fatigat, quam durum arduumque compendium. Nec enim mihi unquam tanta fuerit cura brevitatis, ut non ea, quæ credibilem faciunt expositionem, inseri velim. Simplex enim, et undique præcisa, non tam *narratio* potest vocari, quam *confusio*.

Sunt porro multæ conditione ipsa rei longæ narrationes, quibus extrema (ut præcepi) proœmii parte ad intentionem præparandus est iudex: deinde curandum, ut omni arte vel ex spatio ejus detrahamus aliquid, vel ex tædio.

Ut minus longa sit, efficiemus, quæ poterimus differendo, non tamen sine mentione eorum quæ differemus: *Quas causas occidendi habuerit, quos assumserit conscios, quemadmodum disposuerit insidias, probationis loco dicam.* Quædam verò ex ordine prætermittenda, quale est apud Ciceronem: *Moritur Fulcinus. Multa enim quæ sunt in re, quia remota sunt a causa, prætermittam.*

Ac partitio tædium levat: *Dicam quæ acta sunt ante ipsum rei contractum, dicam quæ in re ipsa, dicam quæ postea:* ita tres potius modicæ videbuntur narrationes, quam una longa. Interim expediet expositiones brevi interfatione distinguere: *Audistis quæ ante acta sunt; accipite nunc quæ insequuntur:* reficietur enim iudex priorum sine, et se velut ad novum rursus initium præparabit.

Si tamen, adhibitis quoque his artibus, in longum exierit ordo rerum, erit non inutilis in extrema parte comonitio; quod Cicero etiam in brevi narratione facit: *Adhuc, Cæsar, Q. Ligarius omni culpa caret: domo est egressus, non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem belli suspicionem, et cætera.*

Credibilis autem erit narratio ante omnia, si prius consuluerimus nostrum animum, ne quid naturæ dicamus adversum: deinde, si causas ac rationes factis præposuerimus; non omnibus, sed de quibus quæritur: si personas convenientes iis, quæ facta credi volumus, constituerimus; ut furti reum, *cupidum;* adulterii, *libidinosum;* homicidii, *temerarium:* vel contra, si defendemus: præterea, *loca, tempora,* et similia.

Est autem quidam etiam *ductus rei* credibilis, qualis in comœdiis et in mimis: aliqua enim naturaliter sequuntur et cohærent; ut, si bene priora narraveris, iudex ipse, quod postea sis narraturus, expectet.

Ne illud quidem fuerit inutile, semina quædam probationum spargere; verum sic, ut narrationem esse meminimus, non probationem. Nonnunquam etiam argu-

mento aliquo confirmabimus quod proposuerimus; sed simplici et brevi; ut in veneficiis, *Sanus bibit, statim concidit, livor ac tumor confestim est insectus.*

Hoc faciunt et illæ præparationes, cum reus dicitur *robustus, armatus, sollicitus*, contra *infirmos, inermes, securos*. Omnia denique, quæ probatione tractaturi sumus, *personam, causam, locum, tempus, instrumentum, occasionem*, narratione delibabimus.

Aliquando, si destituti fuerimus his, etiam fatebimur, *Vix esse credibile, sed verum*: et, *Hoc majus habendum scelus: Nescire nos quomodo factum sit, aut quare: Mirari; sed probaturos.*

Optimæ vero præparationes erunt, quæ latuerint, ut a Ciceronæ sunt quidem utilissime prædicta omnia, per quæ *Miloni Clodius, non Clodio Milo*, insidiatus esse videatur; plurimum tamen facit illa callidissima simplicitatis imitatio: *Milo autem, cum in Senatu fuisset eo die, quoad Senatus est dimissus, domum venit; calceos et vestimenta mutavit; paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est.* Quam nihil præparato, nihil festinato fecisse videtur Milo! Quod non solum rebus ipsis vir eloquentissimus, quibus moras et lentum professionis ordinem ducit, sed verbis etiam vulgaribus et quotidianis, et arte occulta, consecutus est: quæ si aliter dicta essent, strepitu ipsum iudicem ad custodiendum patronum excitassent. Frigida videntur ista plerisque: sed hoc ipsum manifestum est quo modo iudicem fefellerit, quod vix a lectore deprehenditur.

Hæc sunt quæ credibilem faciunt expositionem. Nam, ne contraria aut sibi repugnantia in narratione dicamus, si cui præcipiendum est, is reliqua frustra docetur: etiamsi quidam scriptores *Artium* hoc quoque tanquam occultum, et a se prudenter erutum, tradunt.

His tribus narrationi virtutibus adjiciunt quidam *magnificentiam*, quam *μεγαλοπρέπειαν* vocant: quæ neque in omnes causas cadit (nam quid in plerisque judiciis privatis, de re (1) credita, locato et conducto, interdictis, habere loci potest supra modum se tollens oratio?) nec semper est utilis, ut vel proximo exemplo Miloniano patet. Et meminimus, multas esse causas, in quibus confitendum, excusandum, submittendum sit, quod exponimus: quibus omnibus aliena est illa magnificentiae virtus. Quare non

(1) Importunum illud *certa* omitti curavimus; ortum nempe ex compendio *creta pro credita*. Hanc licentiam nobis, juniorum commodo consulentibus, facile condonabunt eruditi. Ita p. 104. *certain* uncis inclusimus. O.

magis proprium narrationis est, *magnifice* dicere, quam *miserabiliter, invidiose, graviter, dulciter, urbane*, quæ, cum suo quæque loco sint laudabilia, non sunt huic parti proprie assignata, et velut dedita.

Illa quoque, ut narrationi apta, ita cum cæteris partibus communis est virtus, quam Theodectes huic uni proprie dedit: non enim *magnificam* modo vult esse, verum etiam *jucundam* expositionem.

Sunt qui adjiciant his *evidentiam*, quæ ἐπίδειξις Græce vocatur. Neque ego quenquam deceperim, ut dissimulem, Ciceroni quoque plures partes placere. Nam, præterquam *planam, et brevem, et credibilem*, vult esse *evidentem, moratam, cum dignitate*. Sed in oratione morata debent esse omnia; cum dignitate, quæ poterunt. *Evidentia* in narratione, quantum ego intelligo, est quidem magna virtus, cum quid veri non dicendum, sed quodammodo etiam ostendendum est: sed subjici perspicuitati potest; quam quidam etiam contrariam interim putaverunt, quia in quibusdam causis obscuranda veritas est: quod est ridiculum: nam qui obscurare vult, narrat falsa pro veris; et in iis quæ narrat debet laborare, ut videantur quam evidentissima.

Sed quatenus etiam sorte quadam pervenimus ad difficilius narrationum genus, jam de his loquamur, in quibus res contra nos erit: quo loco nonnulli prætereundam narrationem putaverunt. Et sane nihil est facilius, nisi prorsus totam causam omnino non agere. Sed si aliqua justa ratione hujusmodi susceperis litem, cujus artis est, malam esse causam silentio confiteri? nisi forte tam hebes futurus est iudex, ut secundum id pronuntiet, quod sciet narrare non voluisse. Neque infitias eo, in narratione, ut aliqua neganda, aliqua adjicienda, aliqua mutanda, sic aliqua etiam tacenda: sed tacenda, quæ tacere oportebit, et liberum erit. Quod fit nonnunquam brevitas quoque gratia, quæ illud est: *Respondit quod ei visum est*.

Distinguamus igitur genera causarum. Namque, in quibus non de *culpa* quaritur, sed de *actione*, etiam si erunt contra nos themata, confiteri nobis licebit: *Pecuniam de templo sustulit; sed privatam: non ideo sacrilegus est*. Verum in his quoque confessionibus est aliquid, quod ex invidia, quam expositio adversarii fecit, detrahi possit, cum etiam servi nostri de peccatis suis mollius loquantur. Quædam enim quasi non narrantes mitigabimus: Non quidem (ut adversarius dicit) consilium furti in templum attulit, nec diu captavit ejus rei tempus: sed occasione et absentia custodum corruptus, et pecunia, quæ

nimum quam in animis hominum potest, victus est. Sed quid refert? peccavit, et fur est: Nihil attinet id defendere, cujus pœnam non recusamus. Interdum quasi damnemus ipsi. .

Nonnunquam propositione præmuniri potest causa, et deinde exponi. Contraria sunt omnia tribus filiis, qui in mortem patris conjurarant: sortiti nocte singuli per ordinem cum ferro cubiculum intrarunt patre dormiente: cum occidere eum nemo potuisset, excitato omnia indicarunt. Si (1) tamen pater, qui divisit (2) patrimonium, et reos parricidii defendit, sic agat: Quod contra legem sufficit, parricidium objicitur juvenibus, quorum pater vivit, atque etiam liberis suis adest: ordinem rei narrare quidem nihil necesse est, cum ad legem nihil pertineat: sed, si confessionem culpæ meæ exigitis, ego fui pater durus, et patrimonii, quod jam melius ab his administrari poterat, tenax custos: Deinde subjicitur: Stimulatos ab iis, quorum indulgentiores parentes erant; semper tamen eum habuisse animum, qui sit eventu deprehensus, ut occidere patrem non possent: nec enim jurejurando opus fuisse, si alioqui hoc mentis habuissent; nec sorte, nisi quod se quisque eximi voluerit: Omnia hæc, qualiacunque, placidioribus animis accipientur, illa brevi primæ propositionis defensione mollita.

At, cum quæritur, *an factum sit, vel, quale factum sit*, licet omnia contra nos sint, quo modo tamen evitare expositionem salva causæ ratione possumus? Narravit accusator; nec ita, ut quæ essent acta tantum indicaret; sed adjecit invidiam, rem verbis exasperavit, accesserunt probationes, peroratio incendit, et plenos iræ reliquit. Expectat naturaliter judex, quid narretur a nobis. Si nihil exponimus, illa esse quæ adversarius dixit, et talia qualia dixit, credat necesse est.

Quid ergo? eadem exponemus? Si de *qualitate* agetur, ejus tum demum quæstio est cum de *re* constat, eadem; sed non eodem modo: alias causas, aliam atque aliam rationem dabo. Verbis elevare quædam licebit: *luxuria hilaritatis*, *avaritia parsimonie*, *negligentia simplicitatis* nomine lenietur. Vultu denique, voce, habitu, vel favoris aliquid, vel miserationis merebor. Solet nonnunquam movere lacrymas ipsa confessio.

(1) Diu suspensus manet sensus ob longam patris orationem, usque ad hæc verba: *omnia hæc, &c.*

(2) Liberis scilicet. Intelligere opus est, legem fuisse, ne filii, qui parricidium fecissent, aliquid de bonis patris caperent. Igitur in hoc themate gentiles et agnati petunt hæreditatem, filiosque accusant. *Turn.*

Atque ego libenter interrogem, sintne illa defensuri quæ non narraverint, necne? Nam, si neque defenderint, neque narraverint, tota causa prodetur. At, si defensuri sunt, proponere certe plerumque id, quod confirmaturi sumus, oportet. Cur ergo non exponamus quod et dilui potest? Ut hoc contingat, utique indicandum est. Aut quid inter *probationem* et *narrationem* interest, nisi quod narratio est probationis continua propositio, rursus probatio narrationi congruens confirmatio?

Videamus ergo, num expositio hæc longior demum esse debeat, et paulo verbosior præparatione, et quibusdam argumentis dico, non *argumentatione*: cui tamen plurimum confert frequens affirmatio: Effecturos nos quod dicimus; non posse vim rerum ostendi prima expositione; expectent, et opiniones suas differant, et bene sperent. Denique, narrandum est utique, quidquid aliter, quam adversarius exposuit, narrari potest; aut eo etiam præcinia sunt in his causis supervacua: quæ quid magis agunt, quam ut cognitioni rerum accommodatiorem judicem faciant? Atqui constat, nusquam eorum esse majorem usum, quam ubi animus judicis ab aliqua contra nos insita opinione flectendus est.

Conjecturales autem causæ, in quibus de *facto* quæritur, non tam sæpe rei de qua iudicium est, quam eorum per quæ res colligenda est, expositionem habent: quæ, cum accusator suspiciose narret, reus levare suspicionem debeat, aliter ab hoc atque ab illo ad iudicem perferri oportet.

At enim quædam argumenta turba valent; diducta, leviora sunt. Id quidem non eo pertinet, ut quæretur, *An narrandum?* sed, *Quo modo narrandum sit?* Nam et congerere plura expositione quid prohibet, si id utile est causæ, et promittere? sed et dividere narrationem, et probationem subjungere partibus, atque ita transire ad sequentia?

Nam ne iis quidem accedo, qui semper eo putant ordine, quo quid actum sit, esse narrandum; sed, eo modo quo expedit. Quod fieri pluribus figuris licet. Nam et aliquando excidisse simulamus, cum quid utiliore loco reducimus: et interim nos reducturos reliquum ordinem testamur, quia sic futura sit causa lucidior. Interim, re exposita, subjungimus causas quæ antecesserunt. Nec enim est una lex defensionis, certumque præscriptum: pro *re*, pro *tempore*, intuenda quæ prosint; atque, ut erit vulnus, ita vel curandum protinus, vel, si curatio differi potest, interim deligandum.

Nec sæpius narrare duxerim nefas: quod Cicero pro Cluentio fecit; estque non concessum modo, sed aliquando etiam necessarium, ut in causis repetundarum, omnibusque quæ simplices non sunt. Amentis est enim, superstitione præceptorum contra rationem causæ trahi. Narrationem ideo ante probationes ponere est institutum, ne iudex, qua de re quærat, ignoret. Cur igitur, si singula probanda aut refellenda erunt, non singula etiam narrentur? Me certe, quantacunque nostris experimentis habenda est fides, fecisse hoc in foro, quoties ipsa desiderabat utilitas, probantibus et eruditis, et iis qui iudicabant, scio: et (quod non arroganter dixerim, quia sunt plurimi, quibuscum egi, qui me refellere possint si mentiar) fere ponendæ a me causæ officium exigebatur. Neque ideo tamen non sæpius facere oportebit, ut rerum ordinem sequamur. Quædam vero etiam turpiter convertuntur: ut, si *peperisse* narres, deinde *concepisse: apertum testamentum*, deinde *signatum*. In quibus si id quod posterius est dixeris, de priore tacere optimum est.

Sunt quædam et falsæ expositiones, quarum in foro duplex est genus: alterum, quod instrumentis adjuvatur; ut Publius Clodius fiducia testium, qua nocte incestum Romæ commiserat, Interamnæ se fuisse dicebat: alterum, quod est tuendum dicentis ingenio. Id interim ad solam verecundiam pertinet, unde etiam mihi videtur dici (1) *color*; interim ad quæstionem.

Sed, utrumcunque erit, prima sit curarum, ut id quod fingimus fieri possit: deinde, ut et personæ et loco et tempori congruat, et credibilem rationem et ordinem habeat; si continget etiam, ut veræ alicui rei cohæreat, aut argumento, quod sit in causa, confirmetur. Nam quæ tota extra rem petita sunt, mentiendi licentiam prouident.

Curandum præcipue, quod fingentibus frequenter accidit, ne qua inter se pugnent: quædam enim partibus blandiuntur, sed in summam non consentiunt: præterea, ne iis quæ vera esse constabit aduersa sint: in schola etiam, ne *color* extra themata quærat. Utrobique autem orator meminisse dehebit actione tota quid finxerit, quoniam solent excidere quæ falsa sunt: verumque est illud, quod vulgo dicitur, *Mendacem memorem esse oportere*.

(1) Quid sibi velit iste in scholis rhetorum decantatus *color*, vid. pag. 88, et sæpe alias. Pauca hic edit. Rollinianæ adjecimus, quibus omissis male cohærebant sententiæ. O.

Fingenda vero meminerimus ea quæ non cadent in testem. Sunt autem, quæ nostro dicuntur (1) animo, cujus ipsi tantum conscius sumus: item quod a defunctis; nec enim hoc est qui neget: itemque ab eo cui idem expediet; is enim non negabit: ab adversario quoque; quia non est habiturus in negando fidem. Somniorum et superstitionum colores ipsa jam facilitate auctoritatem perdidērunt.

Non est autem satis in narratione uti *coloribus*, nisi per totam actionem consentiant: cum præsertim quorundam probatio sola sit in asseveratione et perseverantia: ut ille parasitus, qui ter abdicatum a divite juvenem, et (2) absolutum, tanquam suum filium asserit, habebit quidem *colorem*; quo dicat, et paupertatem sibi causam exponendi fuisse, et ideo a se parasi personam esse susceptam, quia in illa domo filium haberet; et ideo illum innocentem ter abdicatum, quia filius abdicantis non esset: nisi tamen omnibus verbis et amorem patrium, atque hunc quidem ardentissimum, ostenderit, et odium divitis, et metum pro juvene, quem periculose mansurum in illa domo, in qua tam invisus sit, sciat; suspicione (3) subjecti petitoris non carebit.

Quod si pars expositionis pro nobis, pars contra nos erit; miscenda sit, an separanda narratio, cum ipsa causæ conditione deliberandum est. Nam si plura sunt quæ nocent, quæ prosunt obruentur. Itaque tunc dividere optimum erit, et iis, quæ partem nostram adjuvabunt, expositis et confirmatis, adversus reliqua uti remediis de quibus supra dictum est. Si plura proderunt, etiam conjungere licebit; ut quæ obstant in medio, velut auxiliis nostris, posita minus habeant virium: quæ tamen non erunt nuda ponenda; sed ut et nostra aliqua argumentatione firmemus, et, diversa cur credibilia non sint, adjiciamus: quia, nisi distinxerimus, verendum est ne bona nostra permistis malis inquinentur.

Illa quoque de narratione præcipi solent; ne qua ex ea fiat excursio; ne avertatur a iudice sermo; ne alienæ personæ vocem demus; ne argumentemur: adjiciunt quidam etiam, ne utamur affectibus. Quorum pleraque sunt frequentissime custodienda; imo nunquam, nisi ratio coegerit, mutanda: ut sit expositio perspicua et brevis.

(1) *A nobis* sc. ex nostra sententia; nostroque animo et arbitrio. *O.*

(2) Libertum. Valerius scribit, si filius ter abdicatus fuerit, eum non posse invitum in patris familiam et potestatem reduci. *Turn.*

3) Subdititii et dolo malo subornati ad intendendam litem.

Nihil quidem tam raro poterit habere rationem, quam excursio: nec unquam debebit esse, nisi brevis, et talis, ut vi quadam videamur affectus velut recto itinere depulsi; qualis est Ciceronis circa nuptias Sassiæ: *O mulieris scelus incredibile, et præter hanc unam, in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam et indomitam! O audaciam singularem! Non timuisse, si minus vim deorum, hominumque famam, at illam ipsam noctem, facesque illas nuptiales; non limen cubiculi, non cubile filiæ, non parietes denique ipsos, superiorum testes nuptiarum!*

Sermo aversus a iudice et brevius indicat interim, et coarguit magis: qua de re idem, quod de proæmio dixeram, sentio; sicut de prosopopœia quoque: qua tamen non Servius modo Sulpitius utitur pro Aufidia; *Somone te languido, an gravi lethargo, putem oppressum?* sed M. quoque Tullius circa navarchos; nam ea quoque rei expositio est; *Ut adeus, tantum dabis*, et reliqua. Quid? pro Cluentio, Staleni Bulbique colloquium nonne ad celeritatem plurimum et ad fidem confert? Quæ ne fecisse inobservantia quadam videatur, quanquam hoc in illo credibile non est, in *partitionibus* præcipit, ut habeat narratio *suavitatem, admirationes, expectationes, exitus inopinatos, colloquia personarum*, omnes affectus.

Argumentabimur in narratione, ut dixi, nunquam; *argumentum* ponemus aliquando: quod facit pro Ligario Cicero, cum dicit, sic eum provinciæ præfuisse, ut illi pacem esse expediret. Inseremus expositioni et brevem, cum res poseet, defensionem, et rationem factorum. Nec enim narrandum est tanquam testi, sed tanquam patrono. Rei ordo per se talis est: *Q. Ligarius legatus in Africam cum C. Considio profectus est.* Quid ergo M. Tullius? *Q. igitur, inquit, Ligarius, cum esset adhuc nulla belli suspicio, legatus in Africam cum C. Considio profectus est.* Alibi: *Non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspensionem belli.* Et, cum esset indicanti satis, *Q. Ligarius nullo se implicari negotio passus est*, adjecit, *Domum spectans et ad suos redire cupiens.* Ita quod exponere et ratione fecit credibile, et affectus quoque implevit.

Quo magis miror eos, qui in narratione non putant esse utendum affectibus. Qui si hoc dicunt, *non diu, nec ut in epilogo*; mecum sentiunt. Effugiendæ sunt enim moræ. Cæterum, cur ego iudicem nolim, cum eum doceo, etiam moveri? Cur, quod in summa parte sum actionis petiturus, non in primo statim rerum ingressu, si fieri potest, consequar? cum præsertim etiam in pro-

bationibus faciliore sim animo ejus abusus, occupato vel ira, vel miseratione.

An non Marcus Tullius circa verbera civis Romani omnes brevissime movet affectus, non solum conditione ipsius, loco injuriæ, genere verberum, sed animi quoque commendatione? Summum enim virum ostendit, qui, cum virgis cæderetur, non ingemuerit, non rogaverit, sed tantum *civem se Romanum esse*, cum invidia cædentis, et fiducia juris, clamaverit. Quid? Philodami easum nonne cum per totam expositionem incendit invidia, tum in supplicio ipso lacrymis implevit, cum flentes non tam narraret quam ostenderet, patrem de morte filii, filium de patris? Quid ulli epilogi possunt habere miserabile magis? Serum est enim advocare iis rebus affectum in peroratione, quas securus narraveris. Assuevit illis iudex, jamque eas sine motu mentis accipit, quibus commotus novis non est: et difficile est mutare habitum animi semel constitutum.

Ego vero (neque enim dissimulabo iudicium meum, quanquam id, quod sum dicturus, exemplis magis quam præceptis ullis continetur) narrationem, si quam aliam partem orationis, omni qua potest gratia et venere exorandam puto: sed plurimum refert, quæ sit natura ejus rei quam exponimus.

In parvis ergo, quales sunt fere privatae, sit ille pressus, et velut applicitus rei cultus: in verbis summa diligentia, quæ in *locis* impetu ferantur, et circumjectæ orationis copia latent; *hic* expressa, et, ut vult Zeno, *sensu tincta* esse debent: compositio dissimulata quidem, sed tamen quam jucundissima: figuræ, non illæ poeticæ, et contra fidem loquendi auctoritate veterum receptæ, (nam debet esse quam purissimus sermo) sed quæ varietate tædium effugiant, et mutationibus animum levant: ne in eundem casum, similem compositionem, pares elocutionum tractus incidamus. Caret enim cæteris lenociniis expositio, et, nisi commendetur hac venustate, jaceat necesse est. Nec in ulla parte intentior est iudex: eoque nihil recte dictum perit: præterea, nescio quomodo, etiam credit facilius, quæ audienti jucunda sunt; et voluptate ad fidem ducitur.

Ubi vero major res erit, et atrocia invidiose, et tristia miserabiliter dicere licebit: non ut consumantur affectus, sed ut velut primis lineis designentur: ut plane, qualis futura sit imago rei, statim appareat. Ne sententia quidem velut fatigatum intentione stomachum iudicis reficere

dissuaserim, maxime quidem brevi, interjecta, qualis est illa: *Fecerunt servi Milonis, quod suos quisque servos in re tali facere voluisset*: interim paulo liberiore, qualis est illa: *Nubit genero socrus, nullis auspiciis, nullis auctoribus, funestis omnibus omnium*. Quod cum sit factum iis quoque temporibus, quibus omnis ad utilitatem potius quam ad ostentationem componebatur oratio, et erant adhuc severiora judicia; quanto nunc faciendum magis, cum in ipsa capitis aut fortunarum pericula irrupit voluptas? Cui hominum desiderio quantum dari debeat, (1) alio loco dicam. Interim aliquid indulgendum esse confiteor.

Multum confert adjecta veris credibilis rerum imago, quæ velut in rem præsentem perducere audientes videtur.

Ne illud quidem præteribo, quantam afferat fidem expositioni narrantis auctoritas; quam mereri debemus ante omnia quidem vita, sed et ipso genere orationis: quod quo fuerit gravius, sanctius, hoc plus habeat necesse est in affirmando quoque ponderis. Effugienda igitur in hac præcipue parte omnis calliditatis suspicio: neque enim se usquam custodit magis iudex: nihil videatur fictum, nihil sollicitum: omnia potius a causa, quam ab oratore profecta credantur. Sed hoc pati non possumus, et perire artem putamus, nisi appareat: cum desinat ars esse, si apparet. Pendemus ex laude, atque hanc laboris nostri ducimus summam. Ita, quæ circumstantibus ostentare volumus, iudicibus prodimus. . .

III. ORDINE ipso narrationem sequitur *confirmatio*: probanda sunt enim quæ propter hoc exposuimus: sed, priusquam ingrediar hanc partem, pauca mihi de quorundam opinione dicenda sunt.

Plerisque moris est, prolato rerum ordine, protinus utique in aliquem lætum atque plausibilem locum, quam maxime possint favorabiliter, excurrere. Quod quidem, natum ab ostentatione declamatoria, jam in forum venit, postquam agere causas non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum jactationem, repertum est; ne, si pressæ illi (qualis sæpius desideratur) narrationis gracilitati conjuncta argumentorum pugnacitas fuerit, dilatis diutius dicendi voluptatibus oratio refrigescat.

In quo vitium illud est, quod sine discrimine causarum atque utilitatis, hoc, tanquam semper expediat, aut etiam necesse sit, faciunt; eoque desumas ex iis partibus, quarum alius erat locus, sententias in hanc congerunt, ut

(1) Vid. *Proæmium lib. 8 et cap. 3. ejusdem libri.*

plurima aut iterum dicenda sint, aut, quia alieno loco dicta sunt, dici suo non possint.

Ego autem confiteor, hoc expatiandi genus non modo narrationi quidem, sed etiam quæstionibus, vel universis, vel interim singulis, opportune posse subjungi, cum res postulat, aut certe permittit; atque eo vel maxime illustrari ornarique orationem; sed si cohæret et sequitur, non si per vim cuneatur, et, quæ natura juncta erant, distrahit. Nihil enim tam est consequens, quam narrationi probatio: nisi si excursus ille vel quasi finis narrationis, vel quasi initium probationis est. Erit ergo illi nonnunquam locus: ut, si expositio circa finem atrox fuerit, persequamur eam velut spiritu erumpente protinus indignatione. Quod tamen ita fieri oportebit, si res dubitationem non habebit; alioqui prius est, quod objicias, verum efficere, quam magnum: quia criminis invidia pro reo est, priusquam probatur: difficillima est enim gravissimi cujusque sceleris fides.

Idem fieri non inutiliter potest, ut, si merita in adversarium aliqua exposueris, in ingratum inveharis; aut, si varietatem criminum narratione demonstraveris, quantum ab ea periculum intentetur, ostendas: verum hæc breviter omnia: iudex enim, ordine audito, festinat ad probationem, et quam primum certus esse sententiæ cupit: præterea cavendum est, ne ipsa expositio vanescat, aversis in aliud animis, et inani mora fatigatis.

Sed ut non semper est necessaria post narrationem illa prokursio, ita frequenter utilis ante quæstionem præparatio; utique, si prima specie minus erit favorabilis, si legem asperam tuebimur, aut pœnarias actiones inmeremus. Est hic locus velut sequentis exordii, ad conciliandum probationibus nostris iudicem: quod liberius hic et vehementius fieri potest, quia iudici nota jam causa est. His igitur velut fomentis, si quid erit asperum, præmolliemus, quo facilius aures iudicum quæ post dicturi erimus admittant, ne jus nostrum oderint. Nihil enim facile persuadetur invitis. Quo loco tamen iudicis quoque noseenda natura est, *juri* magis an *æquo* sit appositus: proinde enim magis aut minus erit hoc necessarium. Cæterum res eadem et post quæstionem perorationis vice fungitur.

Hanc partem *παρέκβασις* Græci vocant, Latini *egressum*, vel *egressionem*. Sed hæc sunt plures, ut dixi; quæ per totam causam varios habent excursus: ut laus hominum locorumque; ut descriptio regionum, expositio quarundam rerum, non solum gestarum, sed etiam fabulosarum. Quo ex genere est, in orationibus contra Verrem com-

positis, Siciliæ laus, Proserpinæ raptus; pro C. Cornelio, popularis illa virtutum Cn. Pompeii commemoratio: in quam ille divinus orator, velut nomine ipso ducis cursus dicendi teneretur, abrupto quem inchoaverat sermone, devertit actutum.

Παράθεσις est (ut mea quidem fert opinio) alienæ rei, sed ad utilitatem causæ pertinentis, extra ordinem procurrentis tractatio. Quapropter non video, cur hunc ei potissimum locum assignent, qui rerum ordinem sequitur; non magis quam illud, cur hoc ita demum proprium putent, si aliquid in digressu sit exponendum, cum tot modis a recto itinere declinet oratio. Nam quidquid dicitur præter illas quinque quas fecimus partes, egressio est; indignatio, miseratio, invidia, convicium, excusatio, conciliatio, maledictorum refutatio: similia his, quæ non sunt in quæstione; omnis amplificatio, minutio, omne affectus genus: atque ea maxime jucundam et ornatam faciunt orationem, de luxuria, de avaritia, de religione, de officiis; quæ cum sint argumentis subjecta similium rerum, quia cohærent, egredi non videntur.

Sed plurima sunt, quæ rebus nihil secum cohærentibus inserantur, quibus iudex reficitur, admonetur, placatur, rogatur, laudatur. Innumerabilia sunt hæc, quorum alia sicut præparata afferimus, quædam ex occasione vel necessitate dicimus, ut, si quid nobis agentibus novi accidit, interpellatio, interventus alicujus, tumultus. Unde Ciceroni quoque in præmio, cum diceret pro Milone, digredi fuit necesse, ut ipsa oratiuncula, qua usus est, patet. Poterit autem paulo longius exire, qui præparat aliquid ante quæstionem, et qui finitæ probationi velut commendationem adjicit: at, qui ex media erumpit, cito ad id redire debet, unde devertit.

IV. SUNT qui narrationi *propositionem* subjungant, tanquam partem judicialis materiæ: cui opinioni respondimus. Mihi autem propositio videtur omnis, confirmationis initium: (1) quod non modo in ostendenda quæstione principali, sed nonnunquam etiam in singulis argumentis poni solet. Sed nunc de priore loquimur.

Ea non semper uti necesse est: aliquando enim sine propositione quoque satis manifestum est, quid in quæstione versetur; utique, si narratio ibi finem habet, ubi initium quæstio; adeo ut aliquando subjungatur exposi-

(1) Duplex est propositio; altera *generalis*, et totius causæ, quæ breviter com. lectitur, id quod in controversiam venit: altera *specialis*, quæ singulis argumentationibus solet præponi. *Turn.*

tionem, quæ solet in argumentis esse, (1) summa collectio: *Hæc, sicut exposui, ita gesta sunt, iudices: insidiator superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est.*

Sed nonnunquam valde utilis est; præcipue, ubi res defendi non potest, et de fine quæritur: ut pro eo qui pecuniam privatam de templo sustulit: *Sacrilegii agitur; de sacrilegio cognoscitis: ut iudex intelligat, id unum esse officii sui, quærere, An id, quod objicitur, sacrilegium sit?* Item in causis obscuris ac multiplicibus. .

Sunt autem propositiones et *simplices*, et *duplices*, vel *multiplices*. Quod accidit non uno modo: nam et plura crimina junguntur; ut cum Socrates accusatus est, *quod corrumperet juventutem, et novas superstitiones induceret*; et singula ex pluribus colliguntur; ut cum legatio male gesta objicitur (2) *Æschini, quod mentitus sit, quod nihil ex mandatis fecerit, quod moratus sit, quod munera acceperit.* . Hæc si ponantur singulæ subjectis probationibus, plures erunt propositiones: si conjungantur, in partitionem cadent. .

Habet interim vim propositionis, etiam si per se non est propositio; ut cum, exposito rerum ordine, subjicimus, *De his cognoscitis: ut sit hæc commonitio iudicis, quo se ad quæstionem acrius intendat; et quodam velut tactu excitatus finem esse narrationis, et initium probationis intelligat; et, nobis confirmationem ingredientibus, ipse quoque quodammodo novum audiendi sumat exordium.*

V. PARTITIO est nostrarum aut adversarii propositionum, aut utrarumque, ordine collata enumeratio.

Hac quidam utendum semper putant, quod ea fiat et causa lucidior, et iudex intentior ac docilior, si scierit et de quo dicimus, et de quo dicturi postea sumus. Rursus quidam periculosum id oratori arbitrantur, duabus ex causis; quod nonnunquam et excidere soleant quæ promissimus, et, si qua in partiendo præterierimus, occurrere: quod quidem nemini accidit, nisi qui plane vel nullo fuerit ingenio, vel ad agendum nihil cogitati præmeditati- que detulerit. Alioqui quæ tam manifesta et lucida est ratio, quam rectæ partitionis? sequitur enim naturam

(1) Aliquando narrationi subjicitur *summa collectio*, id est, ἀνακεφαλαιωσις eorum quæ in ea dicta sunt, quod fieri solet in argumentis.

(2) Missus est legatus Æschines ad Philippum, regem Macedoniæ, de frædere percutiendo: post accusatus est a Demosthene. Est autem hæc divisio orationis Demosthenis, quam habuit *de male obita legatione*. Turn.

ducem, adeo ut memoriæ id maximum sit auxilium, viâ dicendi non decedere.

Quapropter ne illos quidem probaverim, qui partitionem vetant ultra tres propositiones extendere: quæ sine dubio, si nimium sit multiplex, fugiet memoriam iudicis, et turbabit intentionem: hoc tamen numero velut lege non est alliganda, cum possit causa plures desiderare.

Alia sunt magis propter quæ partitione non semper sit utendum: primum, quia pleraque gratiora sunt, si inventa subito, nec domo allata, sed inter dicendum ex re ipsa nata videantur: unde illa non injucunda schemata: *Pene excidit mihi: et, Fugerat me: et, Recte admones:* propositis enim probationibus, omnis in reliquum gratia novitatis præcerpitur.

Interim vero etiam fallendus est iudex, et variis artibus subeundus; ut aliud agi, quam quod petimus, putet. Nam est nonnunquam dura propositio, quam iudex si providet, non aliter præformidat, quam qui ferrum medici, antequam curetur, aspexit: at si, re non ante proposita, securum ac nulla denuntiatione in se conversum intrarit oratio, efficiet quod promittenti non crederetur.

Interim refugienda non modo distinctio quæstionum est, sed omnino tractatio: affectibus perturbandus, et ab intentione auferendus auditor. Non enim solum oratoris est docere, sed plus eloquentia circa movendum valet. Cui rei contraria est maxime tenuis illa et scrupulosa in partes sectæ divisionis diligentia eo tempore, quo cognoscenti iudicium conamur auferre.

Quid, quod interim quæ per se levia sunt et infirma, turba valent? ideoque congerenda sunt potius; et velut eruptione pugnandum: quod tamen rarum esse debet, et ex necessitate demum, cum ipsum hoc, quod dissimile rationi est, coegerit ratio.

Præter hæc in omni partitione est utique aliquid potentissimum, quod cum audivit iudex, cætera tanquam supervacua gravari solet. Itaque, si plura vel obijcienda sunt vel diluenda, et utilis et jucunda partitio est, ut quid quaque de re dicturi sumus ordine appareat: at, si unum crimen varie defendemus, supervacua: ut, si ita partiamur: Dicam, non talem esse hunc quem tueor, ut in eo credibile videri possit homicidium; dicam, occidendi causam huic non fuisse; dicam, huic eo tempore, quo occisus est homo, trans mare fuisse: omnia, quæ ante quam id quod ultimum est exequeris, inania videri necesse est: festinat enim iudex ad id quod potentissimum

est, et velut obligatum promisso patronum, si est patientior, tacitus appellat; si vel occupatus; vel in aliqua potestate, vel etiam si moribus incompositus, cum convicio efflagitat.

Itaque non defuerunt qui Ciceronis illam pro Cluentio partitionem improbarent, qua se dicturum esse promisit primum; neminem majoribus criminibus, gravioribus testibus in iudicium vocatum, quam Oppianicum: deinde; præjudicia esse facta ab iis ipsis iudicibus, a quibus condemnatus sit: postremo; iudicium pecunia tentatum non a Cluentio, sed contra Cluentium: quia, si probari posset quod est tertium, nihil necesse fuerit dicere priora. Rursus, nemo tam erit aut injustus aut stultus, quin eum fatéatur optime pro Muræna esse partitum: Intellego, iudices, tres totius accusationis partes fuisse, et earum unam in reprehensione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam: nam sic et ostendit lucidissime causam, et nihil fecit altero supervacuum.

De illo quoque genere defensionis plerique dubitant: *Si occidi, recte feci; sed non occidi*: quo enim prius pertinere, si sequens firmum sit? hæc invicem obstare, et utroque utentibus in neutro haberi fidem. Quod sane in parte verum est, et illo sequenti, si modo indubitabile sit, solo utendum; at, si quid in eo quod est fortius timebimus, utraque probatione nitentur: alius enim alio moveri solet; et, qui factum putavit, justum credere potest; qui tanquam justo non movebitur, factum fortasse non credet: ut certa manus uno telo possit esse contenta, incertæ plura spargenda sunt, ut sit et fortunæ locus. Egregie vero Cicero pro Milone insidiatorem primo Clodium ostendit; tum addit ex abundantia, etiam si id non fuisset, talem tamen civem cum summa virtute interfectoris et gloria necari potuisse.

Neque illum tamen ordinem, de quo prius dixi, damnaverim: quia quædam, etiam si ipsa sint dura, in id tamen valent, ut ea molliant quæ sequuntur. Nec omnino sine ratione est, quod vulgo dicitur, (1) *Iniquum petendum, ut æquum feras*: quod tamen nemo sic accipiat, ut omnia credat audenda; recte enim Græci præcipiunt, *Non tentanda, quæ effici omnino non possunt*.

Sed quoties hæc, de qua loquor, duplici defensione utemur, id laborandum est, ut in illam partem sequentem

(1) Erasmus putat dictum esse a mercatoribus, qui pluris merces suas indicant, ut justum tandem pretium ferant. *Turn.*

fides ex priore ducatur: potest enim videri, qui tuto etiam confessurus fuit, mentiendi causam in negando non habere: et illud utique faciendum est, ut, quoties suspicabimur, a iudice aliam probationem desiderari quam de qua loquimur, promittamus nos plene et statim de eo satis esse facturos: præcipueque si de (1) pudore agitur.

Frequenter autem accidit, ut causa parum verecunda jure tuta sit: de quo ne inviti iudices audiant et aversi, frequentius sunt admonendi, securam defensionem probitatis ac dignitatis: expectent paulum, et agi ordine sinant. Quædam interim nos et invitis litigatoribus simulandum est dicere; quod Cicero pro Cluentio facit circa judicariam legem: nonnunquam, quasi interpellentur ab his, subsistere: sæpe avertenda ad ipsos oratio; hortandi, ut sinant nos uti nostro consilio. Ita surrepetur animo iudicis, et dum sperat probationem pudoris, asperioribus illis minus repugnabit: quæ cum receperit, etiam verecundiæ defensionem facilius erit. Sic utraque res invicem juvabit, eritque iudex circa jus nostrum spe modestiæ attentior, circa modestiam juris probatione proclivior.

Sed, ut non semper necessaria, ac etiam supervacua, partitio est, ita opportune adhibita plurimum orationi lucis et gratiæ confert: neque enim id solum efficit, ut clariora fiant quæ dicuntur, rebus velut ex turba extractis, et in conspectu iudicum positis; sed reficit quoque audientem certo singularum partium fine, non aliter quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis (2) notata in-criptis lapidibus spatia: nam et exhausti laboris nosse mensuram voluptati est, et hortatur ad reliqua fortius exequenda, scire quantum supersit; nihil enim longum videri necesse est, in quo quid ultimum sit certum est. Nec immerito multum ex diligentia partiendi talis laudis Q. Hortensius: cujus tamen divisionem, in digitos diductam, nonnunquam Cicero leviter eludit.

Nam est certus ejus modus, et evitanda maxime concisa nimium et velut articulosa partitio. Nam et auctoritati plurimum detrahunt minuta illa, nec jam membra, sed frusta: et hujus gloriæ cupidi, quo subtilius et copiosius divisisse videantur, et supervacua assumunt, et quæ natura singularia sunt secant; nec tam plura faciunt, quam minora: deinde, cum fecerunt mille particulas, in

(1) Si causa per se parum est honesta et verecunda, ut ipse Fabius ait paulo infra.

(2) Millia olim, ut nunc, lapidibus notabant: unde apud historicos legimus: *ad primum ab urbe lapidem, secundum, tertium. Turn.*

eandem incidunt obscuritatem, contra quam partitio inventa est.

Divisa et simplex propositio, (1) quoties utiliter adhiberi potest, primum debet esse aperta, atque lucida; nam quid sit turpius, quam id esse obscurum ipsum, quod in eum solum adhibetur usum, ne sint cætera obscura? tum brevis, nec ullo supervacuo onerata verbo. Non enim de quo dicamus, sed de quo dicturi simus, ostendimus.

Obtinendum etiam, ne quid in ea desit, ne quid supersit. Superest autem sic fere; cum aut in *species* partimur, quod in *genera* partiri sit satis, aut *genere* posito subjicitur *species*; ut, *Dicam de virtute, j̄ustitia, continentia*; cum justitia atque continentia virtutis sint species.

Partitio prima est, quid sit de quo conveniat, quid de quo ambigatur. In eo quod convenit, quid adversarius fateatur, quid nos: in eo de quo ambigitur, quæ nostræ propositiones, quæ partis adversæ. Turpissimum vero est, non eo ordine exequi, quo quidque proposueris.

(1) Quoties utile est propositionem vel simplicem habere, vel divisam, quæ uno nomine vocatur *partitio*, opera danda est, ut sit *aperta*, &c. *Gesn.* Porro Gesnerus pro *adhiberi* legit *haberi*: sed, cum de partitione *opportune adhibita* jam p. 124, l. 23. Fabio contigisset disserere, nihil mutandum statuimus. Quantum Aristotelis operi *τρεῖς βιβλαί, περὶ Ῥητορικῆς*, rhetor debeat Romanus, cuiquam patebit, qui vel hunc librum quartum cum illius tertio compararit. Vid. præcipue capp. 13—17. O.

M. FABII QUINTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER V.

FUERUNT et clari quidem auctores, quibus solum videretur oratoris officium, *docere*: namque et *affectus* duplici ratione excludendos putabant; primum, quia vitium esset omnis animi perturbatio; deinde, quia iudicem a veritate depelli misericordia, vel ira, similibusque, non oporteret; et voluptatem audientium petere, cum vincendi tantum gratia diceretur, non modo agenti supervacuum, sed vix etiam viro dignum, arbitrabantur: plures vero, qui nec ab illis sine dubio partibus rationem orandi submoverent, hoc tamen proprium atque præcipuum crederent opus, sua confirmare, et quæ ex adverso proponerentur refutare.

Utrumcunque est, (nec enim hoc loco meam interpono sententiam) hic erit liber illorum opinione maxime necessarius, quo toto hæc sola tractantur; quibus sane et ea, quæ de judicialibus causis jam dicta sunt, serviunt. Nam neque proœmii neque narrationis est alius usus, quam ut iudicem præparent: et status nosse, atque ea de quibus supra scripsimus intueri, supervacuum foret, nisi ad hanc perveniremus. Denique, ex quinque quas judicialis materiæ fecimus partibus, quæcunque alia potest aliquando necessaria causæ non esse; his nulla est, cui *probatione* opus non sit. Ejus præcepta sic optime divisuri videmur, ut prius in commune, quæ ad omnes quæstiones pertinent, ostendamus; deinde, quæ in quoque causæ genere propria sunt, exequamur.

I. AC prima quidem illa partitio ab Aristotele tradita, consensum fere omnium meruit, alias esse probationes

quas extra dicendi rationem acciperet orator, alias quas ex causa traheret ipse, et quodammodo gigneret: ideoque illas *ἀτέχους*, id est, *inartificiales*, has *ἐτέχους*, id est, *artificiales*, vocaverunt. Ex illo priore genere sunt *præjudicia*, *rumores*, *tormenta*, *tabulæ*, *jusjurandum*, *testes*: in quibus pars maxima contentionum forensium consistit; sed, ut ipsa per se carent arte, ita summis eloquentiæ viribus et allevanda sunt plerumque, et refellenda. Quare mihi videntur magnopere damnandi, qui totum hoc genus a præceptis removerunt. Nec tamen in animo est, omnia quæ aut pro his, aut contra dici solent, complecti. Non enim *communes locos* tradere destinamus, quod esset operis infiniti, sed viam quandam atque rationem. Quibus demonstratis, non modo in exequendo suas quisque vires debet adhibere, sed etiam inveniendò similia, ut quæque conditio litium poscet. Neque enim de omnibus causis dicere quisquam potest, saltem præteritis, ut taceam de futuris.

II. *JAM præjudiciorum* vis omnis tribus in generibus versatur *rebus*, quæ aliquando ex paribus causis sunt judicata, quæ *exempla* rectius dicuntur; ut de rescissis patrum testamentis, vel contra filios confirmatis: *judiciis*, ad ipsam causam pertinentibus, unde etiam nomen ductum est; qualia *in Oppianicum* facta dicuntur, et a senatu *adversus Milonem*: aut, cum de *eadem causa* pronuntiatum est; ut *in reis* (1) *deportatis*, et (2) *assertione secunda*, et *partibus* (3) *centumviralium*, quæ in duas hastas divisæ sunt.

Confirmantur præcipue duobus; auctoritate eorum qui pronuntiarunt, et similitudine rerum de quibus quæritur: refelluntur autem raro per contumeliam judicum, nisi forte manifesta in his culpa erit; vult enim cognoscentium quisque firmam esse alterius sententiam, et ipse pronuntiaturus non libenter exemplum, quod in se fortasse recidat, facit. Confugiendum ergo est in duobus superioribus, si res feret, ad aliquam dissimilitudinem causæ: vix autem ulla est per omnia alteri similis. Si id non

(1) Relegatio est, cum certo loco interdicitur *deportatio*, cum aliquis in certum locum relegatur. Porro, ut testatur Ulpianus, de causa *deportandorum* iterum apud judicem potest agi; ac, si restituantur, pristinum adipiscuntur honoris gradum. *Turn.*

(2) *Assertio*, judicium est de alicujus libertate constitutum, appellaturque *causa liberalis*. Si igitur de liberali causa jam pronuntiatum sit, et facta provocatione, aut alia judicium subortitione, iterum de causa disceptetur, locus erit præjudicio. *Turn.*

(3) Centumvirum hasta in foro posita de causis cognoscebant, erantque in duas partes divisi.

continget, ac eadem causa erit, aut actorum incusanda negligentia, aut de infirmitate personarum querendum, contra quas erit iudicatum; aut de gratia quæ testes corruperit, aut de invidia, aut de ignorantia; aut inveniendum quid causæ postea accesserit: quorum si nihil erit, licet tamen dicere, multas iudiciorum causas ad inique pronuntiandum valere: ideoque damnatum (1) Rutilium; absolutum (2) Clodium, atque (3) Catilinam. Rogandi etiam iudices, ut rem potius intueantur ipsam, quam (4) iurijurando alieno suum donent. Adversus consulta autem senatus, et decreta principum vel magistratum, remedium nullum est, nisi aut inventa quantulacunque causæ differentia, aut aliqua vel eorundem, vel ejusdem potestatis hominum, posterior constitutio, quæ sit priori contraria: quæ si deerunt, lis non erit.

III. FAMAM atque *rumores* pars altera consensum civitatis, et velut publicum testimonium vocat; altera sermonem sine ullo certo auctore dispersum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas; quod nulli non etiam innocentissimo possit accidere, fraude inimicorum falsa vulgantium. Exempla utrinque non deerunt:

IV. SICUT in *tormentis* quoque, qui est locus frequentissimus; cum pars altera quæstionem *vera fatendi necessitatem* vocet; altera sæpe etiam *causam falsa dicendi*, quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas necessarium. Quid attinet plura de his? plenæ sunt orationes veterum ac novorum. Quædam tamen in hac parte erunt propria cujusque litis: nam, sive de habenda quæstione agetur, plurimum intererit, quis, et quem postulet, aut, offerat; et in quem; et ex qua causa: sive jam erit habita, quis ei præfuerit; quis, et quo modo sit tortus; an credibilia dixerit, an inter se constantia; perseveraverit in eo quod cœperat, an aliquid dolore mutaverit; prima parte quæstionis, an procedente cruciatus: quæ utrinque tam infinita sunt, quam ipsa rerum varietas.

(1) Rutilius justissime Asiam administravit. Sed cum publicanorum injurias illic coercuisset, invisus est factus equitibus, penes quos erant judicia. ideoque in exilium missus. Vide Flor. l. 3. c. 17. *Turn.*

(2) Clodius restituito Cicerone multa in eum per vim admiserat. Mils tribunus plebis Clodium de vi accusavit. Sed iudicium, opera Clodii, ejusque amicorum, usque eo perductum est, donec habitis ædilitis comitiis, Clodius ædilis creatus in iudicium vocari non potuit.

(3) Catilina prætor administravit Africam: postea accusatus repetundarum fuit; sed optimatum factione absolutus est. *Turn.*

(4) Iudices jurabant, se ex lege iudicatos: hortandi igitur, ut memores iurijurandi rem per se diligenter expendant, nec temere sequantur iudiciorum, qui rem non penitus perspecta prave forsitan iudicaverunt.

V. CONTRA tabulas quoque sæpe dictum, sæpe dicendum est, cum eas non solum rescili, sed etiam accusari, sciamus esse usitatum. Cum sit autem in his aut *scelus* signatorum, aut *ignorantia*, tutius ac facilius id, quod secundo loco diximus, tractatur, quod pauciores rei fiunt. Sed hoc ipsum argumenta ex causa trahit; si forte aut incredibile est id actum esse quod tabulæ continent, aut (ut frequentius evenit) aliis probationibus æque inartificialibus solvitur; si aut is, in quem signatum est, aut aliquis signator dicitur abfuisse, vel prius esse defunctus; si tempora non congruunt; si vel antecedentia vel insequentia tabulis repugnant. Inspectio ipsa sæpe etiam falsum deprehendit.

VI. JUS JURANDUM litigatores aut offerunt suum, aut non recipiunt oblatum, aut ab adversario exigunt, aut recusant cum ab ipsis exigatur.

Offerre suum sine illa conditione, ut vel adversarius juret, fere improbum est: qui tamen id faciet, aut vita se tuebitur, ut eum non sit credibile pejeraturum, aut ipsa vi religionis; in qua plus fidei consequetur, si id egerit, ut non cupide ad hoc descendere, sed ne hoc quidem recusare videatur; aut si causa (1) modo patietur litis, propter quam devoturus se ipse non fuerit; aut si, præter alia causæ instrumenta, adjicit ex abundantia hanc quoque conscientia suæ fiduciam.

Qui (2) non recipit, et iniquam conditionem, et a multis contemni jurisjurandi metum dicit; cum et philosophi quidam sint reperti, qui (3) deis hanc rerum humanarum curam negarent; eum vero, qui nullo deferente (4) jurare sit paratus, et ipsum velle de causa sua pronuntiare, et, quam id quod offert leve ac facile credat, ostendere.

At is *qui* (5) *defert*, agere modeste videtur, cum litis adversarium judicem faciat, et eum, cujus cognitio est, onere liberet, qui profecto alieno jurejurando stari quam suo malit.

Quo difficilior *recusatio* est; nisi forte res est ea, quam

(1) Aut si res controversa erit ejusmodi, ut credibile non videatur ipsum sibi imprecaturum ob rem tam exiguam. *Turn.*

(2) Qui non recipit oblatum ab adversario jusjurandum, duas affert causas: 1. iniquam esse conditionem, si nempe ejuspiam salus ab alieno juramento pendeat: 2. a multis contemni jurisjurandi metum.

(3) Elegantiam hujusce lectionis in dubio loco agnoscent eruditi. Porro, Epicuri de grege sunt isti philosophi:

Qui ratione sua disturbent mœnia mundi. O.

(4) Notum illud Juvenalis: Nondum Græcis jurare paratis
Per caput alterius, &c. O.

(5) Qui jusjurandum ab adversario exigit.

credibile sit notam ipsi non esse: quæ excusatio si deerit, hoc unum relinquetur, ut invidiam sibi queri ab adversario dicat, atque id agi, ut in causa, in qua vincere non possit, queri possit: itaque hominem quidem malam occupaturum hanc conditionem fuisse, se autem probare malle quæ affirmarit, quam dubium cuiquam relinquere, an pejerarit.

VII. MAXIMUS tamen patronis circa *testimonia* sudor est. Ea dicuntur aut *per tabulas*, aut *a presentibus*.

Simplicior contra *tabulas* pugna. Nam et minus obstitisse videtur pudor inter paucos signatores, (1) et pro diffidentia premitur absentia. Si reprehensionem non capit ipsa persona, infamare signatores licet. Tacita præterea quadam significatione refragatur his omnibus, quod nemo *per tabulas* dat testimonium, nisi sua voluntate: quo ipso non esse amicum ei se, contra quem dicit, fatetur. Nec tamen protinus cesserit orator, quo minus et amicus pro amico, et inimicus contra inimicum, possit verum, si integra sit ei fides, dicere. Sed late locus uterque tractatur.

Cum *presentibus* vero ingens dimicatio est: ideoque velut duplici contra eos, proque his, acie confligitur, (2) *actionum* et *interrogationum*. In *actionibus* primum *generaliter* pro testibus, atque in testes, dici solet: (est hic communis locus, cum pars altera nullam firmiorem probationem esse contendit, quam quæ sit hominum scientia nixa; altera, ad detrahendam illis fidem, omnia per quæ fieri soleant falsa testimonia enumerat:) sequens ratio est, cum *specialiter* quidem, sed tamen multos pariter invadere patroni solent. Nam et (3) gentium simul universarum elevata testimonia ab oratoribus scimus, et tota genera testimoniorum, ut de (4) *auditionibus*: non enim ipsos esse testes, sed injuratorum afferre voces: utque in eansis repetundarum, qui se reo numerasse pecunias jurant, litigatorum non testium habendos loco. Interim adversus singulos dirigitur actio: quod insectationis genus et permistum defensionis legimus in orationibus plurimis, et separatim editum, sicut in Vatiniun testem.

Totum igitur excutiamus locum, quando universam insitutionem aggressi sumus: sufficiebant alioqui libri

(1) Qui absens testimonium dicebat, tabulas conscribat presentibus signatoribus, in quibus suum testimonium perscriberet. *Turn.* Absentia autem videri potest signum diffidentie, quasi testis sibi ipse diffidat.

(2) Per actionem intelligitur oratio perpetua qua utitur orator.

(3) Cicero elevat testimonia Gallorum pro Feciteo, n. 11.—23. Græcorum Asianorumque pro Flacco, n. 9.—12.

(4) Cum testes dicunt tantum se audivisse quid ab aliis,

duo a Domitio Afro in hanc rem compositi, quem adolescentulus senem colui; ut non lecta mihi tantum ea, sed pleraque ex ipso sint cognita. Is verissime præcipit, primum esse in hac parte officium oratoris, ut totam causam familiariter norit: quod sine dubio ad omnia pertinet. Id quomodo contingat, explicabimus, cum ad destinatum huic parti locum venerimus. Ea res suggeret materiam *interrogationi*, et veluti tela ad manum subministrabit. Eadem docebit, ad quæ judicis animus actione sit præparandus. Debet enim vel fieri vel detrahi testibus fides oratione perpetua: quia sic dictis quisque movetur, ut est ad credendum, vel non credendum, ante formatus.

Et quoniam duo genera sunt testium, aut voluntariorum, aut eorum, quibus judex in publicis judiciis lege denuntiare solet; quorum altero utraque pars utitur, alterum accusatoribus tantum concessum est: separemus officium dantis testes, et refellentis.

Qui *voluntarium* producit, scire quid is dicturus sit potest; ideoque faciliorem videtur in rogando habere rationem: sed hæc quoque pars acumen et vigilantiam poscit; providendumque, ne timidus, ne inconstans, ne imprudens sit testis: turbantur enim, et a patronis diversæ partis inducuntur in laqueum, et plus deprehensi nocent, quam firmi et interriti profuissent. Multum igitur domi ante versandi, ac variis percontationibus, quales haberi ab adversario possunt, explorandi sunt. Sic fit, ut aut constant sibi, aut, si quid titubaverint, opportuna rursus ejus, a quo producti sunt, interrogatione velut in gradum reponantur.

In iis quoque adhuc, qui constiterint sibi, vitandæ sunt insidiæ: nam frequenter subjici ab adversario solent, et, omnia profutura polliciti, diversa respondent, et auctoritatem habent non arguentium illa, sed confitentium. Explorandum igitur quas causas lædendi adversarium afferant; nec id satis est, inimicos fuisse, sed an desierint, an per hoc ipsum reconciliari velint, ne corrupti sint, ne pœnitentia propositum mutaverint: quod cum in iis quoque, qui ea quæ dicturi videntur re vera sciunt, necessarium est præcavere, tum multo magis in iis, (1) qui se dicturos quæ falsa sunt pollicentur. Nam et frequentior

(1) Videtur Fabius non repudiare testimonia eorum, qui se dicturos quæ falsa sunt pollicentur; quod esset hominis parum probi: sed paulo post movet se facere mentionem ejusmodi artium, non ut fiant, sed ut vitentur.

eorum pœnitentia est, et promissum suspectius: et si per se severaverint, reprehensio (1) facilior.

Eorum vero, quibus *denuntiatur*, pars testium est quæ reum lædere *velit*, pars quæ *nolit*: idque interim *scit* accusator, interim *nescit*.

Fingamus in præsentia, *scire*: in utroque enim genere summis artibus interrogantis opus est. Nam, si habet testem *cupidum lædendi*, cavere debet hoc ipsum, ne cupiditas ejus appareat; nec statim de eo, quod in judicium venit, rogare, sed aliquo circuitu ad id pervenire, ut illi quod maxime dicere voluit videatur expressum; nec nimium instare interrogationi, ne ad omnia respondendo testis fidem suam minuat; sed (2) in tantum evocare eum, quantum sumere ex uno satis sit.

At in eo qui verum *invitus* dicitur est, prima felicitas interrogantis est, extorquere quod is *voluerit*. Hoc non alio modo fieri potest, quam longius interrogatione repetita. Respondebit enim quæ nocere causæ non arbitrabitur: ex pluribus deinde, quæ confessus erit, eo perducetur, ut quod dicere non vult negare non possit. Nam, ut in oratione sparsa plerumque colligimus argumenta, quæ per se nihil reum aggravare videantur, congregatione deinde eorum factum convincimus: ita hujusmodi testis multa de ante actis, multa de insecutis, loco, tempore, persona, cæterisque, est interrogandus, ut in aliquod responsum incidat, post quod illi vel fateri quæ volumus necesse sit, vel iis quæ jam dixerat repugnare. Id si non contingit, reliquum erit, ut eum nolle dicere manifestum sit; protrahendusque, ut in aliquo quod vel extra causam sit deprehendatur: tenendus etiam diutius, ut omnia ac plura quam res desiderat pro reo dicendo suspectus judici fiat; quo non minus nocebit, quam si vera in reum dixisset.

At si, quod secundo loco diximus, *nescit* actor quid propositi testis attulerit, paulatim, et, ut dicitur, pedetentim interrogando experietur animum ejus, et ad id responsum, quod eliciendum erit, per gradus ducet. Sed, quia nonnunquam sunt hæ quoque testium artes, ut primo ad voluntatem respondeant quo majore fide diversa postea dicant, est oratoris, suspectum testem dum prodest dimittere.

(1) Alii codices habent, *deprehensio facilior*: quemadmodum antea dixit, *Testem deprehensum*. Turn.

(2) Non omnia quæ posita sunt in controversia, sed quod nobis utile erit, ab eo poscemus: reliqua ab aliis testibus. Turn.

Patronorum in parte *expeditior*, in parte *difficilior* interrogatio est: *difficilior* hoc, quod raro unquam possunt ante iudicium scire quid testis dicturus sit; *expeditior*, quod, eum interrogandus est, sciunt quid dixerit. Itaque in eo quod incertum est, cura et inquisitione opus est, quis reum premat, quas et quibus ex causis inimicitias habeat: eaque in oratione prædicenda atque amolenda sunt, sive odio conflatos testes, sive invidia, sive gratia, sive pecunia videri volumus. Et si deficietur numero pars diversa, paucitatem; si abundabit, conspiracyem; si humiles producet, vilitatem; si potentes, gratiam oportebit incescere. Plus tamen proderit causas, propter quas reum lædant, exponere: quæ sunt variæ, et pro conditione cuiusque litis aut litigatoris. Nam contra illa, quæ supra diximus, simili ratione responderi locis communibus solet, quia et in paucis atque humilibus accusator simplicitate gloriari potest, quod neminem præter eos, quos putarit scire, quæsierit; et in multos atque honestos commendare aliquando est facilius.

Verum interim et singulos, ut exornare, ita destruere contingit, aut (1) recitatis in actione, aut nominatis testibus: quod iis temporibus, quibus testis non nisi post finitas actiones rogabatur, et facilius et frequentius fuit: quid autem in quemque testium dicendum sit, sumi nisi ab ipsorum personis non potest.

Reliquæ *interrogandi* sunt partes: qua in re prima est, *nosse testem*. Nam timidus terreri, stultus decipi, iracundus conœtari, ambitiosus inflari, longus protrahi potest; prudens vero et constans vel tanquam inimicus et perveax dimitendus statim, vel non interrogatione sed brevi interlocutione patroni refutandus est, aut aliquo, si continget, urbano dicto refrigerandus, aut si quid in ejus vitam poterit, infamia criminum destruendus. Probos quosdam et verecundos non aspere incescere profuit; nam sæpe, qui adversus insectantem pugnassent, modestia mitigantur.

Omnis autem interrogatio aut *in causa* est, aut *extra causam*.

In causa, sicut accusatori præcepimus, patronus quoque, altius et unde nihil suspecti sit repetita percontatione, priora sequentibus applicando, sæpe eo perducit homines, ut ab invitis quod prosit extorqueat. Ejus rei sine dubio nec disciplina ulla in scholis, nec exercitatio traditur: et

(1) Legi possit, *citatis*: ut sit sensus, aliquando perpetua oratione refutari testem, aut cum eum *citamus*, id est, coram vocamus in conspectum iudicium, aut cum duntaxat nominamus, non eam coram advocamus. *Turn.* De testibus *per tabulas* recitandis agit. Vide p. 130. O.

naturali magis acumine, aut usu, contingit hæc virtus. Si quod tamen exemplum ad imitationem demonstrandum sit, solum est quod ex dialogis Socraticorum, maximeque Platonis, duci potest: in quibus adeo scitæ sunt interrogationes, ut, cum plerisque bene respondeatur, res tamen ad id, quod volunt efficere, perveniat. Illud fortuna interim præstat, ut aliquid quod inter se parum consentiat a teste dicatur; interim, quod sæpius evenit, ut testis testi diversa dicat. Acuta autem interrogatio ad hoc, quod casu fieri solet, etiam ratione perducet.

Extra causam quoque multa quæ prosint rogari solent; de vita testium aliorum, de sua quisque; si turpitude, si humilitas, si amicitia accusatoris, si inimicitia cum reo: in quibus aut dicant aliquid quod prosit, aut in mendacio vel cupiditate lædendi deprehendantur. Sed in primis interrogatio debet esse circumspecta: quia multa contra patronos venuste testis sæpe respondet, eique præcipue vulgo favetur; tum verbis quam maxime ex medio suntis, ut qui rogatur (is autem est sæpius imperitus) intelligat; aut ne intelligere se neget, quod interrogantis non leve frigus est.

Illæ verò pessimæ artes, testem subornatum in subsellia adversarii mittere; ut inde excitatus plus noccat, vel dicendo contra reum, cum quo sederit, vel, cum adjuvisse testimonio videbitur, faciendo ex industria multa immodeste atque intemperanter, per quæ non a se tantum dictis detrahatur fidem, sed cæteris quoque, qui profuerant, auferat auctoritatem: quorum mentionem habui, non ut fierent, sed ut vitarentur.

Sæpe inter se collidi solent, inde testatio, hinc testes; locus utrinque: hæc enim se pars iurejurando, illa consensu signantium, tuetur: sæpe inter testes et argumenta quæsitum est: inde scientiam in testibus et religionem, ingenia esse in argumentis, dicitur; hinc testem gratia, metu, pecunia, ira, odio, amicitia, ambitu fieri, argumenta ex natura duci; in his iudicem sibi, in illis alii credere. Communia hæc pluribus causis, multumque jactata sunt, semperque jactabuntur. Aliquando utrinque sunt testes; et quæstio sequitur, ex his ipsis, *Utri meliores viri?* ex causis, *Utri magis credibilia dixerint?* ex litigatoribus, *Utri gratia magis valuerint?*

His adjicere si quis volet ea quæ divina testimonia vocantur, ex responsis, oraculis, ominibus, duplicem sciat eorum esse tractatum; generalem alterum; in quo inter Stoicos et Epicuri sectam secutos pugna perpetua est; Regaturne providentia mundus? specialem alterum, con-

tra partes divinationis; ut quæque in quæstionem cadit: aliter enim oraculorum, aliter aruspicum, augurum, conjectorum, et mathematicorum, fides confirmari aut refelli potest, cum sit rerum earum diversa ratio.

Circa ejusmodi quoque instrumenta firmanda, vel destruenda, multum habet operis oratio; si quæ sint voces per vinum, somnum, dementia[m] evassa, vel excepta parvulorum iudicia, quos pars altera nihil fingere, altera nihil judicare dictura est.

Nec tantum præstari hæc genus potest, sed etiam, ubi non est, desiderari solet: Pecuniam dedisti; quis numeravit? ubi? unde? Venevum arguis; ubi emi? a quo? quanti? per quem dedi? quo conscio? quæ fere omnia pro Cluentio Cicero in crimine beneficii executi. Hæc de inartificialibus, quam brevissime potui.

VIII. PARS altera probationum, quæ est tota *in arte*, constatque rebus ad faciendum fidem apposis, plerumque aut omnino negligitur, aut levissime attingitur, ab his qui argumenta velut horrida et confragosa vitantes antærioribus locis desident: neque aliter quam ii, qui traduntur a poetis gustu ejusdam apud Lotophagos graminis et Sirenum cantu deliniti voluptatem salutis prætulisse, dum laudis falsam imaginem sequuntur, ipsa propter quam dicitur victoria cadunt.

Atqui cætera, quæ continuo magis orationis tractu decurrunt, in auxilium atque ornamentum argumentorum comparantur, nervisque illis, quibus causa continetur, adjiciunt superinducti corporis speciem: ut, si forte quid factum ira, vel metu, vel cupiditate dicatur, latius, quæ cujusque affectus natura sit, persequamur. Iisdem laudamus, incusamus, augemus, minimus, describimus, deterremus, querimus, consolamur, hortamur. Sed horum esse opera in rebus aut certis, aut de quibus tanquam certis loquimur, potest. Nec abnuerim esse aliquid in delectatione, multum vero in commovendis affectibus. Sed hæc ipsa plus valent, cum se didicisse iudex putat: quod consequi nisi argumentatione, aliaque omni fide rerum, non possumus.

Quorum priusquam partiar *species*, indicandum reor, esse quædam in omni probationum genere *communia*: nam nec ulla quæstio est, quæ non sit aut in *re*, aut in *persona*; Nec esse argumentorum loci possunt, nisi in iis quæ *rebus aut personis accidunt*: eaque aut *per se* inspicere solent, aut *ad aliud referri*: nec ulla confirmatio, nisi aut ex *antecedentibus*, aut ex *consequentibus*, aut ex *repugnantibus*: et hæc necesse est, aut ex *præterito tempore*,

aut ex *conjuncto*, aut ex *sequenti* petere: nec ulla res probari nisi ex *alia* potest; eaque sit oportet aut *major*, aut *par*, aut *minor*.

Argumenta vero reperiuntur aut in *quæstionibus*, quæ etiam separatæ a complexu rerum personarumque spectari per se possunt; aut in *ipsa causa*, cum invenitur aliquid in ea non ex *communi* ratione ductum, sed ejus judicii, de quo cognoscitur, *proprium*.

Probationum præterea omnium aliæ sunt *necessaria*, aliæ *credibiles*, aliæ *non repugnantes*. Adhuc omnium probationum quadruplex ratio est: ut vel, quia aliquid est, aliud non sit; ut, *Dies est, nox non est*; vel, quia est aliquid, aliud sit; ut, *Sol est super terram, dies est*; vel, quia aliquid non est, aliud sit; ut, *Nox non est, dies est*; vel, quia aliquid non est, nec aliud sit; ut, *Non est rationale, nec homo est*. His in universum prædictis partes subjiciam.

IX. OMNIS igitur probatio *artificialis* constat aut *signis*, aut *argumentis*, aut *exemplis*. Nec ignoro, plerisque videri signa partem argumentorum: quæ mihi separandi ratio hæc fuit prima, quod sunt pene ex illis *inartificialibus*; cruenta enim vestis, et clamor, et livor, et talia, sunt *instrumenta*, qualia tabulæ, rumores, testes; nec inveniuntur ab oratore, sed ad eum cum ipsa causa deferuntur; altera, quod signa, sive indubitata sint, non sunt argumenta; quia, ubi illa sunt, quæstio non est; argumento autem, nisi in re controversa, locus esse non potest; sive dubia, non sunt argumenta, sed ipsa argumentis egent. Dividuntur autem in has primas duas species, quod eorum alia sunt, ut dixi, quæ necessaria sunt, quæ Græci *τεκμήρια* vocant, alia quæ non necessaria. Priora illa sunt, quæ aliter habere se non possunt; et sunt *ἀλυτα σημεῖα*: quæ mihi vix pertinere ad præcepta artis videntur; nam, ubi est signum insolubile, ibi ne lis quidem est. Id autem accidit, cum quid aut necesse est fieri, factumve esse, aut certe omnino non potest fieri, vel esse factum: quo in causis posito, lis non est facti.

Alia sunt signa non necessaria, quæ *ἰκοντα* Græci vocant: quæ, etiamsi ad tollendam dubitationem sola non sufficiunt, tamen adjuncta cæteris plurimum valent.

Signum vocant, ut dixi, *σημεῖον*: quanquam id quidam *indicium*, quidam *vestigium* nominaverunt, per quod alia res intelligitur, ut, *per sanguinem cædes*: at, quia sanguis vel ex hostia respersisse vestem potest, vel e naribus proflixisse, non utique, qui vestem cruentam habuerit homicidium fecerit; sed, ut per se non sufficit, ita cæteris adjunctum testimonii loco ducitur, si *inimicus*, si *ante*

minatus, si eodem loco fuit: quibus signum cum accessit, efficit, ut quæ suspecta erant, certa videantur. Alioqui sunt quædam signa utrique parti communia, ut *livores*, *tumores*: nam videri possunt et *veneficii*, et *cruditatis*: et *vulnus in pectore*, sua manu et aliena perisse dicentibus in æquo est. Hæc perinde firma habentur, atque extrinsecus adjuvantur.

X. NUNC de *argumentis*: hoc enim nomine complectimur omnia quæ Græci *ἰνδυσήματα*, *ἐπιχειρήματα*, *ἀποδείξεις* vocant: quanquam apud illos est aliqua horum nominum differentia, etiam si vis eodem fere tendit. . . . Cum sit argumentum ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud, et quæ quod est dubium per id quod dubium non est confirmat, necesse est esse aliquid in causa, quod probatione non egeat: alioqui nihil erit quo probeamus; nisi fuerit quod aut sit verum, aut videatur, ex quo dubiis fides fiat.

Pro *certis* autem habemus, primum, quæ sensibus percipiuntur; ut quæ videmus, audimus; qualia sunt signa: deinde, ea in quæ communi opinione consensum est; *deos esse*; *præstandam pietatem parentibus*: præterea, quæ legibus cauta sunt: quæ persuasione, etiam si non omnium hominum, ejus tamen civitatis aut gentis in qua res agitur, in mores recepta sunt; ut pleraque in jure, non legibus, sed moribus constant: si quid inter utranque partem convenit: si quid probatum est: denique cuicumque adversarius non contradicit. Sic enim fiet argumentum: *Cum providentia mundus regatur, administranda est respublica*: ut administranda respublica sit, si liquebit mundum providentia regi.

Debet etiam nota esse recte argumenta tractaturo vis, et natura, omnium rerum, et quid quæque earum plerumque efficiat: hinc enim sunt quæ *εἰκότα* dicuntur. *Credibilia* autem genera sunt tria: unum firmissimum, quod fere accidit, ut, liberos a parentibus amari: alterum velut propensius, eum qui recte valeat in crastinum perventurum: tertium tantum non repugnans, in domo furtum factum ab eo qui domi fuit. Ideoque Aristoteles in secundo de arte rhetorica libro diligentissime est executus, quid cuique rei, et quid cuique homini, soleat accidere: et quas res, quosque homines, quibus rebus aut hominibus vel conciliasset vel alienasset ipsa natura; ut, divitias quia sequatur, aut ambitum, aut superstitionem; quid boni probent, quid mali petant, quid milites, quid rustici; quo quæque modo res vitari vel appeti soleat.

Verum hoc exequi mitto: non enim longum tantum,

sed etiam impossibile, ac potius infinitum est; præterea positum in communi omnium intellectu. Si quis tamen desideraverit, a quo peteret ostendi. Omnia autem credibilia, in quibus pars maxima consistit argumentationis, ex hujusmodi fontibus fluunt: An credibile sit, a filio patrem occisum? incestum cum filia commissum? et contra, veneficium in noverca? adulterium in luxurioso? Illa quoque: An scelus palam factum? an falsum dixerit propter exiguam summam? quia suos quisque horum velut mores habet: plerumque tamen, non semper; alioqui indubitata essent, non argumenta.

Excutiamus nunc argumentorum *locos*: quanquam quibusdam ii quoque, de quibus supra dixi, videntur. *Locos* appello, non, ut vulgo nunc intelliguntur, in luxuriam et adulterium, et similia; sed sedes argumentorum, in quibus latent, ex quibus sunt petenda. Nam, ut in terra non omni generantur omnia, nec avem aut feram reperias, ubi quæque nasci aut morari solcat ignarus; et piscium quoque genera alia planis gaudent, alia saxosis, regionibus etiam littoribusque discreta sunt, nec helopem nostro mari, aut scarum ducas; ita non omne argumentum undique venit, ideoque non passim quærendum est. Multus alioqui error est, et, exhausto labore, quod non ratione scrutabimur, non poterimus invenire, nisi casu: at, si scierimus ubi quidque nascatur, cum ad locum ventum erit, facile, quod in eo est, pervidebimus.

Imprimis igitur argumenta sæpe a *persona* ducenda sunt; cum sit, ut dixi, divisio, ut omnia in hæc duo partiamur, *res*, atque *personas*; ut *causa*, *tempus*, *locus*, *ocasio*, *instrumentum*, *modus*, et cætera, *rerum* sint accidentia. *Personis* autem non quidquid accidit exequendum mihi est, ut plerique fecerunt, sed uade argumenta sumi possunt.

Ea porro sunt, (1) *Genus*; nam similes parentibus ac majoribus suis filii plerumque creduntur; et nonnunquam ad honeste turpiterque vivendum inde causæ fluunt:

(2) *Natio*; nam et gentibus proprii mores sunt, nec idem in Barbaro, Romano, Græco, probabile est:

(2) *Patria*; quia similiter etiam civitatum leges, instituta, opiniones, habent differentiam:

(3) *Sexus*; ut atrociniium facilius in viro, veneficium in femina, credas:

(1) *Genus*. Verr. 7. n. 30. et 136. Pro Sext. n. 6.

(2) *Natio* et *Patria*. Verr. 7. n. 166. Pro Arch. n. 4. De testibus Asiaticis, pro Flacco n. 9—19.

(3) *Sexus*. Pro Sext. n. 48.

(1) *Ætas*; quia aliud aliis annis magis convenit:

(2) *Educatio et disciplina*; quoniam refert, a quibus et quo quisque modo sit institutus:

(3) *Habitus corporis*; ducitur enim frequenter in argumentum species libidinis, robur petulantia; his contraria in diversum:

(4) *Fortuna*; nec enim idem credibile est in divite ac paupere; propinquis, amicis, clientibus abundante, et his omnibus destituto:

(4) *Conditionis* etiam distantia est; nam clarus an obscurus, magistratus an privatus, pater an filius, civis an peregrinus, liber an servus, maritus an cœlebs, parens liberorum an orbus sit, plurimum distat:

(5) *Animi natura*; etenim avaritia, iracundia, misericordia, crudelitas, severitas, aliaque his similia afferunt frequenter fidem, aut detrahunt: sicut (6) *victus*, luxuriosus, an frugi, an sordidus, quæritur:

(6) *Studia* quoque; nam rusticus, forensis, negotiator, miles, navigator, medicus, aliud atque aliud efficiunt.

Intuendum etiam, *quid affectet* quisque; locuples videri an disertus, justus an potens: spectantur *ante acta dictaque*: ex præteritis enim æstimari solent præsentia.

Ponunt in persona et (7) *nomen*: quod quidem ei accedere necesse est; sed in argumentum raro cadit, nisi cum aut ex causa datum est, ut Sapiens, Magnus, Planus, aut et ipsum alicujus cogitationis attulit causam, ut Lentulo conjurationis, quod libris Sibyllinis aruspicumque responsis *dominatio dari tribus Cornelii* dicebatur, sequere eum tertium esse credebat post Syllam Cinnamque, quia et ipse *Cornelius* erat: nam et illud apud (8) Euripidem frigidum sane, quod nomen *Polynicis* ut argumentum morum frater inessit. Jocorum tamen ex eo frequens materia, qua Cicero in Verrem non semel usus est.

Hæc fere circa *personas* sunt; aut his similia; nec enim

(1) *Ætas*. Pro Rosc. Amer. n. 39. Pro lege Manil. n. 61.

(2) *Educatio et Disciplina*. Pro Quint. n. 55. Philip. 2. n. 18.

(3) *Habitus corporis*. Pro Rosc. Amer. n. 135. Pro Rosc. Com. n. 20. In Pis. n. 1.

(4) *Fortuna et Conditio*. Pro Quint. n. 93. Pro Rosc. Amer. 133, 134.

(5) *Animi Natura*. Pro lege Manil. n. 66. in Pis. n. 41. Pro Cœl. n. 12.

(6) *Virtus et Studia*. Pro Rosc. Amer. n. 75. Pro Muren. 61—66. Pro Cœl. n. 45, 46.

(7) *Nomen*, seu, *Notatio nominis*. Pro Rosc. Amer. de nomine Chryso-goni. n. 124.

(8) In Phœnissis v. 639. ἀλλ' ὄμως δ' ὄνομα Πολυνείκη πάτερ ἔδειτό σοι Θεία προνοία νεκίων ἐπάγγμον.

complecti omnia vel in hac parte vel in cæteris possumus, contenti rationem plura quæsituris ostendere.

Nunc ad *res* transeo; in quibus maxime sunt *personis* juncta quæ *agimus*, ideoque prima tractanda. In omnibus porro quæ fiunt, quæritur, aut *quare*, aut *ubi*, aut *quando*, aut *quo modo*, aut *per quæ*, facta sunt.

Ducuntur igitur argumenta ex (1) causis factorum, vel futurorum: quorum materiam, quam *ἄλλοι* alii, *δύναμις* alii nominaverunt, in duo genera, sed quaternas utriusque dividunt species. Nam fere versatur ratio faciendi circa bonorum adeptionem, incrementum, conservationem, usum; aut malorum evitacionem, liberationem, imminutionem, (2) conversionem: namque hæc in deliberando plurimum valent. Sed has causas habent recta: prava contra ex falsis opinionibus veniunt. Nam est his initium ex iis quæ creduntur bona aut mala: inde errores existunt, et pessimi affectus; in quibus sunt ira, odium, invidia, cupiditas, spes, ambitus, audacia, metus, cæteraque generis ejusdem. Accedunt aliquando fortuita; ebrietas, ignorantia: quæ interim ad veniam valent, interim ad probationem criminis; ut si quis, dum alijs insidiatur, alium dicetur interemisse.

Ducuntur argumenta et ex (3) loco. Spectatur enim ad fidem probationis, montanus an planus, maritimus an mediterraneus, consitus an incultus, frequens an desertus, propinquus an remotus, opportunus consiliis an adversus. Quam partem videmus vehementissime pro Milone tractasse Ciceronem. Et hæc quidem et similia ad conjecturam frequentius pertinent; sed interim ad jus quoque; privatus an publicus, sacer an profanus, voster an alienus; ut in persona, magistratus, pater, peregrinus: hinc enim quæstiones oriuntur; Privatam pecuniam sustulisti: verum, quia de templo, non furtum sed sacrilegium est. Ad qualitatem quoque frequenter pertinet locus; neque enim idem ubique aut licet, aut decorum est; quin etiam in qua

(1) *Causa* est quadruplex. *Materialis*. Candelabrum Jovis: Verr. 6. n. 64. *Formalis*. Furta Verris exaggerantur a materia et forma. Verr. 6. n. 4—72—74—124. Mortem non esse timendam probat Tullius ex ipsius animæ natura: Pro Sext. n. 47. Voluptates fugiendas ex dignitate mentis humanæ: 1 de Off. n. 105, 106. *Efficiens*. Voluptas causa malorum plurimorum: De Senect. n. 39—41. Abundantia in Campanis causa superbiæ: 2. Agr. n. 94. Verres causa omnium scelerum quæ ab ejus assecris commissa sunt: Verr. 4. n. 26. *Finalis*. Finis belli pax: Philip. 7. n. 19. et servitutis depulsio: Philip. 8. n. 12. Cicero urget Tiberonem a fine armorum contra Cæsarem susceptorum: Pro Ligar. n. 9.

(2) Mutationem. v. g. cum mors in exilium vertitur.

(3) *Locus*. Agr. 2. n. 94, Pro Mil. n. 53, Philip. 2. n. 63—104, 105.

quidque civitate quærat, interest; moribus enim et legibus distant. Ad commendationem quoque et invidiam valet: nam et Ajax apud Ovidium, *Ante rates*, inquit, *agimus causam, et mecum confertur Ulysses*: Miloni inter cætera objectum est, quod Clodius *in monumentis* ab eo *majorum suorum* esset occisus.

Ad *suadendi* momenta idem valet, sicut (1) *tempus*; *cujus* . . ratio et in *consiliis* quidem, et in illo *demonstrativo* genere versatur; sed in *judiciis* frequentissima est. Nam et juris quæstiones facit, et qualitatem distinguit, et ad conjecturam plurimum confert: ut (2) cum interim probationes inexpugnabiles afferat, quales sunt, si dicatur (ut supra posui) (3) *signator, qui ante diem tabularum decessit; aut commisisse aliquid, vel cum infans esset, vel cum omnino natus non esset*: præter id, quod omnia facile argumenta, aut ex iis quæ ante rem facta sunt, aut ex conjunctis rei, aut consequentibus ducuntur: ex antecedentibus: Mortem minatus es; noctu existi; proficiscentem antecessisti: . ex adjuunctis; sonus auditus est; clamor sublatus est: Ex insequentibus sunt illa; latuisti, profugisti, livores et tumores apparuerunt. .

Intuendæ sunt, præcipueque in conjecturis, et (4) *facultates*: credibilius est enim, occisos a pluribus pauciores, a firmioribus imbecilliores, a vigilantibus dormientes, a præparatis inopinantes: quorum contraria in diversum valent. Hæc et in deliberando intuemur, et in judiciis ad duas res solemus referre; an voluerit quis? an potuerit? nam et voluntatem spes facit. Hinc illa apud Ciceronem conjectura; *Insidiatus est Clodius Miloni, non Milo Clodio*: ille cum servis robustis, hic cum mulierum comitatu; ille in equo, hic in rheda; ille expeditus, hic penula irretitus. Facultati autem licet instrumentum conjungere: sunt enim in parte facultatis et copiarum. Sed ex instrumento aliquando etiam signa nascuntur, ut spiculum in corpore inventum.

His adjicitur (5) *modus*; quem *τρόπος* dicunt; quo quæritur, quemadmodum quid sit factum? id, quod tum ad qualitatem scriptumque pertinet; ut, si negemus adulterum veneno occidisse, cum ferro licuisset occidere, sed vel oportuisset: tum ad conjecturas quoque; ut, si dicam

(1) *Tempus*. Pro lege Man. n. 35. Pro Cæli. n. 1. Pro Mil. n. 49—52.

(2) *Ut cum*, pro, quippe quod.

(3) Si dicatur aliquis fuisse signator.

(4) *Facultates*. Pro Mil. n. 54, 55. Pro Rosc. Amer. n. 74, et 92, 93.

(5) *Modus*. Pro Mil. n. 53, et 54. Pro domo sua, n. 53.

bona mente factum, ideoque palam; mala, ideoque ex insidiis, noctu, in solitudine.

In rebus autem omnibus, de quarum vi aut natura quæritur, quasque, etiam citra complexum personarum, cæterorumque ex quibus fit causa, per se intueri possumus, tria sine dubio rursus spectanda sunt; *An sit? Quid sit? Quale sit?* Sed, quia sunt quidam loci argumentorum his omnibus communes, dividi in hæc tria genera non possunt: ideoque locis potius, ut in quosque incurrant, subjicienda sunt.

Ducuntur igitur argumenta ex (1) finitione, seu fine; nam utroque modo traditur. Ejus duplex ratio est aut enim simpliciter quæritur, Sitne hoc virtus? aut, antecedente finitione, Quid sit virtus? Id aut in *universum* verbis complectimur, ut, Rhetorice est bene dicendi scientia; aut per *partes*, ut, Rhetorice est recte inveniendi, et disponendi, et eloquendi cum firma memoria, et cum dignitate actionis, scientia. Præterea finimus aut (2) vi, sicut superiora; aut *ἐπιμολογία*, ut assiduam ab asse dando, et locupletem a locorum, pecuniosum a pecorum copia.

Finitioni subjecta maxime videntur *genus, species, differens, proprium*: ex his omnibus argumenta ducuntur.

(3) *Genus* ad probandam speciem minimum valet, plurimum ad refellendam: itaque non quia est arbor, platanus est; at quod non est arbor, utique platanus non est: nec quod non est virtus, utique potest esse justitia. Itaque a genere perveniendum est ad ultimam speciem: ut, Homo est animal; non est satis, id enim genus est: Mortale; etiam si species est, cum aliis tamen communis finitio: Rationale; nihil supererit ad demonstrandum id, quod velis.

Contra (4) *species* firmam probationem habet generis, infirmam refutationem: nam quod justitia est, utique virtus est; quod non est justitia, potest esse virtus, ut est

(1) *Definitio* Libertatis: Parad. 5. Virorum honorum: Parad. 1. Divitis: Parad. 6. Civitatis: Parad. 4. Exilii: Pro Domo sua. n. 72. Supplicii: In Pis. n. 43—47. Hominis popularis: Agr. 2. n. 9, et 10. Pop. Romani: Pro Domo sua. n. 89, 90. Consulis: In Pis. n. 23. Historiæ: l. 2. de Orat. n. 36. *Per affirmationem* Curia: Pro Mil. n. 90. *Per negationem* Optimatum: Pro Sex. n. 9. *Per utrumque simul*. Verr. 3. n. 8.

(2) Explicando vim rei aut verbi: quid sit, quid significet.

(3) *Genus*. Virtutes Imperatoris in genere: Pro lege Man. n. 64—67, Laudat studia humanitatis: Pro Arch. n. 12—20. De gravitate patricidii: Pro Rosc. Amer. 62—72. De Græcis testibus: Pro Flac. n. 9—29. De Stoicis: Pro Mur. n. 61—67.

(4) *Species*. Laudatur Pompeii temperantia a præcipuis temperantiæ speciebus, per negationem: Pro lege Man. n. 40. Pisonis scelera exaggerantur per species crudelitatis, avaritiæ, perfidiæ, impietatis; In Pis. n. 88—94.

fortitudo, continentia, constantia. Nunquam itaque tolleretur a specie genus, nisi omnes species quæ sunt generi subjectæ removeantur: hoc modo; Quod neque immortale est, neque mortale, animal non est.

His adjiunt (1) *propria, et differentia*. Propriis confirmatur finitio, differentibus solvitur. Proprium autem est, aut quod soli accidit, ut, homini sermo, risus: aut quod utique accidit, sed non soli, ut, igni calefacere. Et sunt ejusdem rei plura propria, ut ipsius ignis, lucere, calere. Itaque quodcumque proprium deerit, solvet finitionem; non utique quodcumque erit, confirmabit. Sæpissime autem, quid sit proprium ejusque, quæritur: ut, si per *τρομορξίαν* dicatur, *tyrannicidæ proprium est tyrannum occidere*, negemus: non enim, si traditum sibi cum carnifex occiderit, tyrannicida dicatur; nec, si imprudens, vel invitus. Quod autem proprium non erit, differens erit: ut, aliud est servum esse, aliud servire: qualis esse in (2) addictis quæstio solet; qui servus est, si manumittatur, fit libertinus, non itidem addictus.

Est argumentorum genus ex *remotione*; qua modo efficitur totum falsum, modo id, quod relinquitur, verum. Totam falsum est, hoc modo: Pecuniam te credidisse dicis? aut habuisti ipse, aut ab aliquo accepisti, aut invenisti, aut surripuisti: si neque domi habuisti, neque ab alio accepisti, nec cætera, non credidisti. Reliquum fit verum sic: Hic servus, quem tibi vendicas, aut vernatus est, aut emptus, aut donatus, aut testamento relictus, aut ex hoste captus, aut alienus. Deinde, remotis prioribus, supererit alienus.

Est argumentorum locus ex (3) *similibus*: Si continentia virtus, utique et abstinencia: Si fidem debet tutor, et procurator. Hoc est ex eo genere, quod *επαγωγὴν* Græci vocant, Cicero *inductionem*. Ex (4) *dissimilibus*: Non, si lætitia bonum, et voluptas: Non, quod mulieri, idem pupillo. Ex (5) *contrariis*: Frugalitas bonum, luxuria enim malum: Si malorum causa bellum est, erit emendatio pax: Si veniam meretur qui imprudens nocuit, non meretur præmium qui imprudens profuit. Ex (6) *pugnans*: Qui est stultus, sapiens non est. Ex (7) *con-*

(1) *Propria et Differentia* ad definitionem præcipue pertinent.

(2) Addictus est is, quem lex servire, donec solverit, jubet. *Turr.*

(3) *Similitudo*. *Ad probandum*. Pro Cluent. n. 67. Pro Mur. n. 4. Pro S. xt. n. 24. et 25. *Ad ornandum*. Pro lege Man. n. 22. Philip. n. 115. Philip. 8. n. 15.

(4) *Dissimilitudo*. Pro Mur. n. 19—22. Pro Planc. n. 68.

(5) *Contraria*. Pro Cæli. n. 31. Pro Cluent. n. 153.

(6) *Pugnans*. Pro Cæli. n. 45. Philip. 2. n. 30 et 31.

(7) *Consequentia*. Pro Mil. n. 61. Pro Flac. n. 99. Catil. 4. n. 11 et 12.

sequentibus, sive adjunctis: Si justitia est bonum, rectè judicandum. Si malum perfidia, non est fallendum. Idem retro.

Apposita vel (1) comparativa dicuntur, quæ majora ex minoribus, minora ex majoribus, paria ex paribus probant.

Confirmatur conjectura ex majore; Si quis sacrilegium facit, faciet et furtum: ex minore; Qui facile ac palam mentitur, pejerabit: ex pari; Qui ob rem judicandam pecuniam accepit, et ob dicendum falsum testimonium accipiet.

Juris confirmatio est hujusmodi; ex majore, Si adulterum occidere licet, et loris cedere? ex minore, Si furem nocturnum occidere licet, quid latronem? ex pari, Quæ pœna adversus interfectorem patris justa est, eadem adversus matris: quorum omnium tractatus versatur in syllogismis.

Illa magis finitionibus aut qualitativibus prosunt; Si robur corporibus bonum non est, minus sanitas; Si furtum scelus, magis sacrilegium; Si abstinentia virtus, et continentia; Si mundus providentia regitur, administranda est respublica; Si domus ædificari sine ratione non potest, quid agendum in navalium cura, et armorum? . . .

Ergo, ut breviter contraham summam, ducuntur argumenta a personis, causis, locis, tempore, . . facultatibus, . . modo, . . finitione, genere, specie, differentibus, propriis, remotione, . . similibus, dissimilibus, contrariis, pugnantibus, consequentibus, . . jugatis, comparatione, quæ in plures diducitur species. . .

Has fere sedes accepimus probationum in universum: quas nec generatim tradere sat est, cum ex qualibet earum innumerabilis argumentorum copia oriatur, neque per singulas species exequi patitur natura rerum: quod qui sunt facere conati, duo pariter subierunt incommoda, ut et *nimum* dicerent, nec tamen *totum*.

Unde plurimi cum in hos inexplicabiles laqueos incidissent, omnem etiam quem ex ingenio suo potuerant habere conatum, velut adstricti certis legum vinculis perdiderunt, et magistrum respicientes, naturam ducem sequi desierunt. Nam, ut per se non sufficit scire, omnes probationes aut a personis, aut a rebus peti, quia utrumque in plura dividitur; ita ex antecedentibus, et junctis, et insequentibus trahenda esse argumenta qui acceperit, protinus in hoc sit instructus, ut quid in quaque causa dicendum sit, ex

(1) *Comparatio triplex. A majore ad minus.* Pro Mil. n. 16. Pro Rosc. Amer. n. 131. *A minore ad majus.* Pro lege Man. n. 11. Pro Planc. n. 26. *A Paribus.* Catil. 1. n. 17. Pro Sylla n. 3—5.

his sciat? præsertim cum plurimæ probationes in ipso casuarum complexu reperiantur, ita ut sint cum alia lite nulla communes; cæque sint et potentissimæ, et minime obviæ; quia communia ex præceptis accepimus, propria inveniendæ sunt. Hoc genus argumentorum sane ducamus *ex circumstantia*, quia *περίστασις* dicere aliter non possumus, vel ex iis quæ cujusque causæ propria sunt. . .

Nec minus in hoc curæ debet adhiberi, quid proponendum, quam quo modo sit quod proposueris probandum. Hic omnino vis inventionis, si non major, certe prior: nam, ut tela supervacua sunt nescienti quid petat, sic argumenta, nisi prævideris cui rei adhibenda sint. Hoc est, quod comprehendi *arte* non possit: ideoque, cum plures eadem didicerint, generibus quidem argumentorum similibus utentur; alius tamen alio plura, quibus utatur, inveniet.

Sit exempli gratia proposita controversia, quæ minime communes cum aliis quæstiones habet: Cum Thebas evertisset Alexander, invenit tabulas, quibus centum talenta mutuo Thessalis dedisse Thebanos continebatur: has, quia erat usus commilitio Thessalorum, donavit his ultro: postea restituti a Cassandro, repossunt Thebani Thessalos: apud (1) Amphictyonas agitur: centum talenta et credidisse eos constat, et non recepisse: lis omnis ex eo, quod Alexander ea Thessalis donasse dicitur, pendet: constat illud quoque, non esse his ab Alexandro pecuniam datam. Quæritur ergo, an perinde sit quod datum est, ac si pecuniam dederit? Quid proderunt argumentorum loci, nisi hæc prius videro; nihil eum egisse donando; non potuisse donare; non donasse?

Et prima quidem actio facilis ac favorabilis, repetentium jure quod vi sit ablatum: sed hinc aspera et vehementis quæstio exoritur de jure belli, dicentibus Thessalis, hoc regna, populos, fines gentium atque urbium contineri. Inveniendum contra est, quo distet hæc causa a cæteris quæ in potestatem victoris venirent: nec circa probationem res hæret, sed circa propositionem. Dicamus primum: In eo, quod in judicium deduci potest, nihil valere jus belli; nec armis erepta, nisi armis posse retineri: itaque ubi illa valeant, non esse judicem; ubi judex sit, illa nihil valere. Hoc inveniendum est, ut adhiberi possit argumentum: ideo captivos, si in patriam

(1) *Amphictyones*, judices erant totius Græciæ, qui in Thermopylis de litibus disceptabant. Eo autem conventus fiebat ab omnibus Græciæ populis. *Turn.*

suam redierint, liberos esse, quia bello parta non nisi eadem vi possideantur. Proprium est et illud causæ; quod Amphictyones judicant: ut alia apud Centumviros, alia apud privatum judicem in iisdem quæstionibus ratio. Tum secundo gradu: Non potuisse donari a victore jus, quia id demum sit ejus, quod ipse teneat; jus, quod sit incorporale, apprehendi manu non posse. Hoc reperire difficilius, quam, cum inveneris, argumentis adjuvare: ut alia sit conditio hæredis, alia victoris; quia ad illum jus, ad hunc res transeat. Proprium deinde materiæ: Jus publici crediti transire ad victorem non potuisse, quia quod populus crediderit omnibus debeatur; et, quandiu quilibet unus superfuerit, esse eum totius summæ creditorem: Thebanos autem non omnes in Alexandri manu fuisse. Hoc non extrinsecus probatur, quæ vis est argumenti, sed ipsum per se valet. Tertii loci pars prior magis vulgaris: Non in tabulis esse jus: itaque multis argumentis defendi potest. Meus quoque Alexandri duci debet in dubium: Honorarit eos, an deceperit? Illud jam rursus materiæ proprium, et velut novæ controversiæ; Quod restitutione recepisse jus, etiam si quod amiserint, Thebani videntur. Hic et quid Cassander velit, quæritur: sed vel potentissima apud Amphictyonas æqui tractatio est.

Hæc non idcirco dico, quod inutilem horum locorum, ex quibus argumenta ducuntur, cognitionem putem; alioqui nec tradidissem; sed ne, si qui cognoverint ista, si cætera negligant, perfectos se protinus atque consummatos putent; et, nisi in cæteris, quæ mox præcipienda sunt, elaboraverint, mutam quandam scientiam consecutos intelligant. Nec enim *Artibus* editis factum est, ut argumenta inveniremus: sed dicta sunt omnia ante quam præciperentur; mox ea scriptores observata et collecta ediderunt. Cujus rei probatio est, quod exemplis eorum veteribus utuntur, et ab oratoribus illa repetunt: ipsi nullum novum, et quod dictum non sit, inveniunt. Artifices ergo illi, qui dixerunt; sed habenda iis quoque gratia est, per quos labor nobis detractus est: nam quæ priores beneficio ingenii singula invenerunt, nobis et non sunt requirenda, et nota omnia; sed non magis hoc sat est, quam palæstram didicisse, nisi corpus exercitatione, continentia, cibus, ante omnia natura juvetur: sicut contra, ne illa quidem satis sine arte profuerint.

Illud quoque studiosi eloquentiæ cogitent; neque omnibus in causis ea, quæ de monstravimus, euncta posse reperiri; neque, cum proposita fuerit materia dicendi,

scrutanda singula, et velut (1) ostiatim pulsanda, ut sciant an ad probandum id quod intendimus forte respondeant, nisi cum discunt, et adhuc usu carent. Infinitam enim faciet ipsa res dicendi tarditatem, si semper necesse sit, ut, tentantes unumquodque eorum, quod sit aptum atque conveniens, experiendo noscamus: nescio an etiam impedimento futura sint, nisi et animi quædam ingenita natura, et studio exercitata velocitas, recta nos ad ea, quæ conveniunt causæ, ferant. Nam, ut cantus vocis plurimum juvat sociata nervorum concordia, si tamen tardior manus, nisi inspectis dimensisque singulis quibus quæque vox fidibus jungenda sit, dubitet, potius fuerit esse contentum eo, quod simplex canendi natura tulerit; ita hujusmodi præceptis debet quidem aptata esse, et citharæ modo intenta, ratio doctrinæ: sed hoc exercitatione multa consequendum; ut, quemadmodum illorum artificum, etiam si alio spectent, manus tamen ipsa consuetudine ad graves, acutos, mediosque horum sonos fertur, sic oratoris cogitationem nihil moretur hæc varietas argumentorum et copia, sed quasi offerat se, et occurrat; et, ut literæ syllabæque scribentium cogitationem non exigunt, sic rationes sponte quadam sequantur.

XI. TERTIUM genus ex iis quæ extrinsecus adducuntur in causam, Græci vocant *παράδειγμα*, nostri *exemplum* . . . id est, rei gestæ, aut ut gesta, utilis ad persuadendum id quod intenderis, commemoratio. Intuendum igitur, totum simile sit, an ex parte: ut aut omnia ex eo sumamus, aut quæ utilia erunt: simile est; Jure occisus est Saturninus, sicut Gracchi: dissimile; Brutus occidit liberos proditorem molientes, Manlius virtutem filii morte multavit: contrarium; Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit, Verres eadem sociis abstulit. Et probandorum et culpandorum ex his confirmatio eosdem gradus habet. Etiam in iis, quæ futura dicemus, utilis similitum admonitio est: ut, si quis dicens, Dionysium idcirco petere custodes salutis suæ, ut eorum adjutus armis tyrannidem occupet, hoc referat exemplum, (2) Eadem ratione Pisistratum ad dominationem pervenisse.

Sed, ut sunt exempla interim tota similia, ut hoc proximum, sic interim ex majoribus ad minora, ex minoribus ad majora ducuntur; Si propter matrimonia vio-

(1) Acute conj. Gesnerus, *ostia tum pulsanda*, &c; sed *singula*, et *ostiatim*, et *unumquodque*, satis eleganter inter se convenire, nec commode distrahi posse, videntur. O.

(2) Idem exemplum est apud Aristotelem, *Rhet.* 1, 2, 19. Q.

Jata urbes eversæ sunt, quid fieri adultero par est?—Tibicines cum ab urbe discessissent, publice revocati sunt; quanto magis principes civitatis viri, et bene de republica meriti, cum invidia cesserint, ab exilio reducendi? Ad exhortationem vero præcipue valent imparia; Admirabilior in femina, quam in viro virtus. Quare, si ad fortiter faciendum accendatur aliquis, non tantum afferent momenti Horatius et Torquatus, quantum illa mulier, cujus manu Pyrrhus est interfectus: et ad moriendum non tam Cato et Scipio, quam Lucretia: quod ipsum est ex minoribus ad majora.

Singula igitur horum generum ex Cicerone (nam unde potius?) exempla ponamus. *Simile* est hoc pro Muræna: Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo atque optimo viro, peterem: superari tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam;—*Majus minoris*, pro Milone: Negant intueri lucem fas esse ei qui a se hominem occisum esse fateatur? In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii fortissimi viri, qui, nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, cum sua manu sororem esse interfectam fateretur:—*Minus majoris*: Occidi, occidi, non Spurium Melium, qui annona levanda, jacturaque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi, &c; deinde; Sed eum (auderet enim dicere, cum patriam periculo suo liberasset) cujus nefarium adulterium in pulvinaribus— Et totus in Clodium locus.

Dissimile plures causas habet: fit enim genere, modo, tempore, loco, cæterisque; per quæ fere omnia Cicero præjudicia, quæ de Cluentio videbantur facta, subvertit; *contrario* vero exemplo censoriam notam, laudando censorem Africanum, qui eum, quem pejerasse (1) conceptis verbis palam dixisset, testimonium etiam pollicitus si quis contra diceret, nullo accusante (2) traducere equum passus est: quæ, quia erant longiora, non suis verbis exposui. Breve autem apud Virgilium contrarii exemplum est:

*At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo. — — —*

(1) Antiqui in juræjurando certam verborum formulam observabant; idque *conceptis verbis* jurare dicebant. Quod si quis tum falsum dixisset, *conceptis verbis pejerasse* ferebatur. *Turn.*

(2) Romani equites idibus Quintilibus recognoscebantur, equumque traducebant: quibus autem censor inustam vellet ignominiam notam, iis equum adhibebat. *Turn.*

Quædam autem ex iis quæ gesta sunt, tota narrabimus; ut Cicero pro Milone: Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu Caii Marii, propinquus ejus imperatoris, ab eo interfectus est, cui vim afferebat: facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit: atque hunc ille summus vir scelere solum periculo liberavit. Quædam significare satis erit, ut idem, ac pro eodem: Neque cuius posset aut Ahala ille Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut me consule senatus non nefarius haberi, si sceleratos interfici nefas esset. Hæc ita dicentur, prout nota erunt, vel utilitas causæ aut decor postulabit.

Eadem ratio est eorum quæ ex poeticis fabulis ducuntur, nisi quod his minus affirmationis adhibetur; cujus usus qualis esse deberet, idem optimus auctor ac magister eloquentiæ ostendit: nam hujus quoque generis eadem in oratione reperietur exemplum: Itaque hoc, judices, non sine causa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, eum qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententiis, non solum humana, sed etiam sapientissimæ Deæ sententia liberatum.

Illæ quoque fabulæ, quæ etiamsi ab Æsopo originem non acceperunt (nam videtur earum primus auctor Hesiodus) nomine tamen Æsopi maxime celebrantur, ducere animos solent, præcipue rusticorum, et imperitorum: qui et simplicius quæ ficta sunt audiunt, et, capti voluptate, facile iis quibus delectantur consentiunt. Siquidem et Menenius Agrippa plebem cum patribus in gratiam traditur reduxisse nota illa de membris humanis adversus ventrem discordantibus fabula; et Horatius ne in poemate quidem humilem hujus generis usum putavit, in illis versibus:

Olim quod vulpes ægroto cauta leonî, &c. .

Proximas exempli vires habet *similitudo*, præcipueque illa quæ ducitur citra ullam translationum misturam ex rebus pene paribus: Ut qui accipere in campo consueverunt, iis candidatis quorum nummos suppressos esse putant, inimicissimi solent esse; sic hujusmodi iudices infesti tum reo venerant. Nam παραβολή, quam Cicero collationem vocat, longius res quæ comparantur repetere solet. Nec hominum modo inter se opera similia spectantur, ut Cicero pro Murena facit, . sed et a mutis atque etiam inanibus interim hujusmodi ducitur; . ut, si animum dicas excolen-

dum, similitudine utaris terræ, quæ neglecta sentes atque dumos, exculta fructus creat: aut, si ad curam reipublicæ horteris, ostendas apes etiam formicasque, non modo muta, sed etiam parva animalia, in commune tamen laborare. Ex hoc genere dictum est illud Ciceronis: Ut corpora nostra sine mente, ita civitas sine lege, suis partibus ut nervis ac sanguine et membris uti non potest. Sed, ut hac corporis humani pro Cluentio, ita pro Cornelio equorum, pro Archia saxorum quoque est usus similitudine. Illa (ut dixi) propiora; Ut remiges sine gubernatore, ita milites sine imperatore nihil valere.

Solent tamen fallere similitudinum species, ideoque adhibendum est his iudicium. Neque enim ut navis utilior nova quam vetus, sic amicitia: vel ut laudanda quæ pecuniam suam pluribus largitur, ita quæ formam. Verba sunt in his similia, largitionis et vetustatis: vis quidem longe diversa, pecuniæ, et pudicitia. Itaque in hoc genere maxime quæritur, an simile sit quod infertur. Etiam in illis interrogationibus Socratis, cavendum ne incaute respondeas: ut apud Æschinem Socraticum male respondit Aspasiæ Xenophontis uxor: quod Cicero his verbis transfert: Dic mihi, quæso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum quam tu habes, utrum illius, an tuum malis? illius, inquit: Quid? si vestem et cæterum ornatum muliebre pretii majoris habeat quam tu habes, tuum an illius malis? illius vero, respondit: Age, inquit, si virum illa meliorem habeat quam tu habes, virumne tuum an illius malis? hic mulier erubuit: Merito; male enim responderat, se malle alienum aurum quam suum: nam est id improbum: at si respondisset, malle se aurum suum tale esse quale illud esset, potuisset pudice respondere, malle se virum suum talem esse qualis melior esset. . .

Adhibetur extrinsecus in causam et auctoritas. Hæc secuti Græcos, a quibus *κρίσεις* dicuntur, iudicia aut iudicationes vocant, non de quibus ex causa dicta sententia est; nam ea quidem in exemplorum locum cedunt; sed, si quid ita visum gentibus, populis, sapientibus viris, claris civibus, illustribus poetis, referri potest.

Ne hæc quidem vulgo dicta, et recepta persuasione populari, sine usu fuerint testimonia. Sunt enim quodammodo vel potentiora etiam, quod non causis accommodata, sed, liberis odio et gratia mentibus, ideo tantum dicta factaque, quia aut honestissima aut verissima videbantur.

An vero me de incommodis vitæ disserentem non adju-

vabit earum persuasio (1) nationum, quæ fletibus natos, lætitiâ defunctos prosequuntur? aut si misericordiam commendabo iudici, nihil proderit quod prudentissima civitas Atheniensium non eam pro affectu, sed pro numine accepit?

Nam illa septem præcepta sapientum, nonne quasdam vitæ leges existimamus? Si causam veneficii dicat adultera, non Marci Catonis iudicio damnata videatur, qui nullam adulteram non eandem esse veneficam dixit?

Jam sententiis quidem poetarum non orationes modo sunt refertæ, sed libri etiam philosophorum: qui quamquam inferiora omnia præceptis suis ac literis credunt, repetere tamen auctoritatem a plurimis versibus non fastidierunt. Neque est ignobile exemplum, Megareos ab Atheniensibus, cum de Salamine contenderent, victos Homeri (2) versu, qui tamen ipse non in omni editione reperitur, significans Ajacem naves suas Atheniensibus junxisse.

Ea quoque quæ vulgo recepta sunt, hoc ipso, quod incertum auctorem habent, velut omnium fiunt; quale est, (3) Ubi amici, ibi opes: et, Conscientia mille testes: et apud Ciceronem, Pares autem, ut est in vetere proverbio, cum paribus facillime congregantur: Neque enim durassent hæc in æternum, nisi vera omnibus viderentur.

XII. HÆC fere de *probatione*, vel ab aliis tradita, vel usu percepta, in hoc tempus sciebam. Nec mihi fiducia est, ut ea sola esse contendam; quin imo hortor ad quærendum, et inveniri posse fateor: quæ tamen adjecta fuerint, non multum ab his abhorrebunt. Nunc breviter, quem ad modum sit utendum his, subjungam.

Traditum fere est, Argumentum oportere esse confessum: dubiis enim probari dubia qui possunt? Quædam tamen, quæ in alterius rei probationem ducimus, ipsa probanda sunt; Occidisti virum, eras enim adultera: prius de adulterio convincendum est; ut, cum id cæperit esse præ certo, fiat incerti argumentum: Spiculum tuum

(1) Herodotus hoc refert de Thrausis, populis Thraciæ finitimis, lib. 5. n. 4. Turn.

(2) Plutarchus in Solone ait Solonem inseruisse versum illum, et causam obtinuisse. Versus Homeri sunt hi ex II. β. v. 561.

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖν' ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας·

Στῆσε δ' ἄγων, ἰν' Ἀθηναίων ἴσαντο φάλαγγες.

(3) Plant. in Trucul. Act 4. sc. 4. v. 32. Apud quem tamen aliter hunc locum alii legunt.

in corpore occisi inventum est: negat suum: ut probationi prosit, probandum est. Illud hoc loco monere inter necessaria est; nulla esse firmiora, quam quæ ex dubiis facta sunt certa: Cædes a te commissa est, cruentam enim vestem habuisti: non est tam grave argumentum, si fatetur, quam si vincitur: nam si fatetur, multis ex causis potuit cruenta esse vestis; si negat, hic causæ cardinem ponit; in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit: non enim videtur in negando mentiturus fuisse, nisi desperasset id posse defendi, si confiteretur.

Firmissimis argumentorum *singulis* instandum; infirmiora *congreganda* sunt: quia illa per se fortia non oportet circumstantibus obscurare, ut qualia sunt appareant; hæc, imbecilla natura, mutuo auxilio sustententur; itaque, si non possunt valere quia magna (1) sunt, valebunt quia multa sunt, quæ ad ejusdem rei probationem omnia spectant; ut si quis hæreditatis gratia hominem occidisse dicatur: Hæreditatem sperabas, et magnam hæreditatem; et pauper eras, et tum maxime a creditoribus appellaberis; et offenderas eum cujus hæres eras, et mutaturum tabulas sciebas: Singula levia sunt et communia, universa vero nocent, etiam si non ut fulmine, tamen ut grandine.

Quædam argumenta ponere satis non est, adjuvanda sunt: ut, si cupiditas causa sceleris fuit, quæ sit vis ejus; ira, quantum efficiat in animis hominum talis affectio. Ita et firmiora erunt ipsa, et plus habebunt decoris, si non nudos et velut carne spoliatos artus ostenderint. Multum etiam refert, si argumento nitentur odii, utrum hoc ex invidia sit, an ex injuria, an ex ambitu; vetus, an novum; adversus inferiorem, parem, an superiorem; alienum, an propinquum. Suos habent omnia ista tractatus, et ad utilitatem partis ejus quam tuemur referenda sunt.

Nec tamen omnibus semper, quæ invenerimus, argumentis onerandus est iudex: quia et tædium afferunt, et fidem detrahunt. Neque enim iudex potest credere satis esse ea potentia, quæ non putamus ipsi sufficere, qui dicimus. In rebus vero apertis argumentari tam sit stultum, quam in clarissimum solem mortale lumen inferre.

His quidam probationes adjiciunt, quas (2) *παθητικὰς*

(1) Non insertum legimus in quibusdam libris; sed fortasse elegantius omissum foret; *ἢ μὴ ὅτι μεγάλα, ἀλλ' ὅτι πολλὰ γε. Ο.*

(2) Videtur Fabius *παθητικὰς* dixisse pro ethicis. Ethicæ enim Aristoteli sunt, quæ ab hominum moribus ducuntur: de quibus agit hoc loco Fabius, ut de patheticis lib. 6. *Turn.*

vocant, ductas ex affectibus. Atque Aristoteles quidem potentissimum putat ex eo qui dicit, si sit vir optimus; quod ut optimum est, ita longe quidem sed sequitur tamen, *videri*: inde enim illa nobilis Scauri defensio; Quintus Varius Sueronensis ait Æmilium Scaurum rempublicam populi Romani prodidisse; Æmilium Scaurus negat. Cui simile quiddam fecisse Iphicrates dicitur, qui cum Aristophontem, quo accusante similis criminis reus erat, interrogasset, an is accepta pecunia rempublicam proditurus esset, isque id negasset: *Quod igitur, inquit, tu non fecisses, ego feci?* . .

Quæsitum etiam, potentissima argumenta primone ponenda sint loco, ut occupent animos; an summo, ut inde dimittant; an partita primo summoque, ut (1) Homerica dispositione in medio sint infirma; an a minimis crescant? quæ, prout ratio causæ cujusque postulabit, ordinabuntur; uno, ut ego censeo, excepto, ne a potentissimis ad levissima decrescat oratio. .

Ipsas argumentorum velut sedes non me quidem omnes ostendisse confido, plurimas tamen: quod eo diligentius faciendum fuit, quia declamationes, quibus ad pugnam forensam velut (2) præpilatis exerceri solebanus, olim jam ab illa vera imagine orandi recesserunt, atque ad solam compositæ voluptatem nervis carent. .

Quapropter eloquentiam, licet hanc (ut sentio enim, dicam) libidinosam resupina voluptate auditoria probent, nullam esse existimabo, quæ ne minimum quidem in se indicium masculini et incorrupti, ne dicam gravis et sancti viri, ostendet. An vero statuarum artifices, pictoresque clarissimi, cum corpora quam speciosissima fingenda pingendove efficere cuperent, nunquam tamen in hunc inciderunt errorem, ut (3) Bagoam, aut Megabyzum aliquem in exemplum operis assumerent sibi, sed (4) Doryphoron illum, aptum vel militiæ vel palæstræ; aliorumque juvenum bellicosorum et athletarum corpora

(1) Nestor apud Homerum, Il. 4, 297, fortes prima collocat acie, imbelles media, præstantes ultima. *Turn.*

(2) Recte contra Harduinum Gesnerus intelligit hastas, non a pilo acutas, spiculo munitas, sed a pila præfixa obtusas atque innoxias, ut *rappir* Germ. *fleurets* Gall. *O.*

(3) Nomina Eunuchis frequentia. *R.* *Bagoam* vocant spadones, ait Plinius 13, 4, 9. De Megabyzo vel Megalobyzo Strabo 14, 950, in Ephesi descriptione: *Ἰεγείας δ' ἐυνουχούς ἔχον, δις ἑκατὸν Μεγαλοβυζούς. O.*

(4) *Doryphoros* appellant Græci satellites ac prætorianos milites, qui rebus ad eustodiam corporis solent assistere. Sunt autem hi excelsa statura et egregia fere forma. Cæterum Polyclethus *Doryphorum* finxit, quam statuam sibi magistram dixit fuisse Lysippus. *Turn.*

decora vere existimarunt: nos, qui oratorem studemus effingere, non *arma*, sed *tympana* eloquentiæ deimus?

Igitur et ille quem instituumus adolescens, quam maxime potest, componat se ad imitationem veritatis, imiturusque frequenter forensium certaminum pugnam jam in schola victoriam spectet, et ferire vitalia ac tueri sciat: et præceptor id maxime exigit, et inventum præcipue probet. Nam ut ad pejora juvenes laude ducuntur, ita laudari in bonis gaudent. Nunc illud mali est, quod necessaria silentio plerumque transeunt, nec in dicendo videtur inter bona (1) utilitas. Sed hæc et in alio (2) nobis tractata sunt opere, et in hoc sæpe repetenda. Nunc ad ordinem inceptum revertamur.

XIII. REFUTATIO dupliciter accipi potest. Nam et pars defensoris tota posita est in refutatione; et quæ dicta sunt ex diverso, debent utrinque dissolvi: et hæc est proprie, cui in causis quartus assignatur locus: sed utriusque similis conditio est. Neque vero ex aliis locis ratio argumentorum in hac parte peti potest, quam in *confirmatione*: nec locorum, aut sententiarum, aut verborum et figurarum alia conditio est. Affectus plerumque hæc pars mitiores habet.

Non sine causa tamen difficilius semper est creditum (quod Cicero sæpe testatur) defendere, quam accusare: *primum*, quod est res illa simplicior: proponitur enim uno modo; varie dissolvitur: cum accusatori satis sit plerumque verum esse id quod objecerit; patronus neget, defendat, transferat, excuset, deprecetur, molliat, minuat, avertat, despiciat, derideat; (3) quare indirecta fere, atque, ut sic dixerim, clamosa est actio: hinc mille flexus et artes desiderantur: *tum* accusator præmeditata pleraque domo affert; patronus etiam inopinatis frequenter occurrit: accusator dat testem; patronus ex re ipsa refellit: accusator criminum invidia, etsi falsa sit, materiam dicendi trahit, de parricidio, sacrilegio, (4) majestate; quæ patrono tantum neganda sunt. Ideoque accusationibus etiam mediocres in dicendo suffecerunt; bonus defensor nemo, nisi qui eloquentissimus, fuit: nam, ut quod sentio semel finiam, tanto est accusare

(1) Quæ utilia tantum ad causam sunt, nec ita venusta, jam non numerantur inter virtutes orationis.

(2) In lib. *de causis corruptæ eloquentiæ*, de quo plura mox, si vacabit. O.

(3) Hoc intelligendum de actione patroni, qui sæpe objecta crimina ueniam sed indirecte diluit, et magnos sæpe clamores adhibet.

(4) Scilicet, *lesa* majestate; Anglice, *High Treason*. O.

quam defendere, quanto facere quam sanare vulnera, facilius.

Plurimum autem refert, et *quid* protulerit adversarius, et *quo modo*.

Primum igitur intuendum est, id cui responsuri sumus, proprium sit ejus judicii, an ad causam extra accessitum: nam si est proprium, aut negandum, aut defendendum, aut transferendum: extra hæc in judiciis fere nihil est. Deprecatio quidem, quæ est sine ulla specie defensionis, rara admodum, et apud eos solos judices, qui nulla certa pronuntiandi forma tenentur: quanquam illæ quoque apud C. Cæsarem, et triumviros, pro diversarum partium hominibus actiones, etiam si precibus utuntur, adhibent tamen patrocina: nisi hoc non fortissime defendentis est dicere: Quid aliud egimus, Tubero, nisi ut, quod hic potest, nos possemus? Quod si quando apud principem, aliumve cui utrum velit liceat, dicendum erit; dignum quidem morte eum pro quo loquemur, clementi tamen servandum esse vel talem: primum omnium, non erit nobis res cum adversario, sed cum iudice; deinde, forma deliberativæ magis materiæ quam judicialis utemur: suadebimus enim, ut laudem humanitatis potius quam voluptatem ultionis concupiscat. Apud iudices quidem secundum leges dicturos sententiam, de confessis præcipere ridiculum est. Ergo, quæ neque negari, neque transferri possunt, utique defendenda sunt, qualiacunque sint; aut causa (1) cedendum.

Negandi duplicem ostendimus formam: aut non esse factum; aut non hoc esse quod factum sit. Quæ neque defendi, neque transferri possunt, utique neganda; nec solum si finitio potest esse pro nobis, sed etiam si nuda infitatio superest: *testes* erunt? multa in eos dicere licet: *chirographum*? de similitudine literarum disserendum: utique nihil erit pejus quam confessio.

Ultima est actionis controversia, cum defendendi negandive non est locus, *translatio*. Atqui quædam sunt, quæ neque negari, neque defendi, neque transferri possunt. . Quare illud stultissime præcipitur; quod defendi non possit, silentio dissimulandum; si quidem est id, de quo iudex pronuntiaturus est: at, si extra causam sit adductum, et tamen conjunctum, malim quidem dicere, nihil id ad quæstionem, nec esse in his morandum, et minus esse quam adversarius dicit: (2) tamen velut huic

(1) *Cedit* causa, qui infeliciter eam defendit; *cedit*, qui non defendit; uti Gesnerus jam recte adnotavit: male igitur quidam legunt *cadendum*. O.

(2) Simulare potest patronus oblitum se respondere huic loco.

simulationi oblivionis ignoscam. Debet enim bonus advocatus pro rei salute brevem negligentiam reprehensionem non pertimescere.

Videndum etiam, simul nobis plura aggredienda sint, an amolenda singula. Plura simul invalimus, si aut tam infirma sunt, ut pariter impelli possint, aut tam molesta, ut pedem conferre cum singulis non expediat: tum enim toto corpore obnitendum, et, ut sic dixerim, directa fronte pugnandum est. Interim, si resolvere ex parte diversa dicta difficilius erit, nostra argumenta cum adversariorum argumentis conferemus, si modo, hæc ut valentiora videantur, effici poterit.

Quæ vero turba valebunt, diducenda erunt; ut, quod paulo ante dixi, Eras hæres, et pauper, et magna pecunia appellabaris a creditoribus, et offenderas, et mutaturum tabulas testamenti sciebas: Urgent universa; at, si singula quæque dissolveris, jam illa flamma, quæ magna congerie convaluerat, diductis quibus alebatur, concidet: ut, si vel maxima flumina in rivis diducantur, qualibet transitum præbent.

Itaque propositio quoque secundum hanc utilitatem accommodabitur, ut ea nunc singula ostendamus, nunc complectamur universa. Nam interim, quod pluribus collegit adversarius, satis est semel proponere: ut, si multas causas faciendi, quod arguit, reo dicet accusator fuisse; nos, non enumeratis singulis, semel hoc intuendum negemus, quia non, quisquis causam faciendi sceleris habuit, et fecerit. Sæpius tamen accusatori congerere argumenta, reo dissolvere expediet.

Id autem, quod erit ab adversario dictum, quo modo refutari debeat, intuendum est: nam, si erit palam falsum, negare satis est: ut pro Cluentio Cicero, eum, quem dixerat accusator epoto poculo concidisse, negat eodem die mortuum. Palam etiam contraria, et supervacua, et stulta reprehendere, nullius est artis: ideoque nec rationes eorum, nec exempla tradere necesse est. Id quoque (obscurum vocant) quod secreto, et sine teste aut argumento, dicitur factum, satis natura sua infirmum est: sufficit enim, quod adversarius non probat; item, si ad causam non pertinet.

Est tamen interim oratoris efficere, ut quid aut contrarium esse, aut a causa diversum, aut incredibile, aut supervacuum, aut nostræ potius causæ videatur esse conjunctum. Objicitur Oppio, quod de militum cibariis detraxerit: asperum crimen: sed contrarium ostendit Cicero, quia iidem accusatores objecerunt Oppio, quod is voluerit

largiendo corrumpere exercitum. Testes in Cornelium accusator lecti a tribuno codicis pollicetur: facit hoc Cicero supervacuum, quia idem fateatur ipse. Petit accusationem in Verrem Quintus Cæcilius, quod fuerat quæstor ejus: ipsum Cicero, ut pro se videretur, efficit.

Cætera, quæ proponuntur, communes locos habent: aut enim *conjectura* excutiuntur; an vera sint: aut *finitione*; an propria: aut *qualitate*; an inhonesta, iniqua, improba, inhumana, crudelia, et cætera quæ ei generi accidunt.

Nonnunquam tamen quædam bene continentur, vel tanquam levia, vel tanquam ad causam nihil pertinentia. Multis hoc locis facit Cicero. Sed hæc simulatio interim huc usque procedit, ut, quæ dicendo refutare non possumus, quasi fastidiendo calcemus. Quoniam vero maxima pars eorum similibus constat, rimandum erit diligentissime, quid sit in quoque, quod assumitur, dissimile. Id in *jure* facile deprehenditur: est enim scriptum de rebus utique diversis, tantoque magis ipsa rerum differentia potest esse manifesta. Illas vero similitudines, quæ ducuntur ex mutis animalibus, aut inanimis, facile est eludere. Exempla rerum varie tractanda sunt, si nocebunt: quæ, si vetera erunt, fabulosa dicere licebit; si indubia, maxime quidem dissimilia: neque enim fieri potest, ut paria sint omnia: ut, si Nasicæ post occisum Gracchum defendatur exemplo Alialæ, a quo Melius est interfectus, Melium regni affectatorem fuisse; a Graccho leges modo latas esse populares; Alialam magistrum equitum fuisse; Nasicam privatam esse, dicatur. Si defecerint omnia, tum videndum erit, an obtineri possit, ne illud quidem reate factum. Quod de exemplis, idem etiam de iudicatis observandum.

Quod autem posui, referre *quo* quidque *modo* accusator dixerit, huc pertinet; ut, si est minus efficaciter locutus, ipsa ejus verba ponantur; si acri et vehementi usus fuerit oratione, eandem rem nostris verbis (1) mitioribus proferamus: ut Cicero pro Cornelio, *Codicem attigit*: et protinus cum quadam defensione: ut, si pro luxurioso dicendum sit, *Objecta est paulo liberalior vita*: sic et pro sordido parcum, pro maledico liberum, dicere licebit.

(1) Vid. p. 82. Præceptum vero illud debetur Aristoteli, Rhet. I. 9. 29. Ed. Buhle. Ἐκαστον ἐν τῶν παρακολουθουντων ἀεὶ κατὰ τὸ βελτιστον ὄιον, τὸν ὀργιλοὶ καὶ τὸν μανικὸν ἀπλοῦν καὶ τὸν ἀνδραδὴ μεγαλοπρεπῆ καὶ σεμνὸν καὶ τοὺς ἐν ταῖς ὑπερβολαῖς ὡς ἐν ταῖς ἀρεταῖς ὄντας ὄιον, τὸν θρασυὸν ἀνδρείον, καὶ τοὺς ἀσώτους ἐλευθεροὺς. Ο.

Utique nunquam committendum est, ut adversariorum dicta cum sua confirmatione referamus, aut (1) etiam loci alicujus executione adjuvemus, nisi cum eludenda: Apud exercitum mihi fueris, inquit; tot annis forum non attigeris; abfueris tamdiu; et, cum tam longo intervallo veneris, cum iis, qui in foro habitaverunt, dignitate contendas!

Præterea, in contradictionibus interim totum crimen exponitur; ut Cicero pro Scauro contra Bostarem facit, velut orationem diversæ partis imitatus: aut pluribus propositionibus junctis; ut pro Vareno: Cum iter per agros et loca sola faceret cum Populeno, in familiam Ancharianam incidisse dixerunt; deinde Populenum occisum esse; illico Varenum vinctum adservatum, dum hic ostenderet quid de eo fieri vellet: Quod est utique faciendum, si erit incredibilis rei ordo, et ipsa expositione fidem perditurus. Interim per partes dissolvitur, quod contextu nocet: et plerumque id est tutius. Quædam contradictiones natura sunt singulæ: id exemplis non eget.

Communia bene apprehenduntur, non tantum quia utriusque sunt partis, sed quia plus prosunt respondententi: neque enim pigebit, quod sæpe monui, referre; *commune qui prior dicit, contrarium facit*: est enim contrarium, quo adversarius bene uti potest: At enim non verisimile est, tantum scelus M. Cottam esse commentum: quid? hoc verisimile est, tantum scelus Oppium esse conatum?

Artificis autem est, invenire in actione adversarii quæ inter semet ipsa pugnent, aut pugnare videantur: quæ aliquando ex rebus ipsis manifesta sunt; ut in causa Cæliana Clodia aurum se Cælio commodasse dicit, quod signum magnæ familiaritatis est; venenum sibi paratum, quod summi odii argumentum est: Tubero Ligarium accusat, quod is in Africa fuerit; et queritur, quod ab eo ipse in Africam non sit admissus.

Aliquando vero præbet ejus rei occasionem minus considerata ex adverso dicentis oratio: quod accidit præcipue cupidis sententiarum, ut, ducti occasione dicendi, non respiciant quid dixerint, dum locum præsentem, non totam causam intuentur. Quid tam videri potest contra Cluentium, quam censoria nota? quid tam contra eundem, quam filium ab Egnatio corrupti judicii, quo Cluentius Oppianicum circumvenisset, crimine exhæredatum? At

(1) Ipsa ejus argumenta iisdem fere verbis exacte referendo.

hæc Cicero pugnare invicem ostendit: Sed tu, Acci, consideres censeo diligenter, utrum censorium iudicium grave velis esse, an Egnatii: si Egnatii, leve est quod censores de cæteris subscripserunt: ipsum enim Cn. Egnatium, quem tu gravem esse vis, ex senatu ejecerunt: sin autem censorium, hunc ipsum Egnatium, quem pater censoria subscriptione exhaeredavit, censores in senatu, cum patrem eijcerent, retinuerunt.

Illa magis vitiose dicuntur quam acute reprehenduntur; argumentum dubium pro necessario; controversum pro confesso; commune pro proprio; vulgare; supervacuum; (1) serius constitutum; contra fidem. Nam et illa accidunt parum cautis; ut crimen angeant, quod probandum est; de facto disputent, cum de auctore quærratur; impossibilia aggrediantur; pro effectis relinquunt vix dum inchoata; de homine dicere quam de causa malint; hominum vitia rebus assignent, ut si quis decemviratum accuset, non Appium; manifestis repugnent; dicant quod aliter accipi possit; summam quæstionis non intueantur; non ad proposita respondeant, quod unum aliquando recipi potest, cum mala causa adhibitis extrinsecus remediis tuenda est, ut cum peculatus reus Verres fortiter et industrie tuitus contra piratas Siciliam dicitur.

Eadem adversus contradictiones nobis oppositas præcepta sunt: hoc tamen amplius, quod circa eas multæ duobus vitiis diversis laborant. Nam quidam etiam in foro, tanquam molestam rem et odiosam, prætereunt; et, iis plerumque quæ composita domo attulerunt contenti, sine adversario dicunt: et scilicet multo magis in scholis, in quibus non solum contradictiones omittuntur, verum etiam materiæ ipsæ sic plerumque finguntur, ut nihil dici pro parte altera possit. Alii, diligentia lapsi, verbis etiam vel sententiolis omnibus respondendum putant; quod est et infinitum, et supervacuum: non enim causæ reprehenditur, sed actor; quem ego semper videri malium sic disertum, ut, si dixerit quod rei prosit, ingenii credatur laus esse, non causæ; si forte quod lædat, causæ, non ingenii culpa. Itaque illæ reprehensiones, aut obscuritatis, qualis in Rullum est, aut infantia in dicendo, qualis in Pisonem, aut inscitia rerum verborumque, et insulsitatis etiam, qualis in Antonium est, accommodan-

(1) Videtur argumentum *serius constitutum*, quo adversarius opportuno et suo loco non est usus, sed alieno, itaque facile est refutato. *Turn.* Illud *serius rejecit* Gesnerus, glossam esse ratus; sed adeat ejusdem adnotationumculam, si cui vacat et libet. *G.*

tur justis odiis, suntque utiles ad conciliandum iis, quos invisos facere volueris, odium. Alia respondendi patronis ratio: et aliquando non eorum oratio modo, sed vita etiam, vultus denique, incessus, habitus, recte incusari solet: ut adversus Quintium Cicero, non hæc solum, sed ipsam etiam prætextam demissam ad talos insectatus est: preserat enim turbulentis concionibus Cluentium Quintius. Nonnunquam, elevandæ invidiæ gratia, quæ asperius dicta sunt eluduntur; ut a Cicerone Triarius: nam, cum Scauri columnas per urbem plaustris vectas esse dixit, Ego porro, inquit, qui Albanas habeo columnas, elitellis eas apportavi. Et magis hoc in accusatores concessum est, quibus conviciari aliquando patrociniî fides cogit. Illa vero adversus omnes et recepta et non inhumana conquestio, si callide quid tacuisse, breviasse, obscurasse, distulisse dicuntur. . Declamatores vero in primis sunt admonendi, ne contradictiones eas ponant, quibus facillime responderi possit; neu sibi stultum adversarium fingant: facimus autem, quod maxime uberes loci, popularesque nascuntur sententiæ, materiam dicendi nobis quo volumus ducentibus; ut non sit inutilis ille versus:

Non male respondit, male enim prior ille rogarat.

Fallet hæc nos in foro consuetudo; ubi adversario, non ipsi nobis respondebimus. Aiunt Accium interrogatum, cur causas non ageret, cum apud eum in tragædiis tanta vis esset optime respondendi, hanc reddidisse rationem: Quod illic ea dicerentur quæ ipse vellet, in foro dicturi adversarii essent quæ minime vellet. Ridiculum est ergo, in exercitationibus quæ foro præparantur, prius cogitare quid responderi, quam quid ex diverso dici possit: Et bonus præceptor non minus discipulum laudare debet, si quid pro diversa, quam si quid pro sua parte acius excogitarit. . .

Est et illud vitium, nimium solliciti, et circa omnia momenta luctantis: suspectam enim facit iudici causam, et frequenter, quæ statim dicta omnem dubitationem sustulissent, dilata ipsis præparationibus fidem perdunt, quia patronus et aliis crediderit opus fuisse. Fiduciam igitur orator præ se ferat, semperque ita dicat, tanquam de causa optime sentiat: quod, sicut omnia, in Cicerone præcipuum est: nam illa summa cura securitati est similis, tantaque in oratione auctoritas, ut probationis locum obtineat, dubitare nobis non audentibus. Porro, qui scierit quid pars adversa, quid nostra habeat valentissimum,

facile judicabit quibus maxime rebus vel occurrendum sit, vel instandum. Ordo quidem in parte nulla minus affert laboris: nam, si agimus, nostra confirmanda sunt primum; tum, quæ nostris opponuntur, refutanda: si respondemus, prius incipiendum est a refutatione. . Videndum præcipue utriusque parti, ubi sit rei summa: nam fere accidit, ut in causis multa dicantur, de paucis judicetur. In his probandi refutandique ratio est; sed adjuvanda viribus dicentis, et adornanda: quamlibet enim sint ad docendum quod volumus accommodata, tamen erunt infirma, nisi majore quodam oratoris spiritu impleantur. . .

XIV. (1) EPICHIREMATIS et quatuor et quinque et sex etiam factæ sunt partes a quibusdam; mihi, et plurimis nihilo minus auctoribus, tres summum videntur. . prima intentio, secunda assuntio, tertia connexio. . In tribus autem quas fecimus partibus non est forma semper eadem. . . Epichirema autem nullo differt a syllogismo, nisi quod illi et plures habent species, et vera colligunt veris; Epichirematis frequentior circa credibilia est usus. . .

Enthymema ab aliis oratorius syllogismus, ab aliis pars dicitur syllogismi: propterea quod (2) syllogismus utique conclusionem et propositionem habet, et per omnes partes efficit quod proposuit; enthymema tantum intenta intelligi contentum sit. Syllogismus talis: Solum bonum virtus; nam id demum bonum est, quo nemo male uti potest: virtute nemo male uti potest; bonum est ergo virtus. Enthymema ex consequentibus: Bonum est virtus, qua nemo male uti potest: et contra: Non est bonum pecunia; non enim bonum, quo quisquam male uti potest; pecunia potest quis male uti; non igitur bonum est pecunia. Enthymema ex pugnantis: An bonum est pecunia, qua quisque potest male uti? . . .

Peregisse mihi videor sacra tradentium artes: sed consilio locus superest. Namque ego, ut in oratione syllogismo quidem aliquando uti nefas non duco, ita constare totam, aut certe confertam esse, aggressionum et enthy-

(1) *Epichirema* aliter ab aliis intelligitur. Hic illud Fabius pene confundit cum syllogismo. Utriusque tres partes: Major propositio, seu intentio; Minor propositio, seu assuntio; Conclusio, seu connexio. In utroque hæc partes sæpe transponuntur ab oratore, et inverso ordine collocantur. Exemplum, de Invent. u. lib. 1. de Invent. u. 57—73. ubi Cicero hujus ratiocinationis quinque partes esse fusius demonstrat, omisimus.

(2) Syllogismus tres semper habet propositiones, *πρότασεις*, Enthymema autem duas. *Intentionem* enim, seu Majorem propositionem plerumque supponit, eamque *intelligi tantam* postulat, non verbis exprimi.

mematum stipatione, minime velim. Dialogis enim et dialecticis disputationibus erit similior, quam nostri operis actionibus, quæ quidem inter se plurimum differunt. Namque illi homines docti, et inter doctos verum querentes, minutius et scrupulosius scrutantur omnia, et ad liquidum confessumque perducunt: ut qui sibi et inveniendi et judicandi vindicent partes, quarum alteram *τοπικὴν*, alteram *κρίτικὴν* vocant: nobis ad aliorum iudicia componenda est oratio, et sæpius apud omnino imperitos, atque aliarum certe ignaros literarum, loquendum est: quos nisi et delectatione allicimus, et viribus trahimus, et nunquam turbamus affectibus, ipsa quæ justa ac vera sunt tenere non possumus. Locuples et speciosa vult esse eloquentia: quorum nihil consequetur, si conclusionibus certis et crebris et in unam prope formam cadentibus conceisa, et contemptum ex humilitate, et odium ex quadam servitute, et ex copia satietatem, et ex amplitudine fastidium tulerit. Feratur igitur non semitis, sed campis: non uti fontes angustis fistulis colligantur, sed ut latissimi annes, totis vallibus fluat, ac sibi viam, si quando non acceperit, faciat. Nam quid miserius illa lege velut præformatas infantibus literas persequentium, et, ut Græci dicere solent, *quem mater amictum dedit, sollicite custodientium*: Propositio ac conclusio ex consequentibus et repugnantibus? Non inspiret, non auceat, non mille figuris variet ac verset: ut ea nasci, et ipsa provenire natura, non manu facta, et arte suscepta magistrum fateri ubique videantur?

(1) Quis unquam sic dixit orator? Nonne apud ipsum Demosthenem paucissima huiusmodi reperiuntur? Quæ apprehensa Græci magis (nam hoc solum nobis pejus faciunt) in catenas ligant, et inexplicabili serie connectunt, et indubitata colligunt, et probant confessa, et se antiquis per hoc similes vocant. Deinde interrogati, nunquam respondebunt, quem imitentur. (2) Sed de figuris alio loco.

Nunc illud adjiciendum, ne iis quidem consentire me,

(1) Nimirum, ut ruda et dialectica enthymemata torqueret, spinosos et osceos syllogismos proponeret. Apud ipsum Demosthenem, patrem eloquentie, invictum argumentis, cujus plurima leguntur hodie, paucissima extant ista ruda enthymemata; quæ apprehendant *κακοζήλοι* quidam, et, quod ille paucissime fecit, ad id ornem orationem componunt. Vide mihi suaves translationes; *in catenas ligant—inexplicabili serie connectunt*; quibus illi argumentationum formalium et dialecticarum laquei et decipule signantur. Gesner.

(2) Vide lib. ix. c. 1, 2, 3. ubi figuras latius tractat. O.

qui semper argumenta sermone puro, et dilucido, et distincto, cæterum minime læto ornatoque putant esse dicenda. Namque ea distincta quidem, ac perspicua debere esse confiteor: in rebus vero minoribus etiam sermone ac verbis quam maxime propriis, et ex usu. At si major erit materia, nullum ornatum his, qui modo non obscuret, subtrahendum puto. . Quoque quid natura magis asperum, hoc pluribus condiendum est voluptatibus, et nimis suspecta argumentatio, (1) dissimulatione: et multum ad fidem adjuvat audientis voluptas. Nisi forte existimamus Ciceronem male in hac ipsa argumentatione dixisse, (2) *silere leges inter arma, et, gladium nobis interim ab ipsis porrigi legibus*. His tamen habendus modus, ut sint ornamento, non impedimento.

(1) Id est, *εἰρωνεία* quadam condienda, &c. O.

(2) In oratione pro Milone habita leguntur ista; quæ tamen hic raptim, concise, et ex memoria citat Fabius, prout veterum scriptorum plerisque moris fuit. O.

M. FABII QUINTILIANI

DE*

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER VI.

HÆC, Marcellè Victori, ex tua voluntate maxime ingressus, tum si qua ex nobis ad juvenes bonos pervenire posset utilitas, novissime pene et necessitate quadam officii (1) delegati mihi, sedulo laborabam: respiciens tamen illam curam meæ voluptatis, qui filio, cujus eminent ingenium sollicitam quoque parentis diligentiam merebatur, hanc optimam partem relicturus hæreditatis videbar; ut, si me, quod æquum et optabile fuit, fata intercepissent, præceptore tamen patre uteretur. At me fortuna id agentem diebus ac noctibus, festinantemque metu meæ mortalitatis, ita subito prostravit, ut laboris mei fructus ad neminem minus quam ad me pertineret. Illum enim, de quo summa conceperam, et in quo spem unicam senectutis reponebam, repetito (2) vulnere orbitatis, amisi! Quid nunc ago? aut quem ultra esse usum mei diis reprobantibus credam? Nam ita forte accidit, ut eum quoque (3) librum, quem *de causis corruptæ eloquentiæ* emisi, jam scribere aggressus, simili ictu ferirer. Tunc igitur optimum fuit, infaustum opus, et quidquid hoc est in me infelicium literarum, super inuaturum funus consumpturis viscera mea flammis injicere, neque

(1) Fabio enim nostro Domitianus nepotum sororis suæ delegaverat curam. V. *Proem.* lib. 4. O.

(2) Nam prius alterum ex filiis quinquennem amiserat; deinde amisit Quintilianum decennem. *Turn.*

(3) Opus illud alii intercidisse putant; alii, ut Heumannus, qui idem sub nomine Quintiliani edidit, jam extare autumant, sub titulo *Dialogi de Oratoribus*, et falso adscriptum Tacito. O.

hanc impiam (1) vivacitatem novis insuper curis fatigare. Quis enim bonus parens mihi ignoscat, si studere amplius possum? ac non oderit hanc animi mei firmitatem, si quis in me est alius usus vocis, quam ut incusem deos, superstes omnium meorum? (2) nullam terras despiciere providentiam tester? si non meo casu, cui tamen nihil objici, nisi quod vivam, potest; at illorum certe, quos utique immeritos mors acerba damnavit: crepta mihi prius eorumdem matre, quæ nondum expleto ætatis undevicesimo anno, duos enixa filios, quamvis acerbissimis rapta fatis, felix decessit. Ego vel hoc uno malo sic eram afflictus, ut me jam nulla fortuna posset efficere felicem. Nam cum omni virtute, quæ in feminas cadit, functa, insanabilem attulit marito dolorem; tum ætate ea puellari, præsertim meæ comparata, potest et ipsa numerari inter vulnera orbitatis. Liberis tamen superstibus oblectabar; et, quod nefas erat, sæva, sed optabat ipsa, me salvo maximos cruciatus præcipiti via effugit. Mihi filius minor, quintum egressus annum, prior alterum ex duobus eruit lumen! Non sum ambitiosus in malis, nec augere lacrymarum causas volo; utinamque esset ratio minuendi: sed dissimulare qui possum, quid illi gratiæ in vultu, quid jucunditatis in sermone, quos ingenii igniculos, quam præstantiam placidæ, et (quod scio vix posse credi tantum) altæ mentis ostenderit; qualis amorem quicumque alienus infans mereretur. Illud vero insidiantis, quo me validius cruciaret, fortunæ fuit, ut ille, mihi blandissimus, me suis nutricibus, me aviæ educanti, me omnibus, qui sollicitare solent illas ætates, antefereat. Quapropter illi dolori, quem ex matre optima, atque laudem omnem supergressa, paucos antè menses ceperam, gratulor: minus enim est quod flendum meo nomine, quam quod illius gaudendum est. Una post hæc Quintiliani mei spe ac voluptate nitebar: et poterat sufficere solatio; non enim flosculos, sicut prior, sed jam decimum ætatis ingressus annum, certos atque deforma-

(1) *Vivacitas* hic sumitur pro vita longius protracta, et diutius conservata. Ipse mox adjicit: *cui nihil objici, nisi quod vivam, potest.* Sumi etiam forte possit pro acri et vivo ingenio semper ad scribendum prompto et alacri. Hoc sensu videtur minus latinum, usurpatur tamen a Fabio, lib. 2. c. 7. *Siqui vero sunt paulo vivaciores.*

(2) Ita vero affectu Talthybius loquitur apud τραγικωτατον των ποιητων Euripidem, Hec. v. 492. ὦ Ζεῦ, τι λείξω; ποτεῖρα σ' ἀνδρωπους ὄραίν, κ. τ. λ. ubi vide, sis, quam impfortune et frustra adverbium ἄλλως, primo sensu accipiendum, vexarunt alii, atque ipse Porsonus! U.

tos (1) fructus ostenderit. Juro per mala mea, per infelicem conscientiam, per illos maues, numina doloris mei; has me in illo vidisse virtutes ingenii, non modo ad percipiendas disciplinas, quo nihil præstantius cognovi plurima expertus, studique jam tum non coacti, (sciunt præceptores) sed probitatis, pietatis, humanitatis, liberalitatis: ut prorsus possit hinc esse tanti fulminis metus, quod observatum fere est, celerius occidere festinatam maturitatem; et esse nescio quam quæ spes tantas decerpit invidiam, ne videlicet ultra quam homini datum est nostra provehantur. Etiam illa fortuita aderant omnia; vocis jucunditas claritasque, oris suavitas, et in utraque lingua, tanquam ad eam demum natus esset, expressa proprietates omnium literarum. Sed hæc spes adhuc: illa majora; constantia, gravitas, contra dolores etiam ac metus robor: nam quo ille animo, qua medicorum admiratione, mensium octo valetudinem tulit! ut me in supremis consolatus est! quam etiam deficiens, jamque non noster, ipsam illum alienatæ mentis errorem circa solas literas habuit!

Tuosne ego, o meæ spes inanes, labentes oculos, tuum fugientem spiritum vidi? Tuum corpus frigidum exangue complexus, animam recipere, auramque communem haurire amplius potui? dignus his cruciatibus quos fero, dignus his cogitationibus? Tene consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum patris adnotum, te avunculo prætori generum destinatum, te omnium spe Atticæ eloquentiæ candidatum, superstes parens tantum ad pœnas, amisi? Et si non (2) cupido lucis, certe patientia vindicet te reliqua meæ ætate. Nam frustra mala omnia ad crimen fortunæ relegamus. Nemo nisi sua culpa diu dolet. Sed vivimus; et aliqua vivendi ratio quærenda est: credendumque doctissimis hominibus, qui unicum adversorum solatium literas putaverunt. Si quando tamen ita resederit præsens impetus, ut aliqua tot luctibus alia cogitatio inseri possit, non injuste petierim moræ veniam. Quis enim dilata studia miretur, quæ potius non abrupta esse mirandum est? Tum si qua minus fuerint (3) effecta iis quæ levius adhuc afflictæ cœperamus, hæc imperitiæ at

(1) Venustissima est metaphora. *Deformati* enim appellantur fructus, cum delapso flore formati apparent, et (ut dicitur) nodati. *Turn.*

(2) Vita misera, quam traham cupide minus quam patienter, te vindicabit, et ultionem sumet de patre, qui tali filio superstes vivere potuit.

(3) Minus accurate elaborata, minus polita.

fortunæ remittantur: quæ si quid mediocrium alioqui in nostro ingenio virium fuit, ut non extinxerit, debilitavit tamen. Sed vel propter hoc nos contumacius erigamus, quod illam ut perferre nobis difficile est, ita facile contemnere: nihil enim sibi adversus me reliquit, et infelicem quidem, sed certissimam tamen attulit mihi ex his malis securitatem. Boni autem consulere nostrum laborem vel propter hoc certum est, quod in nullam jam proprium usum perseveramus: sed omnis hæc cura ad alienos, ut alienis utilis, si modo quid utile scribimus, spectat. Nos miseri, sicut facultates patrimonii nostri, ita hoc opus aliis præparamus, aliis relinquemus.

I. PERORATIO sequebatur, quam cumulum quidam, conclusionem alii vocant. Ejus duplex ratio est, posita aut in *rebus*, aut in *affectibus*.

Rerum repetitio et congregatio, quæ Græce dicitur ἀναεφαράωσις, a quibusdam Latinorum enumeratio, et memoriam judicis reficit, et totam simul causam ponit ante oculos, et etiamsi per singula minus moverat, turba valet. In hac, quæ repetemus, quam brevissime dicenda sunt; et, quod Græco verbo patet, decurrendum per *capita*; nam si morabimur, non jam enumeratio, sed altera quasi fiet oratio. Quæ autem enumeranda videntur, cum pondere aliquo dicenda sunt, et aptis excitanda sententiis, et figuris utique varianda: alioqui nihil est odiosius recta illa repetitione, velut memoriae judicem diffidentis: sunt autem innumerabiles; optimeque in Verrem Cicero: Si pater ipse judicaret, quæ diceret cum hæc probarentur? et deinde subiecit enumerationem: aut cum idem, et in eundem, per invocationem deorum spoliata a prætore templa dinumerat. .

Id unum epilogi genus visum est plerisque Atticorum, et philosophis fere omnibus, qui de arte oratoria scriptum aliquid reliquerunt. Id sensisse Atticos credo, quia Athenis affectus movere etiam per præconem prohibebatur orator. Philosophos minus miror, apud quos vitii est loco, affici: nec boni mores videantur, sic a vero judicem averti; nec convenire bono viro vitii uti. Necessarios tamen affectus fatebuntur, si aliter obtineri vera et justæ et in commune profutura non possint.

Cæterum illud constitit inter omnes, etiam in aliis partibus actionis, si multiplex causa sit, et pluribus argumentis defensa, utiliter ἀναεφαράωσις fieri solere: sicut nemo dubitaverit multas esse causas, in quibus nullo loco sit necessaria, si breves et simplices fuerint. Hæc pars perorationis accusatori patronoque æque communis est:

affectibus quoque eisdem fere utuntur; sed rarius hic, ille sæpius ac magis: nam huic concitare iudices, illi flectere convenit: verum et accusator habet interim lacrymas ex miseratione ejus rei quam ulciscitur; et reus de indignitate calumniæ conspirationis vehementius interim queritur. Dividere (1) igitur hæc officia commodissimum, quæ plerumque sunt, ut dixi, proœmio similia, sed liberiora, plenioraque. Inclinatio enim iudicum ad nos, petitur initio parcius, cum admitti satis est, et oratio tota superest. In epilogo vero est, qualem animum iudex in consilium ferat, et jam nihil amplius dicturi sumus, nec restat quo servemus. Est igitur utrisque commune, conciliare sibi, avertere ab adversario iudicem; concitare affectus, et componere: et brevissimum quidem hoc præceptum dari utrique parti potest; ut totas causæ suæ vires orator ante oculos ponat; et, cum viderit quid invidiosum, favorabile, invisum, miserabile, aut sit in rebus aut videri possit, ea dicat, quibus, si iudex esset ipse, maxime moveretur. Sed certius est ire per singula.

Et, quæ conciliat quidem accusatorem, in præceptis exordii jam diximus. Quædam tamen, quæ illic ostendere satis est, in peroratione implenda sunt magis: si contra impotentem, invisum, perniciosum suscepta causa est: si iudicibus ipsis aut gloriæ damnatio rei, aut deformitati futura absolutio. Nam egregie in Vatinius Calvus, Factum, inquit, ambitum scitis omnes, et hoc vos scire omnes sciunt. Cicero quidem in Verrem etiam emendari posse infamiam iudiciorum damnato reo dicit, quod est nnum ex supradictis. Metus etiam, si est adhibendus, ut facit idem, hunc habeat locum fortiolem quam in proœmio. Qua de re quid sentirem, alio jam libro exposui.

Concitare quoque invidiam, odium, iram, liberius in peroratione contingit; quorum invidiam gratia, odium turpitudine, iram offensio iudicis facit, si contumax, arrogans, securus sit; qui non ex facto modo, dictove aliquo, sed vultu, habitu, aspectu, moveri solet. Egregieque nobis adolescentibus dixisse accusator Cossutiani Capitonis videbatur, Græcè quidem, sed in hunc sensum: Erubescit Cæsarem timere.

Summa tamen concitandi affectus accusatori in hoc est, ut id quod objicit, aut quam atrocissimum, aut etiam, si fieri potest, quam maxime miserabile esse videatur.

(1) Disputare separatim de diversis affectibus quos excitant accusator et reus.

Atrocitas crescit ex his: quid factum sit, a quo, in quem, quo animo, quo tempore, quo loco, quo modo; quæ omnia infinitos anfractus habent. Pulsatum querimur: de re primum ipsa dicendum: tum si senex, si puer, si magistratus, si probus, si bene de republica meritus. Etiam si percussus sit a vili aliquo contentoque, vel ex contrario a potente nimium, vel ab eo a quo minime oportuit, et si die forte solenni, aut iis temporibus cum judicia hujus rei maxime exercerentur, aut in sollicito civitatis statu; item in theatro, in templo, in concione. Crescit invidia, et si non errore, nec ira; vel etiam si forte ira, sed iniqua, quod patri affuisset, quod responderet, quod honores contra peteret: et si plus etiam videri potest voluisse quam fecit. Plurimum tamen affert atrocitatis, modus, si graviter, si contumeliose: ut Demosthenes ex parte percussi corporis, ex vultu ferientis, ex habitu invidiam Mediæ quarit. Occisus est: utrum ferro, an igne, an veneno, uno vulnere an pluribus, subito an expectatione tortus, ad hanc partem maxime pertinet.

Utitur frequenter accusator et miseratione, cum aut ejus casum quem ulciscitur, aut liberorum aut parentum solitudinem conqueritur. Etiam futuri temporis imagine iudices movet, qui maneant eos casus, qui de vi et injuria questi sunt, nisi vindicentur: fugiendum de civitate, cedendum bonis, aut omnia quæcunque inimicus fecerit perferenda.

Sed sæpius id est accusatoris, avertere iudicem a miseratione qua reus sit usus, atque ad fortiter judicandum concitare. Cujus loci est etiam occupare quæ dicturum facturumve adversarium putes. Nam et cautiores ad custodiam suæ religionis iudices facit, et gratiam responsuris aufert, cum ea, quæ prædicta sunt ab accusatore, jam si pro reo petentur non sint nova. . Docendi interim quoque iudices, quid rogantibus respondere debeant, quod est unum repetitionis genus.

Periclitantem vero commendat dignitas, et studia fortia, et susceptæ bello cicatrices, et nobilitas, et merita majorum. Hoc, quod proxime dixi, Cicero atque Asinius certatim sunt usi: pro Scauro patre hic, ille pro filio. Commendat et causa periculi, si suscepisse inimicitias ob aliquod factum honestum videtur: præcipue bonitas, humanitas, misericordia. Juste enim tunc petere ea quisque videtur a iudice, quæ alii ipse præstitit. Referenda hæc pars quoque ad utilitatem reipublicæ, ad iudicium gloriam, ad exemplum, ad memoriam posteritatis.

Plurimum tamen valet *miseratio*, quæ iudicem flecti

non tantum cogit, sed motum quoque animi sui lacrymis confiteri. Hæc petuntur aut ex iis quæ passus est reus, aut ex iis quæ tum maxime patitur, aut ex iis quæ damnatum manent: quæ et ipsa duplicantur, cum dicimus ex qua illi fortuna, et in quam recidendum sit. Affert in his momentum et ætas, et sexus, et pignora, liberi dico, et parentes, et propinqui. Quæ omnia tractari varie solent. Nonnunquam etiam et ipse patronus has partes subit; ut Cicero pro Milone: O me miserum, o me infelicem! revocare me tu in patriam Milo potuisti per hos, ego te in patria per eosdem retinere non potero? Maximeque, si (ut tunc accidit) non convenient ei qui accusatur preces. Nam quis ferret Milonem pro capite suo supplicentem, qui a se virum nobilem interfectum quia id fieri oportuisset, fateretur? Ergo et ille captavit ex illa præstantia animi favorem, et in locum lacrymarum ejus ipse successit.

His præcipue locis utiles sunt *prosopopæie*, id est fictæ alienarum personarum orationes, quales (1) litigatorem decent, vel patronum. Mutæ tamen res movent, aut cum (2) ipsis loquimur, aut cum ipsas loqui fingimus. Ex (3) personis quoque trahitur affectus. Non enim audire iudex videtur aliena mala deflentes, sed sensum ac vocem auribus accipere miserorum; quorum etiam mutus aspectus lacrymas movet: quantoque essent miserabiliora, si ea dicerent ipsi, tanto sunt quadam portione ad afficiendum potentiora, cum velut ipsorum ore dicuntur: ut scenicis actoribus eadem vox, eadem pronuntiatio plus ad movendos affectus sub (4) persona valet. Itaque idem Cicero quanquam preces non dat Miloni, eumque potius animi præstantia commendat, accommodavit ei tamen et verba, et convenientes etiam forti viro conquestiones: O frustra, inquit, mei suscepti labores! O spes fallaces! O cogitationes inanes meæ! Nunquam tamen debet esse longa miseratio: nec sine causa dictum est, Nihil facilius quam lacrymas inarescere: nam cum etiam veros dolores mitiget tempus, citius evanescat necesse est illa quam dicendo effusius imago: in qua si moramur, lacrymis fatigatur auditor, et requiescit, et

(1) Malim legere, *litis actorem*: id est, accusatorem. Accusator patronum, patronus accusatorem interdum inducunt loquentes. Vide Cicero. Verr. 7. n. 1—4. et Pro Murena. n. 21.

(2) Cum ipsas per apostrophem compellamus.

(3) Excitatur quoque affectus, cum orator personis ipsis, quarum causa agitur, sermonem attribuit, et eas inducit loquentes.

(4) Intellige faciem confictam, seu larvam: nam histriones in scenis inducunt personas, hoc est facies servi, aut ancillæ, aut mariti, aut senis, &c.

ab illo quem ceperat impetu ad rationem redit. Non patiamur igitur frigescere hoc opus, et affectum cum ad summum perduxerimus, relinquamus: nec speremus fore ut aliena quisquam diu ploret. Ideoque cum in aliis, tum maxime in hac parte debet crescere oratio: quia quidquid non adjicit prioribus, etiam detrudere videtur: et facile deficit affectus, qui descendit. Non solum autem dicendo, sed etiam faciendo quædam, lacrymas movemus: unde et producere ipsos qui periclitentur, squalidos atque deformes, et liberos eorum ac parentes, institutum, et ab accusatoribus ostendi cruentum gladium, et lecta e vulneribus ossa, et vestes sanguine perfusas videmus, et vulnera resolvi, ac verberata corpora nudari. Quarum rerum ingens plerumque vis est, velut in rem præsentem animos hominum ducentium. Et populam Romanam egit in furorem prætexta Caii Cæsaris prolata in foro cruenta. Sciebatur interfectum eum, corpus denique ipsum impositum lecto erat: vestis tamen illa sanguine madens ita repræsentavit imaginem sceleris, ut non occisus esse Cæsar, sed tum maxime occidi videretur.

Sed non ideo probaverim, quod factum et lego, et ipse aliquando vidi, depictam tabulam supra (1) Jovem in imaginem rei, cujus atrocitate judex erat commovendus. Quæ enim est actoris infantia, qui mutam illam effigiem magis quam orationem pro se putet locuturam?

At sordes, et squalores, et propinquorum quoque similem habitum scio profuisse, et magnum ad salutem momentum preces attulisse. Quare et obsecratio illa judicum per carissimam pignora, utique si et reo sint liberi, conjux, parentes, utilis erit: et deorum etiam invocatio velut ex bona conscientia profecta videri solet: stratum denique jacere, et genua complecti; nisi tamen persona nos et anteacta vita, et rei conditio prohibebit. Quædam enim tam fortiter tuenda quam facta sunt. Verum sic est habenda auctoritatis ratio, ne sit invisa securitas.

Fuit quondam inter hæc omnia potentissimum id, quo Lucium Murenam Cicero accusantibus clarissimis viris eripuisse præcipue videtur. Persuasit enim nihil esse ad præsentem rerum statum utilius, quam pridie Calend. Januariæ ingredi consulatum. Quod genus nostris temporibus totum pene sublatum est, cum omnia curæ tutelæque unius innixa periclitari nullo judicii exitu possint,

De accusatoribus et reis sum locutus, quia in periculis

(1) In foro Romano statua Jovis erat posita, ut ex Numinis religione sanctius judices sententiam ferrent. *TURN.*

maxime versatur affectus. Sed privatæ quoque causæ utraque habent perorationis genus; et illud quod est ex enumeratione probationum, et hoc quod ex lacrymis; si aut statu periclitari aut opinione litigator videtur. Nam in parvis quidem litibus has tragædias movere, tale est, quale si personam Herculis et cothurnos aptare infantibus velis.

Illud ne indignum quidem admonitione; ingens in epilogis meo iudicio verti discrimen, quo modo se dicenti qui excitantur accommodent: nam et imperitia, et rusticitas, et rigor, et deformitas afferunt interim frigus: diligenterque hæc sunt actori providenda: equidem repugnantes eos patrono, et nihil vultu commotos, et intempestive ridentes, et facto aliquo vel ipso vultu risum-moventes sæpe etiam vidi: præcipue vero cum aliqua velut scenice fiunt.

At qui a stylo non recedunt, aut conticescant ad hos casus, aut frequentissime falsa dicunt. Inde est enim, *Tendit ad vestra genua supplices manus: et, Hæret in complexu liberorum miser: et, Revocat ecce me: etsi nihil horum is, de quo dicitur, faciat. Et e scholis hæc vitia, in quibus omnia libere fingimus et impune, quia pro facto est quidquid volumus. Non admittit hoc idem veritas fori: egregieque Cassius dicenti adolescentulo, *Quid me toro vultu intueris, Severe? non mehercule, inquit, faciebam; sed sic scripsisti: ecce!* et quam potuit truculentissime eum aspexit.*

Illud præcipue monendum, ne quis nisi summis ingenii viribus ad movendas lacrymas aggredi audeat. Nam ut est longe vehementissimus hic cum invaluit affectus, ita si nihil efficit tepet, quem melius infirmus actor tacitis iudicum cogitationibus reliquisset. Nam et vultus, et vox, et ipsa illa excitati rei facies, ludibrio etiam plerumque sunt hominibus quos non permoverunt. Quare metiatur ac diligenter æstimet vires suas actor: et quantum onus subiturus sit, intelligat. Nihil habet ista res medicum, sed aut lacrymas meretur, aut risum.

Non autem commovere tantum miserationem, sed etiam discentere, epilogi est proprium, cum oratione continua, quæ motos lacrymis iudices ad justitiam reducat, tum etiam quibusdam urbane dictis; quale est, *Date puero panem, ne ploret:* et corpulento litigatori, cuius adversarius item puer circa iudices erat ab advocato latus, *Quid faciam? ego te bajulare non possum.*

Sed hæc tamen non debent esse mimica. Ita neque illum probaverim, qui inter clarissimos sui temporis

oratores fuit, qui, pueris in epilogum productis, talos projecit in medium, quos illi diripere cœperunt: namque hæc ipsa discriminis sui ignorantia potuit esse miserabilis: neque illum, qui, cum esset cruentus gladius ejus ab accusatore prolatus, quo is hominem probabat occisum, subito ex subelliis ut territus fugit, et capite ex parte velato, cum ad agentem ex turba prospexisset, interrogavit, *an jam ille cum gladio recessisset?* fecit enim risum, sed ridiculus fuit. Discutiendæ tamen oratione hujusmodi scenæ: egregieque Cicero et contra imaginem Saturnini pro Rabirio graviter, et contra juvenem, cuius subinde vulnus in judicio resolvebatur, pro Vareno multa dixit urbane.

Sunt et illi leniores epilogi, quibus adversario satisfaci- mus, si forte sit ejus persona talis, ut illi debeatur reve- rentia; aut cum amice aliquid commonemus, et ad con- cordiam hortamur: quod est genus egregie tractatum a Passieno, cum Domitiæ uxoris suæ pecuniariam litem ad- versus fratrem ejus Ænobarbum ageret; nam, cum de necessitudine multa dixisset, de fortuna quoque qua uterque abundabat, adjecit, Nihil vobis minus deest, quam de quo contenditis.

Omnes autem hos affectus, etiam si quibusdam viden- tur in præmio atque in epilogo sedem habere, in quibus sane sunt frequentissimi, tamen aliæ quoque partes reci- piunt, sed breviores, ut cum ex his plurima sint reser- vanda: at hic, si usquam, totos eloquentiæ aperire fontes licet: nam ex his, si bene diximus reliqua, possidemus jam judicium animos; et, confragosis atque asperis evecti, tota pandere possumus vela; et, cum sit maxima pars epilogi amplificatio, verbis atque sententiis uti licet mag- nificis atque ornatis. Tunc est commovendum theatrum, cum ventum est ad ipsum illud, quo veteres tragœdiæ comœdiæque clauduntur, *Plaudite*. In aliis autem partibus tractandus affectus erit, ut quisque nascetur: nam neque exponi sine hoc res atroces et miserabiles de- bent; et, cum de qualitate alicujus rei quæstio est, pro- bationibus uniuscujusque rei recte subjungitur: ubi vero conjunctam ex pluribus causam agimus, etiam necesse erit uti pluribus quasi epilogis: ut in Verrem Cicero fecit; nam et Philodamo, et navarchis, et cruciatis civibus Romanis, et aliis plurimis, suas lacrymas dedit.

II. QUAMVIS autem pars hæc judicialium causarum sit summa, præcipueque constet affectibus, et aliqua de his necessario dixerim; non tamen potui, ac ne debui quidem, locum istum in unam speciem concludere. Quare

adhuc opus superest, cum ad obtinenda quæ volumus potentissimum, tum supra dictis multo difficilius, movendi judicium animos, atque in eum quem volumus habitum formandi, et velut transfigurandi. Qua de re pauca, quæ postulabat hæc materia, sic attigi, ut magis quid oporteret fieri, quam quo id modo consequi possimus, ostenderem: nunc altius omnis rei repetenda ratio est. Nam et per totam, ut diximus, causam locus est affectibus; et eorum non simplex natura, nec in transitu tractanda, quo nihil majus afferre vis orandi potest. Nam cætera forsitan tenuis quoque et angusta ingenii vena, si modo vel doctrina vel usu sit adjuta, generare atque ad frugem aliquam perducere queat. Certe sunt, semperque fuerunt, non parum multi, qui satis perite, quæ essent probationibus utilia, reperirent: quos equidem non contemno, sed hæcenus utiles credo, ne quid per eos judici sit ignotum, atque (ut dicam quod sentio) dignos, a quibus causas deserti docerentur: qui vero judicem rapere et in quem vellet habitum animi posset perducere, quo dicto fiendum et irascendum esset, (1) rarus fuit. Atqui hoc est quod dominatur in judiciis: hæc eloquentiam regunt. Namque argumenta plerumque nascuntur ex causa, et pro meliore parte plura sunt semper: ut, qui per hæc vicit, tantum non defuisse sibi advocatum sciat: ubi vero animis judicium vis afferenda est, et ab ipsa veri contemplatione abducenda meus, ibi proprium oratoris opus est. Hoc non docet litigator: hoc libellis non continetur. *Probationes* enim efficiunt sane, ut causam nostram meliorem esse iudices putent; *affectus* præstant, ut etiam velint: sed id, quia volunt, credunt quoque. Nam, cum irasci, favere, odisse, misereri cæperint, agi jam rem suam existimant; et, sicut amantes de forma judicare non possunt, quia sensum oculorum premit amor, ita omnem inquirendæ veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus: æstu fertur, et velut rapido flumini obsequitur. Ita argumenta ac testes quid egerint, pronuntiatio ostendit: commotus autem ab oratore iudex, quid sentiat, sedens adhuc atque audiens confitetur. At cum ille, qui plerisque perorationibus petitur, fletus erumpit, non palam dicta sententia est? Huc igitur incumbat orator, *hoc opus ejus, hic labor est*: sine quo cætera nuda, jejuna, infirma, ingrata sunt: adeo velut spiritus operis hujus

(1) *Rarius* al. *Rarus* jam conj. Burmannus. Locum, inter alios obscurissimum adhuc, nova lectione et interpunctione aliquanto, ut speramus, candidiorem fecimus. *U.*

atque animus est in *affectibus*. Horum autem, sicut antiquitus traditum accepimus, duæ sunt species: alteram Græci *πάθος* vocant, quam nos, recte vertentes ac proprie, *affectum* dicimus; alteram *ἡθος*, cujus nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo Romanus: *mores* appellantur; atque inde pars quoque illa philosophiæ, *ἠθικῆς*, *moralis* est dicta: sed ipsam rei naturam spectanti mihi, non tam mores significari videntur, quam morum quædam proprietas; nam ipsis quidem omnes habitus mentis continentur. Cautiores voluntatem complecti, quam nomina interpretari, maluerunt: affectus igitur hos concitatos, illos mites atque compositos esse dixerunt: in altero vehementer commotos, in altero lenes: denique hos imperare, illos persuadere: hos ad perturbationem, illos ad benevolentiam prævalere. . Propria tamen mihi hujus nominis exprimenda natura est, quatenus appellatione ipsa non satis significari videtur. *ἡθος*, quod intelligimus, quodque a dicentibus desideramus, id erit, quod ante omnia bonitate commendabitur; non solum mite ac placidum, sed plerumque blandum et humanum, et audientibus amabile atque jucundum; in quo exprimendo summa virtus ea est, ut fluere omnia ex natura rerum hominumque videantur, quo mores dicentis ex oratione pelluceant, et quodam modo agnoscantur. Quod est sine dabo inter conjunctas maxime personas, quoties perferimus, ignoscimus, satisfacimus, monemus, præcul ab ira, præcul ab odio. Sed tamen alia patris adversus filium, tutoris adversus pupillum, mariti adversus uxorem moderatio est: hi enim præ se ferunt eorum a quibus læduntur charitatem; neque alio modo invisos eos faciunt, quam quod amare ipsi videntur: alia cum senex adolescentis, alia cum convicium honestus inferioris fert; hic enim tantum concitari, illic etiam affici debet. . . Denique hoc omne bonum et comem virum poscit: quas virtutes, cum etiam in litigatore debeat orator, si fieri potest, approbare, utique ipse habeat, aut habere credatur; sic proderit plurimum causis, quibus ex sua bonitate faciet fidem: nam qui, dum dicit, malus videtur, utique male dicit; non enim videtur justa dicere: alioqui *ἡθος* (1) videretur. Quare ipsum etiam dicendi genus in hoc placidum debet esse ac mite; nihil superbum, nihil elatum saltem ac sublime desideret: proprie, jucunde, credibiliter dicere, sat est: ideoque et medius ille orationis modus maxime convenit. Diversum est huic quod *πάθος* dicitur, quodque nos *affectum* proprie

(1) Si videretur justa dicere, tunc esset *ἡθος*.

vocamus; et, ut proxime utriusque differentiam signent, illud comœdiæ, hoc tragœdiæ simile. Hæc pars circa iram, odium, metum, invidiam, miserationem, fere tota versatur: quæ quibus ex locis ducenda sint, et manifestum omnibus, et a nobis in ratione præcæmii atque epilogi dictum est. Et *metum* tamen duplicem intelligi volo; quem patimur, et quem facinus; et *invidiam*; namque altera invidum, altera invidiosum facit. Hoc autem hominis, illud rei est, in quo et plus habet operis oratio. Nam quædam videntur gravia per se; parricidium, cædes, veneficium; quædam efficienda sunt. Id autem contingit, aut cum magnis alioqui malis gravius esse id quod passi sumus ostenditur; quale est apud Virgilium,

*O felix una ante alias Priameia virgo,
Hostilem ad tumulum, Trojæ sub mœnibus altis,
Jussa mori! —*

quam miser enim casus Andromachæ, si comparata eî felix Polyxena? aut cum ita exaggeramus injuriam nostram, ut etiam, quæ multo minora sunt, intoleranda dicamus: Si pulsasses, defendi non poteras; vulnerasti. Sed hæc diligentius, cum ad amplificationem venerimus, dicemus. Interim notasse contentus sum, non id solum agere affectus, ut quæ sunt, ostendantur acerba ac luctuosa; sed etiam ut quæ toleranda haberi solent, gravia videantur: ut cum in maledicto plus injuriæ, quam in manu; in infamia plus pœnæ dicimus, quam in morte; namque in hoc eloquentiæ vis est, ut judicem non ad id tantum impellat, in quod ipse a rei natura duceretur; sed aut qui non est, aut majorem quam est, faciat affectum: hæc est illa quæ *δυναμις* vocatur; rebus indignis, asperis, invidiosis addens vim oratio; qua virtute præter alios plurimum Demosthenes valuit. Quod si tradita mihi sequi præcepta sufficeret, satis feceram huic parti, nihil eorum quæ legi, vel didici, quod modo probabile fuit, omittendo: sed (1) mihi in animo est, quæ latent penitus, ipsa hujus loci aperire penetralia: quæ quidem non aliquo tradente, sed experimento meo, ac natura ipsa

(1) Fabius præceptum, quod sequitur, nempe ut *movemur ipsi*, si movere alios volumus, tanquam novum, et a nemine antea tractatum, sed a se uno natura duce et usu magistro inventum, tradit. Quod quidem mirum videri debet. Nam quis nescit illud Horatii: *Si vis me flere, dolendam est Frivum ipsi tibi*?—Tullius vero hunc ipsum locum fusius tractavit. 1. 2. de Orat. n. 188—197. Id certe Fabio exciderat: neque enim tam inane factitium suspicari licet in eo viro, cujus præcipua laus modestia.

duce, accepi. Summa enim (quantum ego quidem sentio) circa movendos affectus in hoc posita est, ut moveamur ipsi: nam et luctus, et iræ, et indignationis aliquando ridicula fuerit imitatio, si verba vultumque tantum, non etiam animum, accommodaverimus. Quid enim aliud est causæ, ut lugentes utique in recenti dolore disertissime quædam exclamare videantur, et ira nonnunquam indoctis quoque eloquentiam faciat, quam quod illis inest vis mentis, et veritas ipsa morum? Quare in iis, quæ verisimilia esse volumus, simus ipsi similes eorum, qui vere patiuntur, affectibus; et a tali animo profisciscatur oratio, qualem facere iudicem volet. An ille dolebit, qui audiet me cum hoc dicam non dolentem? irascetur, si nihil ipse qui in iram concitat, idque exigit, simile patietur? siccis agenti oculis lacrymas dabit? fieri non potest: nec incendit nisi ignis, nec madescimus nisi humore, nec res ulla dat alteri colorem quem ipsa non habet. Primum est igitur, ut apud nos valeant ea, quæ valere apud iudicem volumus, afficiamurque ante quam afficere conemur. At quo modo fiet, ut afficiamur? neque enim sunt motus in nostra potestate. Tentabo etiam de hoc dicere. Quas *φαντασίας* Græci vocant, nos sane *visiones* appellemus; per quas imagines rerum absentium ita repræsentantur animo, ut eas cernere oculis, ac præsentis habere videamur: has quisquis bene conceperit, is erit in affectibus potentissimus: hunc quidam dicunt *ἐνφαντασίωτον*, qui sibi res, voces, actus, secundum verum optime finget; quod quidem nobis volentibus facile continget. Nam et inter otia animorum, et spes inanes, et velut somnia quædam vigilantium, ita nos hæc de quibus loquimur, imagines prosequuntur, ut peregrinari, navigare, præliari, populos alloqui, divitiarum, quas non habemus, usum videamur disponere; nec cogitare, sed facere. Hoc animi vitium ad utilitatem non transfereamus? ut hominem occisum querar, non omnia, quæ in re præsentis accidisse credibile est, in oculis habebō? non percussor ille subitus erumpet? non expavescet circumventus? exclamabit, vel rogabit, vel fugiet? non ferientem, non concidentem videbō? non animo sanguis, et pallor, et gemitus, extremus denique expirantis hiatus insidebit? Insequetur *ἐνάργεια*, quæ a Cicerone *illustratio* et *evidentia* nominatur; quæ non tam dicere videtur, quam ostendere: et affectus non aliter, quam si rebus ipsis intersimus, sequentur. An non ex his visionibus illa sunt:

*Ereussi manibus radii, revolutaque pensa ? et,
Lævique patens in pectore vulnus ?*

et equus ille in funere Pallantis, *positis qui insignibus*

It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora ?

Quid ? non idem poeta pœnitentiæ ultimi fati cepit inaginem, ut diceret:—*Et dulces moriens reminiscitur Argos ?*

Ubi vero *miseratione* opus erit, nobis ea, de quibus querimus, accidisse credamus, atque id animo nostro persuadeamus: nos illi simus, quos gravia, indigna, tristia passos queramus: nec agamus rem quasi alienam, sed assumamus parumper illum dolorem: ita dicemus, quæ in simili nostro casu dici debent esse. Vidi ego sæpe histriones atque comædos, cum ex aliquo graviore actu personam depõsissent, flentes adhuc egredi: quod si in alienis scriptis sola pronuntiatio ita falsis accendit affectibus, quid nos faciemus, qui illa cogitare debemus, ut moveri periclitantium vice possimus ? Sed in schola rebus quoque ipsis affici convenit, easque veras sibi fingere; hoc magis, quod illic ut litigatores loquimur frequentius, quam ut advocati: orbem agimus, et naufragum, et periclitantem: quorum induere personas quid attinet, nisi affectus assumimus ? Hæc dissimulanda mihi non fuerunt, quibus ipse, quantumcumque sum, aut fui, (nam pervenisse me ad aliquod nomen ingenii credo) frequenter motus sum, ut me non lacrymæ solum deprehenderint, sed pallor, et vero similis dolor.

III. HUIC diversa virtus, quæ, *risum* iudicis movendo, et illos tristes solvit affectus, et animum ab intentione rerum frequenter avertit, et aliquando etiam reficit, et a satietate vel a fatigatione renovat. Quanta sit autem in ea difficultas, vel duo maximi oratores, alter Græcæ alter Latine eloquentiæ principes, docent: nam plerique Demostheni *facultatem* hujus rei defuisse credunt, Ciceroni *modum*. Nec videri potest noluisse Demosthenes; cujus pauca admodum dicta, nec sane cæteris ejus virtutibus respondentia, palam ostendunt, non displicuisse illi jocosis, sed non contigisse: noster vero, non solum extra iudicia, sed in ipsis etiam orationibus, habitus est nimis risus affectator. Mihi quidem, sive id recte iudico, sive amore immodico præcipui in eloquentia viri labor, mira quædam videtur in eo fuisse urbanitas: nam et in sermone quotidiano multa, et in altercationibus et

Interrogandis testibus plura quam quisquam, dixit facete; et illa ipsa, quæ sunt in Verrem dicta frigidius, aliis assignavit, et testimonii loco posuit: ut, quo sunt magis vulgaria, eo sit credibilius, illa ab oratore non ficta, sed passim esse jactata: utinamque (1) libertus ejus Tyro, aut alius quisquis fuit; qui tres hæc de re libros edidit, parcius dictorum numero indulisset; et plus judicii in eligendis, quam in congerendis studii; adhibuisset: minus objectus calumniantibus foret; qui tamen nunc quoque, ut in omni ejus ingenio, facilius quid rejici, quam quid adjici possit, invenient.

Afferret autem summam rei difficultatem: primum, quod ridiculum dictum plerumque falsum est; hoc semper humile; sæpe ex industria depravatum; præterea, nunquam honorificum: tum varia hominum judicia in eo; quod non ratione aliqua, sed motu animi quodam, nescio an enarrabili, judicatur. Neque hoc ab ullo satis explicari puto, licet multi tentaverint, *Unde risus?* qui non solum factu aliquo dictove, sed interdum quodam etiam corporis tactu, lacessitur: præterea non, ut oratione moveri soleat; neque enim acute tantum ac venuste, sed stulte, iracunde, timide dicta aut facta ridentur: ideoque anceps ejus rei ratio est, quod a *derisu* non procul abest *risus*: habet enim, ut Cicero dicit, sedem in deformitate aliqua et turpitudine: quæ cum in aliis demonstrantur, urbanitas; cum in ipsum dicentem recidunt, stultitia vocatur. Cum videatur autem res levis, et quæ a scurris, mimis, insipientibus denique, sæpe moveatur, tamen habet vim nescio an imperiosissimam, et cui repugnari minime potest: erumpit enim etiam invitis sæpe; nec vultus modo ac vocis exprimit confessionem, sed totum corpus vi sua concutit. Rerum autem sæpe, ut dixi, maximarum momenta vertit, cum odium iramque frequentissime frangat. Documenta sunt juvenes Tarentini; qui, multa de Pyrrho rege securius inter cœnam locuti, cum rationem facti reposcerentur, et neque negari res neque defendi posset, risu sunt et opportuno joco elapsi: namque unus ex iis, *Imo, inquit, nisi lagena defecisset; occidissemus te;* eaque urbanitate tota est invidia criminis dissoluta. Verum hoc, quidquid est, ut non ausim dicere carere omnino arte; quia nonnullam observationem habet, suntque ad id pertinentia et a Græcis et a Latinis composita præcepta; ita plane affirmo præcipue positum esse in natura

(1) Tyro Tullius, Ciceronis libertus, tres libros edidit de jocis Ciceronianis. Macrobius tamen ait nonnullos existimare, libros a Cicerone conscriptos fuisse. *Turn.*

et occasione. Porro, *natura* non tantum in hoc valet, ut acutior quis atque habilior sit ad inveniendum; nam id sane doctrina posset augeri; sed inest proprius quibusdam decor in habitu atque vultu, ut eadem illa minus dicente alio videantur urbana esse: *occasione* vero et in rebus est tanta vis, ut saepe, adjuti ea, non indocti modo, sed etiam rustici, false dicant in eum, quisquis aliquid dixerit prior: sunt enim longe venustiora omnia in respondendo, quam in provocando. Accedit difficultati, quod ejus rei nulla exercitatio est, nulli praeceptores. Utique in conviviis et sermonibus multi dicaces; sed, quia in hoc usu quotidiano proficimus: oratoria urbanitas rara, nec ex arte propria, sed ad hanc consuetudinem accommodata. Pluribus autem nominibus in eadem re vulgo utimur; quæ tamen, si deducas, suam propriam quandam vim ostendent. Nam et *urbanitas* dicitur: quæ quidem significari video sermonem præ se ferentem in verbis, et sono, et usu, proprium quemdam gustum *urbis*, et sumtam ex conversatione doctorum tacitam eruditionem; denique, cui contraria sit *rusticitas*. *Venustum* esse, quod cum gratia quadam et *venere* dicatur, apparet. *Salsum* in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus; natura non utique hoc est; quanquam et ridicula oporteat esse salsa: nam et Cicero, omne quod salsum sit, ait, esse Atticorum; non, quia sunt maxime ad risum compositi: et Catullus, cum dicit,

Nulla in tam magno est corpore mica salis,

non hoc dicit, nihil in corpore ejus esse ridiculum. Salsum igitur erit, quod non erit insulsum, velut quoddam simplex orationis condimentum: quod sentitur latente judicio, et velut palatum excitat et a tædio defendit orationem. Sane tamen, ut ille in cibis paulo liberalius asspersus, si tamen non sit immodicus, affert aliquid propriæ voluptatis; ita hi quoque in dicendo habent quiddam, quod nobis faciat audiendi sitim. *Facetum* quoque non tantum circa ridicula opinor consistere: neque enim diceret Horatius, *facetum* carminis genus natura concessum esse Virgilio. Decoris hanc magis, et exultæ cujusdam elegantiae appellationem puto: ideoque in epistolis Cicero hæc Bruti refert verba: *Næ illi sunt pedes faceti, ac delicis ingredienti molles.* . *Jocum* vero accipimus, quod est contrarium serio: nam et fingere, et terrere, et promittere, interim jocus est. *Dicacitas* sine dubio a dicendo, quod est omni generi commune, ducta est; proprie tamen

significat sermonem cum risu aliquos incessentem: ideo Demosthenem urbanum fuisse dicunt, dicacem negant. Proprium autem materiæ, de qua nunc loquimur, est *ridiculum*: ideoque hæc tota disputatio a Græcis *περί γελοίας* inscribitur. Ejus prima divisio traditur eadem, quæ est omnis orationis, ut sit positum in rebus, aut in verbis. Usus autem maxime simplex: aut enim ex aliis risum petimus, aut ex nobis, aut ex rebus mediis. *Aliena* aut reprehendimus, aut refutamus, aut elevamus, aut repercutimus, aut eludimus. (1) *Nostra* ridicula indicamus, et, ut verbo Ciceronis utar, dicimus aliqua *subabsurda*: namque eadem, quæ, si imprudentibus excidant, stulta sunt, si simulamus, venusta creduntur. Tertium est genus, ut idem dicit, in decipiendis expectationibus, dictis aliter accipiendis, cæterisque, quæ neutram personam contingunt: ideoque a me *mediæ* dicuntur. Item, ridicula aut facimus aut dicimus: facto risus conciliatur interim admista gravitate; ut Marcus Cælius prætor, cum sellam ejus curulem consul Isauricus fregisset, alteram posuit loris intentam: dicebatur autem consul a patre aliquando cæsus (2) flagris. Idem autem de vultu gestuque ridicule dictum sit: in quibus est quidem summa gratia, sed major cum captare risum non videntur: nihil enim ex iis, quæ dicuntur salse, dicitur salsius. Quamquam autem gratiæ plurimum dictis severitas affert, fitque ridiculum id ipsum, quia qui dicit, non ridet; est tamen interim et aspectus, et habitus oris, et gestus non inurbanus, cum his modus contingit. Id porro quod dicitur, aut est lascivum et hilare, qualia Galbæ pleraque: aut contumeliosum, qualia nuper Junii Bassi; aut asperum, qualia Cassii Severi; aut lene, qualia Domitii Afri. Refert, his ubi quis utatur: nam in conviviis, et quotidiano sermone lasciva humilibus, hilaria omnibus conveniunt. Lædere nunquam velimus, longeque absit propositum illud, *Potius amicum quam dictum perdidit*. In hac quidem pugna forensi malim mihi levibus interdicerere: quanquam et contumeliose et aspere dicere in adversarios permissum est: cum accusare etiam palam, et caput alterius juste petere concessum sit. Sed hic quoque tamen inhumana videri solet fortunæ insectatio: vel quia culpa caret, vel quia recidere etiam in ipsos, qui objecerunt, potest.

(1) Ipsi dedita opera ridicula quædam et subabsurda dicimus, aut in dictis factive nostris tale aliquid inesse dissimulanter fatemur.

(2) Quod iiii tacite exprobravit Cælius, cum intendisset sellam loris. *Turr.*

Primum itaque considerandum est, et quis, et qua causa, et apud quem, et in quem, et quid dicat. Oratori minime convenit distortus vultus, gestusque, quæ in mimis rideri solent. Dicacitas etiam scurrilis et scenica huic personæ alienissima est. Obscœnitas vero non a verbis tantum abesse debet, sed etiam a significatione. Nam si quando objici potest, non in omni loco exprobranda est? Oratorem præterea ut dicere urbane volo, ita videri affectare id, plane nolo. Quapropter ne dicet quidem sæpe quoties poterit, et dictum potius aliquando perdet, quam minuet auctoritatem. Nec accusatorem autem atroci in causa, nec patronum in miserabili, jocantem feret quisquam. Sunt etiam judices quidam tristiores, quam ut risum libenter patiantur. Solet interim accidere, ut id, quod in adversarium dicimus, aut in judicem conveniat, aut in nostrum quoque litigatorem: quanquam aliqui reperiuntur qui ne id quidem, quod in ipsos recidere possit, evitent: quod fecit Longus Sulpitius, qui, cum ipse fœdissimus esset, eum contra quem judicio liberali aderat, ne faciem quidem habere liberi hominis dixit. Cui respondens Domitius Afer: *Et tu, inquit, ex animi sententia, Longe? Qui malam faciem habet, liber non est?* Vitandum etiam ne petulans, ne superbum, ne loco, ne tempori alienum, ne præparatum, et domo allatum videatur, quod dicimus. Nam adversus miseros, sicut supra dixeram, inhumanus est jocus. Sed quidam ita sunt receptæ auctoritatis, et notæ verecundiæ, ut nocitura sit in eos dicendi petulantia. Nam de amicis jam præceptum est. Illud non ad orandi fere consilium, sed ad omnia pertinet, ne lacessat hoc modo, quem lædere sit periculosum, ne aut inimicitia graves insequantur, aut turpis satisfactio. Male etiam dicitur, quod in plures convenit, si aut nationes totæ incessantur, aut ordines, aut conditio, aut studia multorum. Ea quæ dicit vir bonus, omnia salva dignitate ac verecundia decent: nimium enim risus pretium est, si probitatis impendio constat. Unde autem concilietur risus, et quibus ex locis peti soleat, difficillimum est dicere: nam si species omnes persequi velimus, nec modum reperiemus, et frustra laborabimus. . Risus igitur oriuntur aut ex corpore ejus in quem dicimus; aut ex animo, qui factis ab eo dictisque colligitur; aut ex iis quæ sunt extra posita: intra hæc enim est omnis vituperatio: quæ, si gravius posita sit, seria est; si levius, ridicula. Hæc aut ostenduntur, aut narrantur, aut dicto notantur. Rarum est autem, ut oculis subjicere contingat, ut fecit C. Julius, qui cum Helmio Mauciæ sæpius

obstreperenti sibi diceret, *Jam ostendam qualis sis*; isque plane instaret interrogatione, qualem se tandem ostensurus esset, digito demonstravit imaginem Galli in scuto Mariano Cimbrico pictam; cui Mancina tum simillimus est visus. Tabernæ autem erant circa forum, ac scutum illud signi gratia positum. Narrare quæ salsa sint, in primis est subtile, et oratorium: ut Cicero pro Cluentio narrat de Cepasio atque Fabricio. . Sed in his omnibus cum elegans et venusta exigitur tota expositio, tum id est festivissimum, quod adjicit orator: nam et a Cicerone sic est Fabricii fuga illa condita: Itaque cum callidissime se putaret dicere, et cum illa verba gravissima ex intimo artificio depromisset: Respicite judices hominum fortunas, respicite varios duosque casus, respicite C. Fabricii senectutem: cum hoc, Respicite, ornandæ orationis causa sæpe dixisset, respexit ipse: at Fabricius a subselliis demisso capite discesserat: et cætera quæ adjecit; nam est notus locus; cum in re hoc solum esset, Fabricium a judicio recessisse. . In narrando autem Cicero consistere facetias putat, dicacitatem in jaciendo. Mire fuit in hoc genere venustus Afer Domitius, cujus orationibus complures hujusmodi narrationes insertæ reperiuntur: sed dictorum quoque ab eodem urbane sunt editi libri. Illud quoque genus est positum non in hac veluti jaculatione verborum, et inclusa breviter urbanitate, sed in quodam longiore acty, quod de Crasso contra Brutum Cicero in secundo de Oratore libro, et aliis quibusdam locis narrat. Nam cum Brutus, in accusatione Cn. Planci, ex duobus lectoribus ostendisset contraria L. Crassum patronum ejus in oratione, quam de Colonia Narbonensi habuerat, suasisse iis quæ de lege Servilia dixerat; tres excitavit et ipse lectores, hisque patris ejus dialogos dedit legendos: quorum cum in Privernati unus, alter in Albano, tertius in Tiburti sermonem habitum complecteretur, requirebat ubi essent eæ possessiones: omnes autem illas Brutus vendiderat: et, cum paterna manciparet prædij, turpis habebatur. Similis in apologis quoque, et quibusdam etiam interim historiis exponendis, gratia consequi solet: sed acutior est illa atque velocior in urbanitate brevitatis; cujus quidem duplex est fortuna, dicendi, ac respondendi: sed ratio communis in parte; nihil enim in lacescendo dici potest, quod non etiam in repercutiendo. . Cum sint autem loci plures, ex quibus dicta ridicula ducantur, repetendum est mihi, non omnes eos oratoribus convenire: imprimis autem ex *amphibolia*,

neque illa obscura, quæ (1) Atellanæ more captent; nec qualia vulgo jactantur a vilissimo quoque conversa in maledictum fere ambiguitate. Ne illa quidem, quæ Cicero aliquando, sed non in agendo, exciderunt, ut dixi, cum is candidatus qui coqui filius habebatur, coram eo suffragium ab alio peteret: *Ego* (2) *quoque tibi jure favorebo*. Non quia excludenda sint omnino verba duos sensus significantia, sed quia raro belle respondeant, nisi cum prorsus rebus ipsis adjuvantur. Quare non (3) hoc modo pene et ipsum scurrile Ciceronis est in eundem, de quo supra dixi, Isauricum, *Miror quid sit, quod pater tuus homo constantissimus te nobis* (4) *varium reliquit*; sed illud ex eodem genere præclarum; cum objiceret Miloni accusator in argumentum factarum Clodio insidiarum, quod Bovillas ante horam nonam devertisset, ut expectaret dum Clodius a villa sua exiret, et identidem interrogaret quo tempore Clodius occisus esset, respondit, *Sero*: quod vel solum sufficit, ut hoc genus non totum repudietur, Nec plura modo significari solent, sed etiam diversa; ut Nero de servo pessimo dixit: (5) *Nulli apud se plus fidei haberi; nihil ei neque occlusum neque obsignatum esse*. Frigida est nominum fictio, adjectis, detractis, mutatis literis: ut Acisculum, quia esset pactus, *Pacisculum*; et Placidum nomine, quia is acerbus natura esset, *Acidum*; et Tullium, cum fur esset, *Tollium*, dictos invenio. Sed hæc eadem genera commodius in rebus, quam in nominibus, respondent; Afer enim venuste Manlium Suram multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem et reponentem, *non agere* dixit, *sed satagere*: est enim dictum per se urbanum, *satagere*, etiam si nulla subsit alterius verbi similitudo, Fiunt et detracta et adjecta aspiratione, et binis conjunctis verbis similiter sæpius frigida, aliquando tamen recipienda. Eademque conditio est in iis quæ a nominibus

(1) *Atellanæ* fabulæ sunt latinæ, dictis jocularibus repleta; ab *Atellæ* Oscorum urbe appellata. *Turn.*

(2) *Amphibolia* est in dictione, *jure*: alludit enim ad illa *jacula*, quæ coniciuntur a equis. De alio item dicit Cicero: *Optimo jure magistratum es adeptus*. *Turn.*

(3) Ex his ductus exemplis, primum quidem pene scurrile, et alterum elegans et facetum. Inest aliquid obscuritatis in his vocibus, *non hæc modo*.

(4) *Vari* appellantur pustulæ, quæ in toto corpore, præsertimque facie, nasci solent, quasdamque in vultu cavitates facere. Inde *varius* homo dicitur per ambiguitatem vel inconstans, vel illis cavitatibus deformis. *Turn.*

(5) *Servis* quorum nobis perspecta est probitas et fides, nihil claudimus; et improbi servi omnia quantumvis occlusa solent aperire. *Turn.*

trahuntur. Multa ex hoc (1) Cicero in Verrem, sed ut ab aliis dicta: modo, futurum ut omnia *verreret*, cum diceretur *Verres*: modo Herculi, quem expilaverat, molestiorem *apro Erymanthio* fuisse: modo malum sacerdotem, qui tam nequam *verrem* reliquisset; quia sacerdoti Verres successerat. Præbet tamen aliquando occasionem quædam felicitas hoc quoque genere bene utendi; ut pro Cecinna Cicero in testem Sex. Clodium Phormionem; *Nec minus niger, inquit, nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio.* Acriora igitur sunt et elegantiora, quæ trahuntur ex vi rerum. • Chrysippus, cum in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata, et post dies paucos Fabii Maximi lignea, thecas esse oppidorum Cæsaris dixit. . . Et Augustus nuntiantibus Tarracoenisibus palmam in ara ejus enatam: *Apparet, inquit, quam sæpe accendatis.* . . Catulus dicenti Philippo, *Quid latras? Furem video, inquit.* . . Est genus decipiendi opinione, aut dicta aliter intelligendi, quæ sunt in omni hac materia vel venustissima. Inopinatum et a læssente poni solet; quale est quod refert Cicero: *Quid huic abest, nisi res et virtus?* Aut illud Afri: *Homo in agendi causis optime vestitus.* . . Ex historia etiam ducere urbanitatem, eruditum; ut Cicero fecit, cum ei testem in judicio Verris roganti dixisset Hortensius, *Non intelligo hæc anigmata; Atqui debes, inquit, cum Sphinxem domi habeas.* Acceperat autem ille a Verre sphingem æneam, magnæ pecuniæ. . . Meo quidem judicio, illa est urbanitas, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu, neque verbis, neque ore gestive possit deprehendi: ut non tam sit in singulis dictis, quam in toto colore dicendi: qualis apud Græcos *atticismos* ille redolens Athenarum proprium saporem. . .

IV. ALTERCATIONIS præcepta poterant videri tunc inchoanda, cum omnia, quæ ad continuum orationem pertinent, peregissem; nam est usus ejus ordine ultimus; sed cum sit posita in sola inventione, neque habere dispositionem possit, nec elocutionis ornamenta magnopere desideret, aut circa memoriam et pronuntiationem laboret; prius quam secundam quinque partium, hanc, quæ tota ex prima pendet, tractaturus non alieno loco videor: quam scriptores ideo fortasse alii reliquerunt, quia satis cæteris præceptis in hanc quoque videbatur

(1) *Verræct.* Ver. 4. n. 18. et 19. *Apro Erymanthio,* Verr. 6. n. 95. *Magnum Sacerdotem, et jus Verrinum,* Verr. 3. n. 121.

esse prospectum. Constat enim aut *intentione*, aut *depulsione*; de quibus satis traditum est, quia quidquid in actione perpetua circa probationes utile est, idem in hac brevi atque concisa prosit necesse est; neque alia dicuntur in altercatione, sed aliter aut interrogando, aut respondendo; cuius rei fere omnis observatio in illo *testium* loco nobis excussa est; tamen, quia latius hoc opus aggressi sumus, neque perfectus orator sine hac virtute dici potest, paululum impendamus huic quoque peculiaris operæ, quæ quidem in quibusdam causis ad victoriam vel plurimum valet. . Asperrima in hac parte dimicatio est, nec alibi dixeris magis (1) mucrone pugnari: nam et firmissima quæque memoriæ iudicis inculcanda sunt, et præstandum quidquid in actione promissimus, et refellenda mendacia: nusquam est denique qui cognoscit intentionem. Nec immerito quidam, quanquam in dicendo mediocres, hac tamen altercandi præstantia meruerunt nomen patronorum. At quidam, litigatoribus suis illum modo ambiciosum declamandi sudorem præstitisse contenti, cum turba laudantium destituunt subsellia, pugnamque illam (2) decretoriam imperitis ac sæpe (3) pullatæ turbæ relinquunt. Itaque videas alios plerumque iudiciis privatis ad actiones vocari, alios ad probationes: quæ si dividenda sunt officia, hoc certe magis necessarium est; pudendumque dictu, si plus litigantibus prosunt minores. (4) In publicis certe iudiciis vox illa præconis, præter patronos, ipsum qui egerit citat.

Opus est igitur imprimis ingenio veloci ac mobili, animo præsentis et acris: non enim cogitandum, sed dicendum statim est, et prope sub conatu adversarii manus erigenda. Quare cum in omni parte huius officii plurimum facit, totas non diligenter modo, sed etiam familiariter nosse causas: tum in altercatione maxime necessarium est, omnium personarum, instrumentorum, temporum, locorum habere notitiam. . Bonus altercator vitio iracundiæ careat: nullus enim rationi magis obstat affectus, et fert extra causam, et plerumque deformia

(1) Elegans metaphora, ducta a pugnis bellicis, ubi tunc Mars est atrocissimus, cum projectis pilis ad manus et gladios venit.

(2) Qua decernitur de summa causâ.

(3) *Pullatam* appellamus turbam ipsos imperitos. Vulgus enim Romæ olim dimissis togis pullum induerat amictum: hic tamen intelliguntur *pragmatici*; oratores enim erant purpurati. *Turn.*

(4) In publicis iudiciis post peroratam utrinque causam præco solet patronos ad altercationem vocare: cumque plures sint alicujus causæ patroni, tamen actorem causæ nominatim citat, ut illi videatur turpe, si altercata non possit. *Turn.*

convicia facere ac mereri cogit, et ipsos nonnunquam judices incitat. Melior moderatio, ac nonnunquam etiam patientia: neque enim refutanda tantum quæ e contrario dicuntur, sed contemnenda, elevanda, ridenda sunt: nec usquam plus loci reperit urbanitas: contra turbantes audendum, et impudentiæ fortiter resistendum. Sunt enim quidam præduri in hoc oris, ut obstrepant ingenti clamore, et medios sermones intercipient, et omnia tumultu confundant: quos ut non imitari, sic acriter propulsare oportebit; et ipsorum improbitas retundenda: et judices vel præsidentes magistratus appellandi frequenter, ut loquendi vices serventur. Nam (1) est res animi ja-centis, et mollis supra modum frontis, fallitque plerumque, quod probitas vocatur, quæ est imbecillitas. Valet autem in altercatione plurimum acumen: quod sine dubio ex arte non venit; natura enim non docetur; arte tamen adjuvatur: in quo præcipuum est, semper id in oculis habere, de quo quæritur, et quod volumus efficere: quia, propositum tenentes, in rixam non ibimus; nec causæ debita tempora conviciando conteremus: gaudebimusque si hoc adversarius facit. Omnia (2) tempora fere parata sunt meditati diligenter quæ aut ex adversa dici, aut responderi a nobis possint. Nonnunquam tamen solet hoc quoque esse artis genus, ut quædam in actione dissimulata subito in altercando proferantur; et inopinatis eruptionibus, et ex insidiis (3) citissimo facto simillimum. Id autem tum faciendum, cum est aliquid cui responderi non statim possit: potuerat autem si tempus ad disponendum fuisset. Nam quod fideliter firmum est, a primis statim actionibus arripere optimum est, quo sæpius diutiusque dicatur. Illud vix saltem præcipiendum videtur, ne turbidus et clamosus tantum sit altercator, et quales fere sunt, qui literas nesciunt. Nam improbitas licet adversario molesta sit, judici invisæ est. Nocet etiam diu pugnare in iis quæ obtinere non possis: nam ubi vinci necesse est, expedit cedere; quia, sive plura sunt de quibus quæritur, facilius erit in cæteris fides, sive unum, mitior solet irrogari pœna verecundiæ. Nam culpam, præsertim deprehensam, pertinaciter tueri, culpa altera est. Dum stat acies, multi in re consilii atque

(1) Nimia hæc patientia probitas non est, sed imbecillitas.

(2) Vox ista, *tempora*, prorsus superflua; et huc videtur irrepisse e superiore versu, seu linea.

(3) Legendum potius, *citissime factis*. Hoc dicendi genus simillimum est inopinatis eruptionibus quæ repente fiunt ex insidiis, id est, ex occultis locis, sed forte hic aliquid mendii subest.

artis est, ut errantem adversarium trahas, et ire quam longissime cogas, ut vana interim spe exultet. Idéo quædam bene dissimulantur instrumenta. Instant enim, et sæpe discrimen omne committunt, quod deesse nobis putant, et faciunt probationibus nostris auctoritatem postulando. Expedi etiam dare aliquid adversario, quod pro se putet: quod apprehendens, majus aliquid cogatur dimittere: duas interim res proponere, quarum utramlibet male sit electurus: quod in altercatione fit potentius, quam in actione; quia in illa nobis ipsi respondemus, in hac adversarium quasi confessum tenemus. Est in primis acuti, videre quò judex dicto moveatur, quid respuat: quod ex vultu sæpissime, et aliquando etiam dicto aliquò factove ejus deprehenditur: et instare proficientibus; et ab iis, quæ non adjuvant, quam mollissime pedem oportet referre. Faciunt hoc medici quoque, ut remedia perinde perseverent adhibere, vel desinant, ut illa recipi vel respui vident. Nonnunquam, si rem evolvere propositam facile non sit, inferenda est alia quæstio; atque in eam, si fieri potest, judex advocandus. Quid enim, cum respondere non possis, agendum est, nisi ut aliud invenias, cui adversarius respondere non possit? Exercitatio vero hujus rei longe facillior: nam est utilissimum, frequenter cum aliquo, qui sit studiorum eorundem, sumere materiam vel veræ vel etiam fictæ controversiæ, et diversas partes altercationis modo tueri; quod idem etiam in simplici genere quæstionum fieri potest. Ne illud quidem ignorare advocatum volo, quo quæque ordine probatio sit apud judices proferenda: cujus rei eadem in argumentis ratio est; ut potentissima prima et summa ponantur: illa enim ad credendum præparant judicem, hæc ad pronuntiandum.

V. His pro nostra facultate tractatis, non dubitasset transire protinus ad *dispositionem*, quæ ordine ipso sequitur, nisi vererer, ne, quoniam fuerunt qui *judicium* inventioni subjungerent, præterisse hunc locum quibusdam viderer; qui mea quidem opinione adeo partibus operis hujus omnibus connexus ac mistus est, ut ne a sententiis quidem aut verbis saltem singulis possit separari; nec magis arte traditur, quam gustus aut odor: ideoque nos, quid in quaque re sequendum cavendumque sit, docebimus, ut ad ea *judicium* dirigatur. Præcipuum igitur, ne quod effici non potest aggrediamur, ut contraria vitemus et communia, ne quid in eloquendo corruptum obscurumque sit, referatur oportet ad sensus, qui non docentur. Nec multum *judicio* credo distare consilium, nisi quod illud ostendentibus se rebus adhibetur, hoc

latentibus, et aut omnino nondum repertis, aut dubiis; et quod judicium frequentissime certum est, consilium vero est ratio quædam alte petita, et plerumque plura perpendens et comparans, habensque in se et inventionem et judicationem: sed ne hæc quidem præcepta in universum spectanda sunt; nam ex re sumitur, cui locus ante actionem est frequenter. Nam Cicero summo consilio videtur in Verrem vel contrahere tempora dicendi maluisse, quam in eum annum, quo erat Q. Hortensius consulturus, incidere. Et in ipsis actionibus primum ac potentissimum obtinet locum. Nam quid dicendum, quid tacendum, quid differendum sit, exigere, consilii est; negare sit satius, an defendere: ubi proœmio utendum, et quali: narrandumne, et quo modo: jure prius pugnandum, an æquo: qui sit ordo utilissimus: tum omnes colores; aspere, an leniter, an etiam submisce loqui expediat. Sed hæc quoque, ut quisque passus est locus, monuimus: idemque in reliqua parte faciemus: pauca tamen exempli gratia ponam, quibus manifestius appareat, quid sit; quod demonstrari posse præceptis non arbitror.

Laudatur consilium Demosthenis, quod, cum suaderet bellum Atheniensibus parum id prospere expertis, nihil adhuc factum esse ratione monstrat: poterat enim emendari negligentia; at, si nihil esset erratum, meliores in posterum spei non erat ratio. Idem, cum offensam vereretur si objurgaret populi segnitiam in asserenda libertate reipublicæ, majorum laude uti voluit, qui rem fortissime administrassent: nam et faciles habuit aures, et natura sequebatur, ut meliõra probantes pejorum poeniteret. Ciceronis quidem vel una pro Cluentio quamlibet multis exemplis sufficeret oratio. Nam quod in eo consilium maxime mirer? primamne expositionem, qua patri, ejus filium premebat auctoritas, abstulit fidem? an quod idem corrupti judicii crimen transferre in adversarium maluit, quam negare propter inveteratam (ut ipse dicit) infamiam? An quod in re invidiosa legis auxilio novissime est usus? quo genere defensionis etiam offendisset nondum præmollitas judicum mentes? An quod seipsum invito Cluentio facere testatus est? Quid pro Milone? quod non ante narravit, quam prejudiciis omnibus reum liberaret? quod insidiarum invidiam in Clodium vertit; quanquam re vera fuerat pagna fortuita? quod factum et laudavit, et tamen voluntatem Milonis removit? quod illi preces non dedit, et in earum locum ipse successit? Illud dicere satis habeo, nihil esse, non modo in orando, sed in omni vita, prius consilio; frustra que sine eo tradi

cæteras artes; plusque vel sine doctrina prudentiam; quam sine prudentia facere doctrinam. Apparet etiam; orationem accommodare locis, temporibus, personis, esse ejusdem virtutis: sed hic quia latius fusus est locus, mistusque cum elocutione, tractabitur (1) cum præcipere *de arte dicendo* cœperimus.

(1) Vide postea ad Lib. xi. cap. 1. *O.*

M. FABII QUINTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER VII.



DE *inventione*, ut arbitror, satis dictum est. Neque enim ea demum, quæ ad docendum pertinent, executi sumus, verum etiam motus animorum tractavimus. Sed ut opera extruentibus satis non est, saxa atque materiam et cætera ædificanti utilia congerere, nisi disponendis iis collocandisque artificum manus adhibeatur: sic in dicendo quamlibet abundans rerum copia cumulum tantum habeat atque congestum, nisi illas eadem *dispositio* in ordinem digestas, atque inter se commissas, devinxerit. Nec immerito secunda quinque partium posita est, cum siue ea prior nihil valeat. Neque enim, quanquam fuis omnibus membris, statua sit, nisi collocetur: et, si quam in corporibus nostris aliorumve animalium partem permutes et transferas, licet habeat eadem omnia, prodigium sit tamen: et artus etiam leviter loco moti perdunt quo viguerunt usum: et turbati exercitus sibi ipsi sunt impedimento. Nec mihi videntur errare, qui ipsam rerum naturam stare *ordine* putant; quo confuso, peritura sint omnia. Sic oratio carens hac virtute tumultuetur necesse est, et sine rectore fluitet, nec cohæreat sibi: multa repetat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans: nec initio, nec fine proposito, casum potius quam consilium sequatur. Quapropter totus hic liber serviat *dispositioni*: quæ quidem, si certa aliqua via tradi in omnes materias ullo modo posset, non tam paucis contigisset; sed, cum infuitæ litium formæ fuerint, futuræque sint, et tot seculis nulla reperta sit causa, quæ esset tota alteri similis, sapiat oportet actor, et vigilet, et inveniat, et

judicet, et consilium a se ipso petat. Neque infitias eo, quædam esse quæ demonstrari possint, eaque non omit-
tam.

I. SIT igitur, ut supra significavi, divisio, rerum plu-
rium in singulas partio, singularum in partes discretus
ordo, et recta quædam collatio, prioribus sequentia an-
nectens: dispositio, utilis rerum ac partium in locos dis-
tributio. Sed meminerimus ipsam dispositionem ple-
rumque utilitate mutari, nec eandem semper primam
quæstionem ex utraque parte tractandam. Cujus rei ut
cætera exempla præteream, Demosthenes quoque atque
Æschines possunt esse documento, in judicio Ctesiphon-
tis diversum secuti ordinem, cum accusator a jure, quo
videbatur potentior, cæperit; patronus omnia, vel pene
omnia, ante jus posuerit, quibus judicem quæstioni legum
præpararet. Aliud enim alio docere prius expedit; alio-
qui semper petitoris arbitrio diceretur. . Igitur, quid ego
sim secutus, quod partim præceptis, partim usurpatum
ratione cognoveram, promam: nec unquam dissimulavi.
Erat mihi curæ in controversiis forensibus, nosse omnia
quæ in causa versarentur. . Cum hæc in conspectu
quodam modo collocaveram, non minus pro adversa
parte, quam pro mea cogitabam. Et primum (quod non
difficile dictu est, sed tamen ante omnia intueundum) con-
stituebam, quid utraque pars vellet efficere, tum per quid,
hoc modo. Cogitabam quid primum petitor diceret: id
aut confessum erat, aut controversum: si confessum, non
poterat ibi esse quæstio: transibam ergo ad responsum
partis alterius: idem intuebar: nonnunquam etiam quod
inde obtinebatur, confessum erat. Ubi primum cæperat
non convenire, quæstio oriebatur: id tale est: Occidisti
hominem; occidi; convenit: transeo: rationem reddere
debet reus, *quare* occiderit: Adulterum, inquit, cum
adultera occidere licet: legem esse, certum est. Tertium
jam aliquid videndum est, in quo pugna consistat: Non fue-
runt adulteri; fuerunt: quæstio: de facto ambigitur; con-
jectura est. Interim vero et tertium confessum est, adulteros
fuisse: Sed tibi, inquit accusator, illos non licuit occidere:
exul enim eras, et ignominiosus: de jure quæritur: at si
protinus dicenti, *occidisti*, respondeatur, *non occidi*; sta-
tim pugna est. Sic explorandum est ubi controversia in-
cipiat, et considerari debet quæ primam quæstionem
facit. Quod pertinet ad actorem, non plane dissentio a
Celso, qui sine dubio Ciceronem est secutus. Instat ta-
men huic parti vehementius, ut putet primo firmum
aliquid esse ponendum, summo firmissimum, imbecilliora

médio: quia et initio movendus sit iudex, et summo impellendus. At pro reo plerumque gravissimum quidque primum movendum est, ne illud spectans iudex, reliquorum defensionis sit aversior. Interim tamen et hoc mutabitur, si leviora illa palam falsa erunt, gravissimi defensionis difficilior: ut, detracta prius accusatoribus fide, aggrediamur ultimum, jam iudicibus omnia vana esse credentibus. Opus erit tamen præfatione, qua et ratio reddatur dilati criminis, et promittatur defensio, ne id, quod non statim diluemus, timere videamur: Anteaquæ vitæ crimina plerumque prima purganda sunt, ut id, de quo laturus est sententiam iudex, audire propitius incipiat. Sed hoc quoque pro Vareno Cicero in ultimum distulit: non quid frequentissime, sed quid tum expediret, intuitus. Cum simplex (1) intentio erit, videndum est, an unum aliquid respondeamus, an plura: si unum, in re quæstionem instituamus, an in scripto; si in re, negandum sit quod objicitur, an tuendum: si in scripto, in qua specie juris pugna sit, et in ea de verbis, an voluntate, quærat. Id ita consequemur, si intuiti fuerimus, quæ sit lex quæ litem faciat; hoc est, qua iudicium sit constitutum. . Conjuncta defensio est, qualis pro Rabirio; si occidisset, recte fecisset; sed non occidit. Ut vero multa contra unam propositionem dicimus, cogitandum est primum, quidquid dici potest; tum ex his quo quidque loco dici expediat, ordinandum. In quo non idem sentio, quod de propositionibus paulo ante, quodque de argumentis probationum loco concessi, aliquando nos incipere a firmitioribus: nam vis quæstionum semper crescere debet, et ad potentissima ab infirmissimis pervenire, sive sunt ejusdem generis, sive diversi. . Solebam hoc facere præcipue, ut vel ab ultima specie (nam ea fere est, quæ continet causam) retrorsum quærerem usque ad primam generalem quæstionem, vel a genere ad extremam speciem descenderem, etiam in suasoriis: ut deliberat Numa, an regnum offerentibus Romanis recipiat? Primum id est genus, an regnandum? an in civitate aliena? an Romæ? an laturo sint Romani talem regem? . . Solebam, id quod fieri et in argumentis dixi, in tota facere materia, ut, propositis, extra quæ nihil esset omnibus, deinde cæteris remotis, solum id superesset quod credi volebam: ut in prævaricationum criminibus; ut absolvetur reus, aut innocentia ipsius fit, aut interveniente aliqua potestate, aut vi, aut corrupto iudicio, aut difficultate probationis,

(1) Cum accusatio, quæstio, erit simplex, et unum aliquid objicietur.

aut prævaricatione: nocentem fuisse confiteris; nulla potestas obstitit, nulla vis; corruptum iudicium non quereris; nulla probandi difficultas fuit: quid superest, nisi ut prævaricatio fuerit? si omnia amoliri non poteram, tamen plura amoliebar: hominem occisum esse constat: non in solitudine, ut a latronibus suspicer; non prædæ gratia, quia in spoliatus est; non hæreditatis spe, quia pauper fuit: odium igitur in causa: quis inimicus? Quæ res autem faciliorem divisioni viam præstat, eadem inventioni quoque. (1) Excutere quidquid dicitur, prodest, et velut rejectione facta ad optimum pervenire: accusatur Milo, quod Clodium occiderit: aut fecit, aut non; optimum erat negare: si non potest, occidit ergo aut jure, aut injuria: utique jure; aut voluntate igitur, aut necessitate: nam ignorantia prætendi non potest: voluntas anceps est; sed, quia ita id homines putant, adjungenda defensio, ut id pro republica fuerit: necessitate; subita igitur pugna, non præparata: alter igitur insidiatus est; uter? profecto Clodius. Videsne ut ipsa rerum necessitas deducat ad defensionem? Adhuc: aut utique voluit occidere insidiatorem Clodium, aut non: tutius, si noluit; *Fecerunt ergo servi Milonis, neque jubente, neque sciente Milone*: at hæc tam timida defensio detrahit auctoritatem illi, qua recte dicebamus occisum: adjicitur; *quod suos quisque servos in tali re facere voluisset*: hoc eo est utilius, quod sæpe nihil placet, et aliquid dicendum est: intueamur ergo omnia; ita apparebit aut id quod optimum est; aut id quod minime malum. .

At quo modo inveniemus etiam illas occultiores quæstiones? scilicet, quo modo sententias, verba, figuras, colores? ingenio, cura, exercitatione: non tamen fere unquam nisi imprudentem fugerint, si, ut dixi, naturam sequi ducem velit. Sed plerique, eloquentiæ famam affectantes, contenti sunt locis speciosis modo, vel nihil ad probationem conferentibus: alii, nihil vitantes, ea, quæ in oculos incurrunt, exquirenda putant. . .

Plerumque autem in fine causarum de æquitate tractabitur, quia nihil libentius iudices audiunt: aliquando tamen hunc ordinem mutabit utilitas; ut, si in jure minus fiduciæ erit, æquitate iudicem præparemus.

Nihil habui amplius, quod in universum præciperem.

(1) Quia sensim excutiendo aliud atque aliud, tandem invenimus, quod est utilissimum nobis. Cæterum, *rejectionem facere* dixit per metaphoram: nam, postquam prætor iudices erat sortitus, utrique permittebatur parti, certum quendam numerum iudicum rejicere. *Turn.*

Sunt pleraque, quæ, nisi proposita de qua dicendum est materia, viam docendi non præbeant. Non enim causa universa in quæstiones ac locos diducenda est; sed hæ ipsæ partes habent rursus ordinem suum: nam et in proœmio primum est aliquid, et secundum, ac deinceps; et quæstio omnis ac locus habet suam dispositionem, ut theses etiam simplices. . Est et hoc, quod scriptor demonstrare non possit, nisi certa definitaque materia; sed quid una faciat, aut altera? quin imo centum ac mille in re infinita? Præceptoris est, in alio atque alio genere quotidie ostendere, quis ordo sit rerum, et quæ copulatio; ut paulatim fiat usus, et ad similia transitus: tradi enim omnia, quæ ars efficit, non possunt; nam quis pictor omnia, quæ in rerum natura sunt, adumbrare didicit? sed, percepta semel imitandi ratione, assimilabit quidquid acceperit. (1) Quis enim non faber vasculum aliquod, quale nunquam viderat, facit? Quædam vero non docentium sunt, sed discentium: nam et medicus, quid in quoque valetudinis genere faciendum sit, quid quibus signis providendum, docebit: vim sentiendi pulsus venarum, caloris motus, spiritus meatum, coloris distantiam, quæ sua cujusque sunt, ingenium dabit. Quare plurima petamus a nobis, et cum causis deliberemus, cogitemusque, homines ante invenisse artem quam docuisse. Illa enim potentissima est, quæque vere dicitur œconomica totius causæ dispositio, quæ constitui nisi velut in re præsentis non potest: ubi assumendum proœmium, ubi omittendum: ubi utendum expositione continua, ubi partita: ubi ab initiis incipiendum, ubi more Homero a mediis, vel ultimis: ubi omnino non exponendum: quando a nostris, quando ab adversariorum propositionibus, incipiamus: quando a firmissimis probationibus, quando a levioribus: quando in causa proponendæ proœmiis quæstiones, qua præparatione præmuniendæ: quid iudicis animus accipere possit statim dictum, quo paulatim deducendus: singulis, an universis opponenda refutatio: reservandi perorationi, an per totam orationem diffundendi affectus: de jure prius, an de æquitate dicendum: an anteacta crimina, an de quibus iudicium est, prius objicere, vel diluere conveniat: si multiplices causæ erunt, quis ordo faciendus, quæ testimonia, tabulæ cujusque generis in actione recitandæ, quæ reservandæ. Hæc est velut imperatoria virtus copias

(1) Ita Goth. et Jenson. bene, atque etiam *pulcre*, Gesnero iudice; ergo ita dedimus. Sensus est: Quis enim *vel* faber non &c. Al. *Quid enim?* O.

suas partientis ad casus præliorum, retinentis partes propter castella tuenda, custodiendasve urbes, petendos commeatus, obsidenda itinera, mari denique ac terra dividensis. Sed hæc in oratione præstat omnia; cui affuerint natura, doctrina, studium: quare nemo expectet, ut alieno tantum labore sit disertus; vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum: est facienda sua cuique vis, sua ratio: non respiciendum ad hæc, sed in promptu habenda: nec tanquam tradita, sed tanquam innata. Nam viam demonstrare velociter ars potest, si qua est; verum ars satis præstat, si copias eloquentiæ ponit in medio: nostrum est uti eis scire. (1) Reliqua partium est demum dispositio: et in his ipsis primus aliquis sensus, et secundus, et tertius; qui non modo ut sint ordine collocati, elaborandum est, sed ut inter se juncti, atque ita coherentes, ne commissura pelluceat: corpus sit, non membra: quod ita continget, si et quid in quosque conveniat viderimus, et ut verba verbis applicemus, non pugnantia, sed quæ invicem complectantur. Ita res diversæ distantibus ex locis, quasi invicem ignotæ, non collidentur, sed aliqua societate cum prioribus ac sequentibus se copulaque tenebunt: ac videbitur non solum composita oratio, sed etiam continua. Verum longius fortasse progredior fallente transitu, et a *dispositione* ad *elocutionis* præcepta labor, quod proximus liber inchoabit.

(1) Fortasse scripserat Fabius, *Aliqua*, &c.; ut postea, *aliquis sensus— aliqua societate*; neque enim istud *reliqua*, alias utcumque elegans, idoneum hic locum habere nobis videtur, et facile ex repetita ultima syllaba verbi præcedentis, *scire*, librarius nescio quis, importuno corrigendi studio, *re aliqua* in *reliqua* mutaverit. Porro, enim ins. Jens. post *reliqua*; quod illa cum præcedentibus conjungit. O.

M. FABII QUINTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER VIII.

HIS fere, quæ in proximòs quinque libros collata sunt, ratio *inveniendi*, atque inventa *disponendi* continetur: quam ut per omnes numeros penitus cognoscere, ad summam scientiæ necessarium est, ita incipientibus brevius ac simplicius tradi magis convenit: aut enim difficultate institutionis tam numerosæ atque perplexæ deterreri solent; aut eo tempore, quo præcipue alenda ingenia atque indulgentia quadam enutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atteruntur; aut, si hæc sola didicerint, satis se ad eloquentiam instructos arbitrantur; aut, quasi ad certas quasdam dicendi leges alligati, conatum omnem reformidant: unde existimant accidisse, ut qui diligentissimi *Artium* scriptores extiterunt, ab eloquentia longissime fuerint. Via tamen opus est incipientibus, sed ea plana, et cum ad ingrediendum tum ad demonstrandum expedita. Eligat itaque peritus ille præceptor ex omnibus optima, et tradat ea demum in præsentia, quæ placent, remota refutandi cætera mora. Sequuntur enim discipuli quo duxeris. Mox cum robore discendi crescet etiam eruditio. Idem primo solum iter credant esse in quod inducentur, mox illud cognituri etiam optimum. Sunt autem neque obscura, neque ad percipiendum difficilia, quæ scriptores diversis opinionibus pertinaciter tuendis involverunt. Itaque in toto artis hujusce tractatu difficilium est judicare quid doceas, quam, cum judicaris, docere: præcipueque in duabus his partibus perquam sunt pauca, circa quæ si is qui instituetur non repugnaverit, pronum ad cætera habiturus est cursum. Nempe enim

plurimum in hoc laboris exhausimus, ut ostenderemus, rhetoricen *bene dicendi scientiam, et utilem, et artem, et virtutem* esse; *materiam* ejus, *res omnes de quibus dicendum esset*: tum et eas in tribus fere generibus, *demonstrativo, deliberativo, judicialique*, reperiri: orationem porro omnem constare *rebus, et verbis*; in rebus intuendam *inventionem*, in verbis *elocutionem*, in utrisque *collocationem*; quæ *memoria* complecteretur, *actio* commendaret: oratoris officium, *docendi, movendi, delectandi* partibus contineri; ex quibus ad docendum *expositio* et *argumentatio*, ad movendum *affectus* pertinent; quos per omnem quidem causam, sed maxime tamen in ingressu ac fine dominari; nam delectationem, quamvis in utroque sit eorum, magis tamen proprias in elocutione partes habere: quæstiones alias *infinitas*, alias *finitas*, quæ personis, locis, temporibus continerentur: in omni porro materia tria esse quærenda: *an sit? quid sit? quale sit?* His adjiciebamus, *demonstrativam* laude ac vituperatione constare: in ea, quæ ab ipso, de quo diceremus, quæ post eum acta essent, intuendum: hoc opus tractatu honestorum utiliumque constare: *suasoriis* accedere tertiam partem ex conjectura: possetne fieri, et, an esset futurum, de quo deliberaretur: hic præcipue diximus spectandum, Quis, apud quem, quid diceret: *judicialium* causarum alias in singulis, alias in pluribus controversiis consistere. . In omni porro causa judiciali, quinque esse partes, quarum *exordio* conciliari audientem, *narratione* causam proponi, *confirmatione* roborari, *refutatione* dissolvi, *peroratione* aut memoriam judicis reficere, aut animos moveri. His argumentandi et afficiendi locos, et quibus generibus concitari, placari, resolvi iudices oportet, adjecimus. Accessit ratio (1) *divisionis*: credere modo, qui discet, velit, certam quandam viam esse, in qua multa etiam sine doctrina præstare debeat per se ipsa natura; ut hæc, de quibus dixi, non tam inventa a præceptoribus, quam, cum fierent, observata esse videantur.

Plus exigunt laboris et curæ quæ sequuntur: hinc enim jam *elocutionis* rationem tractabimus, partem operis, ut inter omnes oratores convenit, difficillimam. Nam et M. Antonius, cujus supra habuimus mentionem, ait a se *disertos* visos esse multos, *eloquentem* autem neminem. Disertis satis putat, dicere quæ oporteat; ornate autem dicere, proprium esse eloquentissimi; quæ virtus si usque ad eum in nullo reperta est, ac ne in ipso quidem, aut L. Crasso; certum est et in his, et in prioribus eam deside-

(1) *Divisionem* appellat distributionem thematis et causæ in capita sua, quæ res *dispositionem* orationis efficit. *Turn.*

ratam, quia difficillima fuit. Et M. Tullius inventionem quidem ac dispositionem prudentis hominis putat, eloquentiam oratoris: ideoque præcipue circa partis hujus præcepta elaboravit. Quod eum merito fecisse, etiam ipso rei, de qua loquimur, nomine palam declaratur: *eloqui* enim hoc est; omnia quæ mente conceperis promere, atque ad audientes perferre: sine quo supervacua sunt priora, et similia gladio condito, atque intra vaginam suam hærenti. Hoc itaque maxime docetur: hoc nullus nisi arte assequi potest: huc studium adhibendum: hoc exercitatio petit, hoc imitatio: hic omnis ætas consumitur: hoc maxime orator oratore præstantior: hoc genera ipsa dicendi alia aliis potiora. Neque enim Asiani, aut quocunque alio genere corrupti, res non viderunt, aut eas non collocaverunt; neque, quos *aridos* vocamus, stulti, aut in causis cæci fuerunt: sed his judicium in eloquendo, ac modus, illis vires defuerunt: ut appareat, in hoc et vitium et virtutem esse dicendi. Non ideo tamen sola est agenda cura verborum. Occurrat enim necesse est, et, velut in vestibulo protinus apprehensuris hanc confessionem meam, resistam iis, qui omissa *rerum*, qui nervi sunt in causis, diligentia, quodam inani circa *voces* studio senescunt: idque faciunt gratia decoris; quod est in dicendo mea quidem opinione pulcherrimum, sed cum sequitur, non cum affectatur. Corpora sana, et integri sanguinis, et exercitatione firmata, ex iisdem his speciem accipiunt, ex quibus vires: namque et colorata, et adstricta, et lacertis expressa sunt: sed eadem si quis vulsa atque fucata muliebriter comat, fœdissima sunt ipso formæ labore. Et cultus concessus atque magnificus addit hominibus, ut (1) Græco versu testatum est, auctoritatem: at muliebris, et luxuriosus, non corpus exornat, sed detegit mentem. Similiter illa translucida et versicolor quorundam elocutio res ipsas effeminat, quæ illo verborum habitu vestiuntur. Curam ergo verborum, rerum volo esse sollicitudinem.

Nam plerumque optima rebus cohærent, et cernuntur suo lumine. At nos quærimus illa, tanquam lateant semper, seque subducant: ita nunquam putamus circa id esse, de quo dicendum est, sed ex aliis locis petimus, et inventis vim afferimus. Majore animo aggredienda eloquentia est: quæ, si toto corpore valet, ungues polire,

(1) Alludit ad proverbium Græcum: *Εἴματα ἀνῆς*. *Vestis virum facit*: quo significamus ipsum ornatum magnificentiam quandam et auctoritatem hominibus addere. Existimat Erasmus a Fabio significari versum quemdam Homericum, quem Nausicaæ de Ulyssæ dixit lib. 6. *Odys.* v. 29. *Turn.*

et capillum reponere, non existimabit ad curam suam pertinere. Sed evenit plerumque, ut hac diligentia deterior etiam fiat oratio; primum, quia sunt optima minime arcessita, et simplicibus atque ab ipsa veritate profectis similia. Nam illa quæ curam fatentur, et ficta atque composita videri etiam volunt, nec gratiam consequuntur; et fidem amittunt, propter id quod sensus obumbrant, et velut læto gramine sata strangulant. Nam et quod recte dici potest, circumimus amore verborum: et quod satis dictum est, repetimus: et quod uno verbo patet, pluribus oneramus: et pleraque significare melius putamus, quam dicere. Quid, quod nihil jam proprium placet, dum parum creditur disertum, quod et alius dixisset? A corruptissimo quoque poetarum figuras seu translationes mutuamur: tum demum ingeniosi scilicet, si ad intelligendos nos opus sit ingenio. Atqui satis aperte Cicero præceperat, *in dicendo vitium vel maximum esse, a vulgari genere orationis, atque a consuetudine communis sensus abhorrere*: sed ille durus, atque ineruditus! nos melius, quibus sordent omnia quæ natura dictavit; qui non ornamenta quærimus, sed lenocinia: quasi vero sit ulla verborum, nisi rei cohærentium, virtus: quæ ut propria sint, et dilucida, et ornata, et apte collocentur, si tota vita laborandum est, omnis studiorum fructus amissus est. Atque plerosque videas hærentes circa singula; et dum inveniunt, et dum inventa ponderant, ac dimetiuntur: quod etiam si idcirco fieret, ut semper optimis uterentur, abominanda tamen hæc infelicitas erat, quæ et cursum dicendi refrænât, et calorem cogitationis extinguit mora et diffidentia. Miser enim et (ut sic dicam) pauper orator est, qui nullum verbum æquo animo perdere potest. Sed ne perdet quidem, qui rationem loquendi primum cognoverit; tum lectione multa et idonea copiosam sibi verborum supellectilem compararit; et huic adhibuerit artem collocandi; deinde hæc omnia exercitatione plurima roborarit, ut semper in promptu sint, et ante oculos: namque hoc qui fecerit, ei res cum nominibus suis occurrent. Sed opus est studio præcedente, et acquisita facultate, et quasi reposita: namque ista quærendi, judicandi, comparandi anxietas, dum discimus adhibenda est, non cum dicimus: alioqui, sicut qui patrimonium non pararunt subinde quærent, ita in oratione, qui non satis laborarunt: Si præparata vis dicendi fuerit, (1) erit in officio; sic, non

(1) Ita nobis, post aliorum labores, potissimum ex Goth. constituendus hic locus videtur. Numerus pluralis in verbis *erunt* et *videantur*, nam *erit*

ut requisita respondere, sed ut semper sensibus inhærere videatur, atque ut umbra corpus sequi. Tamen in hac ipsa cura est aliquid satis: nam cum Latina, significantia, ornata, apte sicut collocata, quid amplius laboremus? Quibusdam tamen nullus finis calumniandi est, et cum singulis pene syllabis commorandi: qui, etiam cum optima sint reperta, quærunt aliquid quod sit magis antiquum, remotum, inopinatum; nec intelligunt, jacere sensus in oratione, in qua verba laudantur. Sit igitur cura *elocutionis* quam maxima; dum sciamus tamen, nihil verborum causa esse faciendum, cum verba ipsa rerum gratia sint reperta: quorum ea sunt maxime probabilia, quæ sensum animi nostri optime pronunt, atque in animis iudicum quod volumus efficiunt: ea debent præstare sine dubio et admirabilem et jucundam orationem; verum admirabilem, non sic quo modo prodigia miramur, et jucundam, non deformi voluptate, sed cum laude ad dignitatem conjuncta.

I. **IGITUR** quam Græci *φράσις* vocant, Latine dicimus *elocutionem*. Eam spectamus in verbis, aut *singulis*, aut *conjunctis*: in *singulis* intuendum est, ut sint Latina, perspicua, ornata, et ad id quod efficere volumus accommodata; in *conjunctis*, ut apte collocata, ut figurata. Sed ea, quæ de ratione Latine atque emendate loquendi fuerunt dicenda, in libro primo, cum de Grammaticæ loqueremur, executi sumus. Verum illic tantum, ne vitiosa essent, præcepimus; hic non aliènum est adinonere, ut sint quam minime peregrina et externa: multos enim, quibus loquendi ratio non desit, invenias, quos curiose potius loqui dixeris, quam Latine: quo modo et illa Attica anus Theophrastum, hominem alioqui disertissimum, annotata unius affectatione verbi, hospitem dixit; nec alio se idprehendisse interrogata respondit, quam quod *nimum Attice* loqueretur: et in Tito Livio, miræ faciendæ viro, putat inesse Pollio Asinius quandam (1) Patavinatatem. Quare, si fieri potest, et verba omnia, et vox, hujus alumnum urbis oleant: ut oratio Romana plane videatur, non civitate donata.

II. **PERSPICUITAS** in verbis præcipuam habet *propriètatem*: sed proprietas ipsa non simpliciter accipitur;

est in Gothano, ortum fortasse duxit ex alio Fabii loco, lib. 10. c. 3. qui sine dubio huic utique commentario esse potest:—*Celeritatem dabit consuetudo, Paulatim res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio sequetur: cuncta denique, ut in familia bene instituta, in officio erunt.* O.

(1) Id est, quandam phrasin, quæ redolebat potius Patavium quam Romanam. Turn,

Primus enim intellectus est, sua cujusque rei appellatio; qua non semper utimur; nam et obscœna vitabimus, et sordida, et humilia: sunt autem *humilia* infra dignitatem (1) rerum, aut ordinis; in quo vitio cavendo non mediocriter quidam errare solent, qui omnia quæ sunt in usu, etiam si causæ necessitas postulet, reformidant: ut ille, qui in actione (2) *Ibericas herbas*, se solo nequidquam intelligente, dicebat, nisi irridens hanc vanitatem Cassius Severus, *spartum* eum dicere velle, indicasset. . In hac autem proprietatis specie, quæ nominibus ipsis cujusque rei utitur, nulla virtus est: atque ei contrarium est vitium id, quod apud nos *improprium*, ἀνεργον apud Græcos, vocatur; quale est,—*Tantum sperare dolorem*. . Non tamen quidquid non erit proprium protinus et improprii vitio laborabit; quia, *primum* omnium, multa sunt et Græce et Latine non denominata: nam et, qui jaculum emittit, *jaculari* dicitur; qui pilum aut sudem, appellatione privatim sibi assignata caret; et, ut *lapidare* quid sit manifestum est, ita glebarum testarumque jactus non habet nomen: unde *abusio*, quæ κατὰ χρεῖς dicitur, necessaria: *translatio* quoque, in qua vel maximus est orationis ornatus, verba non suis rebus accomodat; quare proprietatis non ad nomen, sed ad vim significandi refertur; nec auditu, sed intellectu perpendenda est. *Secundo* modo dicitur proprium, inter plura quæ sunt ejusdem nominis, id unde cætera ducta sunt: ut *vertex* est contorta in se aqua, vel quidquid aliud similiter *vertitur*; inde, propter flexum capillorum, pars est summa capitis; et ex hoc, quod est in montibus eminentissimum: recte, inquam, dixeris hæc omnia *vertices*; proprie tamen, unde initium est. Sic (3) *soleæ* et *turdi* pisces, et cætera. *Tertius* est huic diversus modus, cum res communis pluribus in uno aliquo habet nomen eximium; ut carmen funebre proprie *Nænia*, et tabernaculum ducis, *Augurale*; item, quod commune est et aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur; ut *urbem*, Romam accipimus, et *venales*, novitios, et *Corinthia*, æra; cum sint urbes aliæ quoque, et venalia multa, et tam aurum et argentum, quam æs, Corinthium. Sed ne in his quidem virtus oratoris inspicitur: at illud jam non mediocriter probandum,

(1) Infra dignitatem, vel rerum, de quibus agitur, vel ordinis, sive nostri, sive eorum qui nos audiunt. O.

(2) *Spartum* frutex est nexilis et vitilis, genistæ similis, frequentissimus in Hispania, teste Plinio, 19, 2, 7, et seq. Turn.

(3) *Solea* piscis est planus, a similitudine soleæ pedis nostri. *Turdus* quoque piscis est saxatilis, a similitudine turdi avis. Turn.

quod hoc etiam laudari modo solet, ut proprie dictum, id est, quo nihil inveniri possit significantius: ut Cato dixit, C. Cæsarem ad evertendam rempublicam *sobrium* accessisse: ut Virgilius, *Deductum carmen*; et Horatius, *Acrem tibiam, Hannibalemque dirum*. . Interim autem, quæ sunt in quoque genere *præcipua*; proprii locum accipiunt, ut Fabius, inter plures imperatorias virtutes, *Cunctator* est appellatus. Possunt videri verba, quæ plus significant quam eloquuntur, in parte ponenda perspicuitatis: intellectum enim adjuvant: ego autem libentius *emphasis* retulerim ad ornatum orationis, quia non ut intelligatur efficit, sed ut plus intelligatur.

At obscuritas fit etiam verbis ab usu remotis: ut si commentarios quis pontificum, et vetustissima fœdera, et exoletos scrutatus auctores, id ipsum petat ex eis, ut quæ inde contraxerit non intelligantur: hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, ut quædam soli scire videantur. Fallunt etiam verba, vel regionibus quibusdam magis familiaria, vel artium propria; ut (1) *Atabulus* ventus, et navis (2) *Saccaria*, et, in *malaco* sanum: quæ vel vitanda apud iudicem ignarum significationum earum, vel interpretanda sunt: sicut in his quæ *homonyma* dicuntur; ut *Taurus*, animal sit, an mons, an signum in cælo, an nomen hominis, an (3) radix arboris, nisi distinctum, non intelligitur. Plus tamen est obscuritatis in contextu et continuatione sermonis, et plures modi: quare nec sit tam longus, ut eum prosequi non possit intentio; nec traiectione tam tardus, ut in hyperbaton finis ejus differatur. Quibus adhuc peior est mistura verborum, qualis in illo versu:

Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras.

Etiam interjectione, qua et oratores et historici frequenter utuntur, ut media sermone aliquem inserant sensum, impediri solet intellectus, nisi quod interponitur breve est: nam Virgilius illo loco, quo pullum equinum describit, cum dixisset,

Nec vanos horret strepitus,—

(1) Nomen proprium venti, qui Apuliam infestat: vide Horat. l. 1. Sat. 5, v. 78. ἀπὸ τῆ ἀττιν βάλλειν.

(2) Quæ saccos fert: vel quæ saccis fert species aromaticas. Alii referunt etiam ad saccar, *Turn*.

(3) Hunc locum, non omnibus intellectum, parum modeste tractarunt ingeniosissimi viri. Vid. Gesn. not. in locum, O.

comphuribus insertis, alia figura quinto demum versu redit:

— *Tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit.*—

Vitanda in primis ambiguitas, non hæc solum, de cujus genere supra dictum est, quæ incertum intellectum facit; ut, *Chremetem auditori percussisse Demeam*; sed illa quoque, quæ, etiam si turbare non potest sensum, in idem tamen verborum vitium incidit; ut, si quis dicat, *visum a se hominem libram scribentem*: nam, etiam si librum ab homine scribi pateat, male tamen composuerat, feceratque ambiguum, quantum in ipso fuit. Est etiam in quibusdam turba in animum verborum, qui, dum communem loquendi morem reformidant, ducti specie nitore, circumveniunt omnia copiosa loquacitate, quæ dicere volunt; ipsam deinde illam seriem cum aliâ simili jungentes, miscentesque, ultra quam ullius spiritus durare possit extendunt. In hoc malum etiam a quibusdam laboratur: neque id novum vitium est, cum jam apud (1) Titum Livium inveniam, fuisse præceptorem aliquem, qui discipulos obscurare quæ dicerent juberet, Græco verbo nitens, *σκότισον*. Unde illa scilicet egregia laudatio, *Tanto melior; ne ego quidem intellexi*. Alii, brevitatjs æmuli, necessaria quoque orationi subtrahunt verba, et, velut satis sit scire ipsos quæ dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil paucant: at ego otiosum sermonem dixerim, quem auditor suo ingenio non intelligit. . Pessima vero sunt *ἀδιαύτητα*, hoc est, quæ verbis aperta occultos sensus habent. . At pervasit quidem jam multos ista persuasio, ut id jam demum eleganter atque exquisite dictum putent, quod interpretandum sit. Sed auditoribus etiam nonnullis grata sunt hæc, quæ cum intellexerint, acumine suo delectantur, et gaudent non quasi audiverint, sed quasi invenerint. Nobis prima sit virtus perspicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum ditata conclusio; nihil neque desit, neque superfluat: ita sermo et doctis probabilis, et plausus imperitis erit. Hæc est *eloquendi* observatio: nam *rerum* perspicuitas quo modo præstanda sit, diximus in præceptis *narrationis*: similis autem ratio est in omnibus; nam, si neque pauciora quam oportet, neque plura, neque inordinata aut indistincta dixerimus, erunt dilucida, et negligenter quoque audientibus aperta: quia id ipsum in

(1) In epistola T. Livii ad filium, cujus Febius sibi mentionem facit.

consilio est habendum, non semper tam esse acrem judicis intentionem, ut obscuritatem apud se ipse discutiat, et tenebris orationis inferat quoddam intelligentiæ suæ lumen; sed multis eum frequenter cogitationibus avocari, nisi tam clara fuerint quæ dicemus, ut in animum ejus oratio, ut sol in oculos, etiam si in eam non intendatur, incurrat: quare non, ut intelligere possit, sed, ne omnino possit non intelligere, curandum. Propter quod etiam repetimus sæpe, quæ non satis percepisse eos qui cognoscunt putamus: *Quæ causa utique nostra culpa dicta obscurius est: Qua causa ad planiora et communia magis verba descendimus:* cum id ipsum optime fiat, quod nos aliquando non optime fecisse simulamus.

III. VENIO nunc ad *ornatum*; in quo sine dubio plus quam in cæteris dicendi partibus sibi indulget orator: nam *emendate* quidem ac *dilucide* dicentium tenuæ præmium est, magisque vitiis carere, quam ut aliquam magnam virtutem adeptus esse videaris. *Inventio* cum imperitis sæpe communis; *dispositio* modicæ doctrinæ credi potest; et, quæ sunt artes altiores, plerumque occultantur ut artes sint; denique, omnia hæc ad utilitatem causarum solam referenda sunt: *cultu* vero atque *ornatu* se quoque commendat ipse qui dicit; et in cæteris judicium doctorum, in hoc vero etiam popularem laudem petit. Nec fortibus modo, sed etiam fulgentibus armis præliatus in causa est Cicero Cornelii: qui non assecutus esset, docendo judicem tantum, et utiliter demum ac Latine perspicueque dicendo, ut populus Romanus admirationem suam non acclamatione tantum, sed etiam plausu confiteretur: sublimitas profecto, et magnificentia, et nitor, et auctoritas expressit illum fragorem. Nec tam insolita laus esset prosecuta dicentem, si usitata et cæteris similis fuisset oratio: atque ego illos credo, qui aderant, nec sensisse quid facerent, nec sponte judicioque plausisse; sed velut mente captos, et quo essent in loco ignaros, erupisse in hunc voluptatis affectum. Sed ne causæ quidem parum confert idem hic orationis ornatus: nam, qui libenter audiunt, et magis attendunt, et facilius credunt, plerumque ipsa delectatione capiuntur, nonnunquam admiratione auferuntur. Nam et ferrum affert oculis terroris aliquid, et fulmina ipsa non tam nos confunderent, si vis eorum tantum, non etiam ipse fulgor timeretur: recteque Cicero his ipsis ad Brutum verbis quadam in epistola scribit, *Nam eloquentiam, quæ admirationem non habet, nullam judico.* Aristoteles quoque eandem petendam maxime putat. Sed hic ornatus (repetam enim)

virilis, fortis, et sanctus sit: nec effeminatam lævitatē, nec fūco eminentem colorem amet: sanguine et viribus niteat. Hoc autem adeo verum est, ut, cum in hac maxime parte sint vicina virtutibus vitia, etiam qui vitiis utuntur virtutis tamen his nomen imponant. Quare nemo ex (1) corruptis dicat, me inimicum esse culte dicentibus: non nego hanc esse virtutem, sed illis eam non tribuo. An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia, et violas, et amœnos fontes surgentes, quam ubi plena messis, aut graves fructu vites erunt? sterilem platanum, tonsasque myrtos, quam maritam ulmum, et uberes oleas, præoptaverim? habeant illa divites: licet: quid essent, si aliud nihil haberent? Nullusne ergo etiam fructiferis adhibendus est decor? quis negat? nam et in ordinem certaue intervalla redigam eas arbores. Quid enim illo (2) quincunce speciosius, qui, in quamcunque partem spectaveris, rectus est? sed protinus in id quoque prodest, ut terræ succum æqualiter trahant. Surgentia in altum cacumina oleæ, ferro (3) coercendo, in orbem se formosius fundant, et protinus fructum ramis pluribus ferent. Decentior equus, cujus astricta sunt ilia; sed idem velocior: pulcher aspectu sit athleta, cujus lacertos exercitatio expressit; idem certamini paratior. Nunquam vera species ab utilitate dividitur. Sed hoc quidem discernere modici iudicii est: illud observatione dignius, quod hic ipse honestus ornatus pro materiæ genere debet esse variatus; atque, ut a prima divisione ordiar, non idem demonstrativis, et deliberativis, et judicialibus causis conveniet: namque illud genus ostentationi compositum, solam petit audientium voluptatem; ideoque omnes dicendi artes aperit orator, ornatumque orationis exponit, ut qui non insidietur, nec ad victoriam, sed ad solum finem laudis et gloriæ tendat: quare, quidquid erit sententiis populare, verbis nitidum, figuris jucundum, translationibus magnificum, compositione elaboratum, velut institor quidam eloquentiæ, intuendum et pene pertractandum dabit: nam eventus ad ipsum, non ad causam refertur. At, ubi res agitur, et vera di-

(1) *Corruptos* vocat, qui sententiolas et acumina sectando, nimia affectatione cultus et quasi muliebribus lenociniis veræ et masculæ eloquentiæ dignitatem corruperant: quod vitium ætate Fabii maxime invaluerat.

(2) Quincunx re vera est arborum ordo triangularis: sic autem dicebatur a figura quinti numeri, V, quam singuli trianguli expriment. Vid. Virg. Georg. 2, 277.

(3) Hunc locum ita ex Goth. et Jenson. constituendum duximus: *coercebo* aliquis fortasse voluerit, ut *τω redigam* supra quadraret, cum præsertim faveret compendium illud *coercēdo*, ommissa forte linea quæ supra duci solet. O.

micatio est, ultimus sit famæ locus: præterea, non debet quisquam, ubi maxima rerum momenta versantur, de verbis esse sollicitus. Neque hoc eo pertinet, ut in his nullus sit ornatus, sed uti pressior et severior, et minus confessus, præcipue ad materiam accommodatus. Nam et in suadendo, *sublimius* aliquid senatus, *convitatus* populus, et in judiciis, publicæ capitalesque causæ poscunt *accuratius* dicendi genus: at privatum consilium, causasque paucorum, ut frequenter accidit, calculorum, purus sermo, et dissimilis curæ magis decuerit. An non pudeat (1) certam creditam pecuniam periodis postulare? aut circa stillicidia affici? aut in mancipii (2) redhibitione sudare? Sed ad propositum: et, quoniam orationis tam ornatus, quam perspicuitas, aut in *singulis* verbis est aut in *pluribus* positus, quid separata, quid conjuncta exigant, consideremus.

Quamquam rectissime traditum est, perspicuitatem propriis, ornatum translatis verbis magis egere; sciamus inornatum esse, quod sit improprium: sed, cum idem frequentissime plura significant, quod *συνοψια* vocatur, jam sunt aliis alia honestiora, sublimiora, nitidiora, jucundiora, vocaliora: nam, ut syllabæ e literis melius sonantibus clariores sunt, ita verba e syllabis magis vocalia; et quo plus quæque spiritus habet, auditu pulchrior: et, quod facit syllabarum, idem verborum quoque inter se copulatio; ut aliud alii junctum melius sonet: diversus est tamen usus; nam rebus atrocibus verba etiam ipso auditu aspera magis convenient. In universum quidem, optima simplicium creduntur, quæ aut maxime exclamant, aut sono sunt jucundissima: et honesta quidem turpibus potiora semper; nec sordidis unquam in oratione erudita locus: clara illa atque sublimia plerumque materiæ modo cernenda sunt: quod enim alibi magnificentum, tumidum alibi; et, quæ humilia circa res magnas, apta circa minores videntur: et, sicut in oratione nitida notabile est humilius verbum, et velut macula, ita a sermone tenui sublime nitidumque discordat, fitque corruptum, quia in plano tumet. Quædam non tam ratione quam sensu judicantur, ut illud,

— *Cæsa jungebant fœdera porca,*

fecit elegans, fictio nominis: quod si fuisset *porco*, vile

(1) De qua utrinque constat, &c. Gesner. Vid. pp. 104—110. O.

(2) *Redhibitio* est ex ædilitio edicto, si ovis tibi vendidit servum vitiosum, aut morbosum, petisque ut tibi pretium reddat, et sciam *recipiat*. Turn. *Redhibere*, quasi re-habere, in LL. antiq. O.

erat. In quibusdam ratio manifesta est: risimus, et merito, nuper poetam, qui dixerat,

Prætextam in cista mures rosere Camilli:

at Virgiliti miramur illud,—*Sæpe exiguus mus:* nam epitheton *exiguus*, aptum, proprium, effecit ne plus expectaremus; et casus singularis magis decuit; et clausula ipsa unius syllabæ, non usitata, addidit gratiam: imitatus est itaque utrinque Horatius,

———— *Nascetur ridiculus mus*

Nec augenda semper oratio, sed submittenda nonnunquam est. Vim rebus aliquando et ipsa verborum humilitas affert. An, cum dicit in Pisonem Cicero, *cum tibi tota cognatio in sarruco advehatur*, incidisse videtur in sordidum nomen, non eo contemptum hominis, quem destructum volebat, auxisse? . . Cum sint autem verba propria, ficta, translata, *propriis* dignitatem dat antiquitas: namque et sanctiorem et magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat usus: eoque ornamento accerrimi iudicii P. Virgilius unice est usus: *olli* enim, et *quianam*, et (1) *mi*, et *pone*, pellucunt, et aspergunt illam, quæ etiam in picturis est gratissima, vetustatis inimitabilem arti auctoritatem. Sed utendum modo, nec ex ultimis tenebris repetenda. *Satis*, est vetus: quid necesse est, quæso, dicere, *oppido*? quo sunt usi paululum tempore nostro superiores: vereor ut jam nos ferat quisquam; certe *antigerio*, cujus eadem significatio est, nemo nisi ambitiosus utetur: (2) *arumnas*, quid opus est? tanquam parum sit si dicatur *labor*: horridum, *reor*; tolerabile, *autumo*; tragicum, *Prolem ducentam*; *Universam ejus prosapiam*, insulsum. Quid multa? totus prope mutatus est sermo: quædam tamen adhuc vetera vetustate ipsa gratius nitent; quædam etiam necessario interim sumuntur: *nuncupare*, *effari*, et multa alia, etiam audientibus grata, inseri possunt, sed ita demum, si non appareat affectatio. . *Fingere*, ut (3) primo

(1) *Mi* pro mihi, l. 6. *Æn.* v. 104. *Pone* præpositio antiqua, pro *post*. *Pone nos recede*, Plaut. sed apud Virgilium hoc sensu non occurrit. *Pone*, adverbium, pro *retro*, non inusitatum. *R.* Pro *mi* quidam leg. *mis*. *O.*

(2) A labore distant *arumnæ* unde hæc *ægritudo laboriosa* definitur a Tullio l. 4. *Tusc.* n. 18. Vide etiam l. 2. de *suibus* n. 118, sæpius hæc vox a Tullio adhibetur.

(3) Fabius lib. 1. sic de fictis verbis; quem nos locum omisimus; *Audendum tamen; namque, ut Cicero ait, etiam quæ primo dura visa sunt, usu molliuntur.* Sed minime nobis concessa est *ὀνομαστοποιία*. Quis enim ferat si quid simile illis merito laudatis, *λίγξε βίος, δ'ε. σίξει ὀφθαλμὸς*, *ingere audeamus!* *Jan* ne balare quidem aut hinnire fortiter dicere, nisi iudicio vetustatis nitentur.

libro dixi, Græcis magis concessum est, qui sonis etiam quibusdam et affectibus non dubitaverunt nomina aptare; non alia libertate, quam qua illi primi homines rebus appellationes dederunt: nostri autem, in jungendo aut derivando paulum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur; nam memini juvenis admodum inter Pomponium et Senecam etiam præfationibus esse tractatum, an *gradus eliminat* apud Accium in tragœdia dici oportuisset: at veteres ne *expectorat* quidem timuerunt: et sane ejusdem notæ est, *exanimat*. At in tractu et declinatione talia sunt, qualia apud Ciceronem *beatitas* et *beatitudo*; quæ dura quidem sentit esse, verumtamen usu putat posse moliri. Nec a verbis modo, sed a nominibus quoque derivata sunt quædam, ut a Cicerone (1) *Sullaturit*, et ab Asinio *Fimbriatum*, et *fibulatum*. Multa ex Græco formata nova, ac plurima a Sergio, Flavioque, quorum dura quædam: quemadmodum videntur utique *ens* et *essentia*; quæ cur tantopere aspernemur, nihil video, nisi quod (2) iniqui iudices adversus nos sumus; ideoque paupertate sermonis laboramus. Quædam tamen perdurant: nam et quæ vetera nunc sunt, fuerunt olim nova, et quædam in usu perquam recentia; ut, Messala primus *reatum*, *munerarium* Augustus primus, dixerat: *piraticam* quoque, ut *musicam*, et *fabricam*, dicere adhuc dubitabant mei præceptores: *favorem*, et *urbanum*, Cicero nova credit; nam et in epistola ad Brutum, *Eum*, inquit, *amorem*, et *eum* (ut hoc verbo utar) *favorem in consilium advocabo*: et ad Appium Pulcrum: *Te, hominem non solum sapientem, verum etiam (ut nunc loquimur) urbanum*. (3) Idem putat a Terentio primum dictum esse *obsequium*; Cæcilius a Sisenna, *albenti cælo*: *cervicem* videtur Hortensius primus dixisse; nam veteres pluraliter appellabant.

Audendum itaque: neque enim accedo Cælo, qui ab oratore verba fingi vetat: nam, cum sint eorum alia (ut dicit Cicero) *nativa*, id est, quæ significata sunt primo

(1) Ad Attic. lib. 3. ep. 12. *Sullaturit animus ejus et proscripturit*. Derivatio est a Sulla vel Sylla, qui cives Romanos *proscripsit*. Turn. In hoc loco constituendo G. Jens. et optimum quemque librum sequimur, O.

(2) *Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!* Hor. *Propter egestatem linguæ*, &c. Lucret. O.

(3) Nec tamen hoc verum est: nam usurpatum fuerit *obsequium* a Plauto et Nærio ante Terentium; idcirco Fabius adjecit, *putat*. Turn. Vid. Gesu. not. Quæ autem sequuntur, ita legenda et interpretanda videntur; *Cæcilius* putat a *Sisenna* primum dictum esse, *albenti cælo*. Vide quæ ad hunc locum somniarunt viri doctissimi. Nos Goth. et al. fide nitimur, O.

sensu, alia *reperta*, quæ ex his facta sunt, ut jam nobis ponere alia, quam quæ illi rudes homines primique fecerunt, fas non sit, ita derivare, flectere, conjungere, quod natis postea concessum est, quando desiit licere? Et, si quid periculosius sinxisse videbimur, quibusdam remediis præmuniendum est: *Ut ita dicam*; *Si licet dicere*; *Quodammodo*; *Permittite mihi*: (1) sicuti quidem et in iis, quæ licentius translata erunt, proderit, quæ non tuto dici possunt. In quo non falli iudicium nostrum, sollicitudine ipsa manifestum erit: qua de re Græcum erit illud elegantissimum, quo præcipitur ita, (2) *προσπειρήσειν τῇ ὑπερβολῇ.*

Translata probari nisi in contextu sermonis non possunt. Itaque de *singulis* verbis satis dictum: quæ per se nullam virtutem habent: sed ne inornata sunt quidem, nisi cum sunt infra rei, de qua loquendum est, dignitatem; excepto, si obscena nudis nominibus enunciantur: quod viderint, qui non putant esse vitanda, quia nec sit vox ulla natura turpis; et, si qua est rei deformitas, alia quoque appellatione quacumque ad intellectum eundem nihilominus perveniatur: ego Romani pudoris more contentus, ut jam respondi talibus, verecundiam silentio vindicabo.

Jam hinc igitur ad *conjecti* sermonis rationem transeamus: cujus ornatus in hæc duo prima dividitur, Quam concipiamus elocutionem, Quo modo efferamus: nam *primum* est, ut liqueat, augere quid velimus, an minuerem; concitate dicere, an moderate; lete, an severe; abundanter, an presse; aspere, an leniter; magnifice, an subtiliter; graviter, an urbane: *tum*, quo translationis genere, quibus figuris, qualibus sententiis, quo modo, qua postremo collocatione, id, quod intendimus, efficere possimus. Cæterum, dicturus quibus ornetur oratio, prius ea, quæ sunt *huic contraria laudi*, attingam: nam prima virtus est, (3) *vitio carere*. Igitur, ante omnia, ne speremus ornatam orationem fore, quæ probabilis non erit: *probabile* autem Cicero id genus dicit, quod non plus minusve est quam decet: non quia comi expoliri non debeat, (nam et hæc ornatus pars est) sed quia vitium est ubique quod nimium est: itaque vult esse auctoritatem et pondus in verbis: sententias vel graves, vel aptas

(1) Hanc lectionem ex codice Dorvilliano potissimum desumsimus; sed vix quidquam mutavimus, nisi corruptissimam distinguendi rationem, ut sæpe alias. O.

(2) Id est, præmunire hyperbolen, eique veniam deprecari velut præveniundo castigationem et reprehensionem. Ex Arist. Rhet. lib. 3.

(3) *Virtus est, vitium fugere*, &c. Hor. Epist. I. 1, 41. O.

Opinionibus hominum ac moribus: his enim salvis licet assumere ea, quibus illustrem fieri orationem putat, *delecta, translata, superlata, ad nomen adjuncta, duplicata, et idem significantia, ab ipsa actione atque ab imitatione rerum non abhorrentia*. Sed, quoniam vitia prius demonstrare aggressi sumus, vel hoc vitium sit, quod κακῶ-φατον vocatur: sive mala consuetudine in obscœnum intellectum sermo detortus est . . sive junctura deformiter sonat. . *Deformitati* proximum est *humilitatis* vitium; ταπεινωσις vocant; qua rei magnitudo vel dignitas minuitur: ut, *Saxea est verruca in summo montis vertice*: cui natura contrarium, sed errore par est, parvis dare excedentia modum nomina, nisi cum ex industria risus inde captatur: itaque nec parricidam, *nequam* dixeris hominem, nec deditum forte meretrici, *nefarium*; quod alterum parum, alterum nimium est. Proinde quædam hebes, sordida, jejuna, tristis, ingrata, vilis oratio est: quæ vitia facillime fiunt manifesta contrariis virtutibus; nam primum acuto, secundum nitido, tertium copioso, deinceps hilari, jucundo, accurato diversum est. Vitanda et μείωσις, cum sermoni quidem deest aliquid, quo minus plenus sit, quanquam id obscuræ potius quam inornatæ orationis vitium est: sed hoc quoque, cum a prudentibus fit, schema dici solet: sicut ταυτολογία, id est, ejusdem verbi aut sermonis iteratio; hæc enim, quanquam non magnopere summis auctoribus vitata, interim vitium videri potest; in quod sæpe incidit etiam Cicero, securus tam parvæ observationis, sicut hoc loco, *Non solum igitur illud judicium judicii simile, judices, non fuit*. . Pejor hæc ὁμοιολογία est, quæ nulla varietatis gratia levat tædium, atque est tota coloris unius; quæ maxime deprehenditur, carens arte oratoria; eaque, et in sententiis, et figuris, et compositione longa, non animis solum, sed etiam auribus est ingratisissima. Vitanda μακρολογία, id est, longior quam oporteat sermo; ut apud Livium, *Legati, non impetrata pace, retro domum, unde venerant, abierunt*: sed huic vicina periphrasis virtus habetur. Est et πλεονασμὸς vitium, cum supervacuis verbis oneratur oratio: *Ego meis oculis vidi*: satis est enim, *vidi*. Emendavit hoc non inurbane in Hirtio Cicero, qui, cum in Pansam declamans, Filium a matre decem mensibus in utero latum esse dixisset, *Quid? aliæ, inquit, in penula solent ferre?* Nonnunquam tamen illud genus, cujus exemplum priore loco posui, affirmationis gratia adhibetur,

— Vocemque his auribus hausi.

At vitium erit, quoties otiosum fuerit, et supererit; (1) non cum adjicietur. Est etiam, quæ (2) περιεργία vocatur, supervacua (ut sic dixerim) operositas; ut a diligenti curiosus, et a religione superstitione distat: atque, ut semel finiam, verbum omne quod neque intellectum adjuvat, neque ornatum, *vitiosum* dici potest. Κακόζηλον, id est, mala affectatio, per omne dicendi genus peccat: nam et tumida, et exilia, et prædulcia, et abundantia, et arcessita, et exultantia, sub idem nomen cadunt: denique, κακόζηλον vocatur, quicquid est ultra virtutem, quoties ingenium judicio caret, et specie boni fallitur; omnium in eloquentia vitiorum pessimum. Nam cætera parum vitantur; hoc petitur. Est autem totum in *elocutione*: nam *rerum vitia* sunt, stultum, commune, contrarium, supervacuum; *corrupta oratio* in verbis maxime impropriis, redundantibus, comprehensione obscura, compositione fracta, vocum similibus aut ambiguarum puerili captatione, consistit. Est autem omne κακόζηλον utique falsum, etiamsi non omne falsum κακόζηλον, ut cum dicitur aliter quam se natura habet, et quam oportet, et quam sat est. Totidem autem generibus corrumpitur oratio, quot ornatur: sed de hac parte et in alio a nobis opere plenius dictum est, et in hoc sæpe tractatur, et adhuc spargetur omnibus locis: loquentes enim de ornatu, subinde quæ sunt vitanda, similia virtutibus vitia, dicemus. Sunt inornata et hæc; quod male dispositum est, ἀνοικονόμητον quod male figuratum, ἀσχήμαλον quod male collocatum, κακοσύνδετον vocant. Κοιμισμὸς quoque appellatur quædam mixta ex varia ratione linguarum oratio. (3) Ornatum est, quod perspicuo ac probabili plus est, et in eo, quod velis exprimi decentius, hæc nitidiora facit; quod proprie dixeris *cultum*. Itaque ἐνέργειαν, cujus in præceptis narrationis feci mentionem, quia plus est *evidentia*, vel (ut alia dicunt) *representatio*, quam perspicuitas, et illud quidem patet, hoc se quodammodo ostendit, inter ornamenta ponamus. Magna virtus est, res, de quibus loquimur, clare, atque ut cerni videantur, enuntiare: non enim satis efficit, neque, ut debet, plene dominatur oratio, si usque ad aures volet,

(1) Non erit vitium, cum adjicietur ex industria.

(2) Περιεργία tam est in rebus quam in verbis. Fit autem cum nimia diligentia utimur: inde enim vel addendo, vel detrahendo, aut nimium excolendo, aut sæpius mutando, orationem vitiamus, et reddimus inornatam. T.

(3) Oratio potest esse perspicua, et probabilis, id est nihil habere plus minusve quam decet, ut ex Cicerone paulo ante definitur, necdum esse ornata: id, quod duabus hisce virtutibus adjicitur, efficit ornatum. R. Hunc locum fide MSS. et optt. edd. restituimus. O.

atque ea sibi iudex, de quibus cognoscit, narrari credit, non exprimi, et (1) oculis mentis ostendi. Sed, quoniam pluribus modis accipi solet, non equidem in omnes eam particulas secabo, quarum ambitiose a quibusdam numerus augetur, sed maxime necessarias attingam. Est igitur unum genus, quo *tota rerum imago* quodammodo verbis depingitur;

Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,

et cætera; quæ nobis illam pugilum congregantium faciem ita ostendunt, ut non clarior futura fuerit spectantibus. Plurimum in hoc genere, sicut in cæteris, eminet Cicero. An quisquam tam procul a concipiendis imaginibus rerum abest, ut, cum illa in Verrem legit, *Stetit soleatus prætor populi Romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in littore*, non solum ipsum os intueri videatur, et locum, et habitum, sed quædam etiam ex iis, quæ dicta non sunt, sibi ipse adstruat? Ego certe mihi cernere videor et vultum, et oculos, et deformes utriusque blanditias, et eorum qui aderant tacitam aversionem, ac timidam verecundiam. Interim ex pluribus efficitur illa quam conamur exprimere facies, ut est apud eundem (namque ad omnium ornandi virtutum exempla vel unus sufficit) in descriptione convivii luxuriosi: *Videbar videre alios intrantes, a iis vero exeuntes; quosdam ex vino vacillantes, quosdam hesternæ potatione oscitantes. Versabatur inter hos Gallius, arguentis oblitus, redimitus coronis. Humus erat immunda, lutulenta vino; coronis languidulis, et spinis cooperta piscium: quid plus videret qui intrasset?* Sic urbium captarum crescit miseratio. Sine dubio enim, qui dicit *expugnatam* esse civitatem, complectitur omnia quæcunque talis fortuna recipit; sed in affectus minus penetrat brevis hic velut nuntius. At, si aperias hæc quæ verbo uno inclusa erant, apparebunt effusæ per domos ac templa flammæ; et ruentium tectorum fragor; et ex diversis clamoribus unus quidam sonus: aliorum fuga incerta; alii in extremo complexu suorum cohærentes: et infantium feminarumque ploratus; et male in illum usque diem servati fato senes: tum illa profanorum sacrorumque direptio; effrentium prædas repetentiumque discursus; et acti ante suum quisque prædonem catenati; et conata retinere in-

(1) Vid. quæ jam præceperat Aristoteles *περι ἐναργείας*, sive *περι του περι ὀμμάτων τινισθαι*, in libro tertio *περι Ρητορικης*. O.

fantem suum mater; et, sicubi majus lucrum est, pugna inter victores. Licet enim hæc omnia, ut dixi, complectatur *eversio*, minus est tamen totum dicere, quam omnia. Consequemur autem ut manifesta sint, si fuerint *veri similia*: et licebit etiam falso adfingere quidquid fieri solet. Contingit eadem claritas etiam ex *accidentibus*,

————— *Mihi frigidus horror*
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis: et,
 ——— *Trepidæ matres pressere ad pectora natos.*

Atque hujus summæ, judicio quidem meo, virtutis facilima est via: Naturam intueamur, hanc sequamur: omnis eloquentia circa opera vitæ est; ad se refert quisque quæ audit; et id facillime accipiunt aivini, quod agnoscunt. Præclaræ vero ad inferendum rebus lucem repertæ sunt *similitudines*: quarum aliæ sunt quæ probationis gratia inter argumenta ponuntur; aliæ ad exprimendam rerum imaginem compositæ, quod est hujus loci proprium:

————— *Inde lupi ceu*
Raptores atra in nebula:—et,

Misit, avi similis, quæ circum littora, circum
Piscoscos scopulos, humilis volat æquora juxta.

Quo in genere id est præcipue custodiendum, ne id, quod similitudinis gratia ascivimus, aut obscurum sit, aut ignotum: debet enim, quod illustrandæ alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo quod illuminat. Quare sane poetis quidem permittamus hujusmodi exempla:

Qualis, ubi hybernæ Lyciam Xanthique fluentæ
Deserit, aut Delon maternam invisit, Apollo:

non idem decebit oratorem, ut occultis aperta demonstret. Sed illud quoque, de quo in argumentis diximus, similitudinis genus orationem, facitque sublimem, floridam, jucundam, mirabilem: nam quo quæque longius petita est, hoc plus affert novitatis, atque inexpectata magis est. Illa vulgaria videri possunt, et utilia tamen ad conciliandum fidem, *Ut terram culta, sic animum disciplinis meliorem uberiolemque fieri*: et, *Ut medici abalienata morbis membra præcidunt, ita turpes ac perniciosos, etiam si nobis sanguine cohæreant, amputandos*. Jam sub-

limius illud pro Archia, *Saxa atque solitudines vori respondent, bestiae saepe immanes cantu spectantur atque consistunt*, et cætera: quod quidem genus a quibusdam declamatoria maxime licentia corruptum est: nam et falsis utuntur; nec illa iis, quibus tandem similia videri volunt, applicant: quorum utrumque in iis est, quæ me juvene ubique cantare solebant, *Magnorum fluminum navigabiles fontes sunt*: et, *Generocoris arboris statim planta cum fructu est*. In omni autem parabola, aut præcedit similitudo et res sequitur, aut præcedit res et similitudo sequitur. Sed interim libera et separata est; interim, quod longe optimum est, cum re, cujus est imago, connectitur, collatione invicem respondente; quod facit *redditio contraria*, quæ *ἑνταπόδοσις* dicitur. *Præcedit* similitudo illa, cujus modo feci mentionem,

— *Inde lupi ceu
Raptores atra in nebula:—*

sequitur in primo Georgicon, post longam de bellis civilibus atque externis conquestionem,

*Ut, cum carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia; et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.*

Sed hæc sunt sine antapodosi. *Redditio* autem illa rem utramque, quam comparat, velut subjicit oculis, et pariter ostendit: cujus præclara apud Virgilium multa reperio exempla; sed oratoriis potius utendum est. Dicit Cicero pro Muræna, *Ut aiunt in Græcis artificibus eos aulædos esse, qui citharædi fieri non potuerunt; sic nos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris studium devenire*. Illud pro eodem, jam pene poetico spiritu, sed tamen cum sua redditione, quod est ad ornatum accommodatius: *Nam ut tempestates saepe certo aliquo cæli signo commoventur, saepe improvise, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa concitantur; sic in hac comitiorum tempestate populari saepe intelligas, quo signo commota sit, saepe ita obscura est, ut casu excitata esse videatur*. Sunt et illæ breves, *Vagique per sylvas ritu ferarum*: et illud Ciceronis in Clodium, *Quo ex judicio, velut ex incendio, nudus effugit*: quibus similia possunt cuicumque, etiam ex quotidiano sermone, succurrere. Huic subjacet virtus non solum aperte ponendi rem ante oculos, sed *circumcise* atque *velociter*. Ac

merito laudatur brevitās integra; sed ea minus præstat quoties nihil dicit nisi quod necesse est: βραχυλογία vocant; quæ reddetur inter schemata: est vero pulcherrima, cum plura paucis complectimur, quale illud Sallustii est, *Mithridates corpore ingenti perinde armatus*: hoc male imitantes sequitur obscuritas. Vicina prædictæ sed amplior virtus est ἔμφασις, altiozem præbens intellectum quam quem verba per se ipsa declarant. Ejus duæ sunt species: altera, quæ plus significat quam dicit; altera, quæ etiam id quod non dicit. Prior est et apud Homerum, cum (1) Menelaus Graios in equo descendisse dicit; nam verbo uno magnitudinem ejus ostendit; et apud Virgilium,

Demissum lapsi per funem—

nam sic quoque altitudo demonstrata est. Idem Cyclopa cum jacuisse dicit *per antrum*, prodigiosum illud corpus spatio loci mensus est. Sequens posita est in voce aut omnino suppressa, aut etiam abscissa: *supprimitur* vox, ut fecit pro Ligario Cicero; *Quod si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te, inquam, obtines—intelligo quid loquar*: tacuit enim illud, quod nihilominus accipimus, non deesse homines qui ad crudelitatem eum impellerent: *abscinditur* per ἀποσιώπησιν, quæ, quoniam est figura, reddetur suo loco. Est in vulgaribus quoque verbis emphasis, *Virum esse oportet*: et, *Homo est ille*: et, *Vivendum est*: adeo similis est arti plerumque natura. Non tamen satis eloquentiæ est, ea de quibus dicat clare atque evidentem ostendere; sed sunt multi ac varii excolendæ orationis modi: nam et ipsa illa ἀφείδεια simplex et inaffectedata habet quendam purum, qualis etiam in feminis amatur, ornatum; et sunt quædam velut e tenui diligentia circa proprietatem significationemque munditiæ: alia copia locupes, alia floribus læta. Virium non unum genus: nam quidquid in suo genere satis effectum est, valet. Præcipua tamen ejus opera δέυνωσις in *exaggeranda indignitate*; et in ceteris altitudo quædam; φαντασία in *concupiendis visionibus*; ἐξεργασία in *efficiendo* velut opere proposito; cui adjicitur ἐπεξεργασία, *repetitiq̄ probationis* ejusdem, et cumulus ex abundantia. Ἐνέργεια confinis his est, ab *agendo* ducta, et cujus propria sit virtus, non esse, quæ dicuntur, otiosa. Est et *amarum*

(1) Memoria lapsus est Fabius hoc loco: *Ulysses* enim hoc dicit, Od. λ, 522, Ἄνταρ δὲ εἰς ἵππον κατεβαινομεν, κ. τ. λ. Porro descendisse optime restituit e Goth. Jens. aliisque Gesnerus, q. vid. Al. perperam *sedisse*, ex compendio *desēdisse*. Porro, *descendisse* quoque Dorvill. O.

quiddam, quod fere in contumelia est positum, quale est Cassii, *Quid facies, cum in bona tua invasero? hoc est, cum te docuero nescire maledicere? Et acre, ut illud Crassi, Ego te consulem cum putem, tu me non putes senatorem.* Sed vis oratoris omnis in augendo minuendoque consistit; utrique parti totidem modi, ex quibus præcipuos attingemus; reliqui similes erunt; sunt autem positi in rebus, et verbis: sed, quæ sit rerum inventio ac ratio, tractavimus; nunc, quid elocutio attollat aut deprimat, dicendum.

IV. PRIMA est igitur *amplificandi vel minuendi* species in ipso rei nomine; ut cum eum, qui sit cæsus, occisum; eum, qui sit improbus, latronem; contraque, eum, qui pulsavit, attigisse; qui vulneravit, læsisse dicimus: utriusque pariter exemplum est pro M. Cœlio, *Si vidua libere, proterva petulanter, dives effuse, libidinosa meretricio moxè viperet, adulterum ego putarem, si quis hanc paulo liberius salutasset?* nam et impudicam, meretricem vocavit, et eum, cui longior cum illa fuerat usus, liberius salutasse. Hoc genus increscit, ac fit manifestius, si ampliora verba cum ipsis nominibus, pro quibus ea posituri sumus, conferantur; ut Cicero in Verrem, *Non enim furem, sed raptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae; non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionumque; non sicurium, sed crudelissimum carnificem civium sociorumque, in vestrum iudicium adduximus:* illo enim modo, ut sit multum, hoc etiam, plus ut sit, efficitur. Quatuor tamen maxime generibus video constare amplificationem, *incremento, comparatione, ratiocinatione, congerie.*

Incrementum est potentissimum, cum magna videntur etiam quæ inferiora sunt; id autem uno gradu fit, aut pluribus. Per id venit non modo ad summum, sed interim quodammodo supra summum. Omnibus his sufficit vel unum Ciceronis exemplum, *Facinus est vincire civem Romanum; scelus verberare; prope parricidium necare; quid dicam in crucem tollere?* nam et, si tantum verberatus esset, uno gradu increverat, ponendo etiam id esse facinus, quod erat inferius; et, si tantum occisus esset, per plures gradus ascenderat: cum vero dixerit, *prope parricidium necare*, supra quod nihil est, adjecit, *quid dicam in crucem tollere?* ita, cum id quod maximum est occupasset, necesse erat in eo quod ultra est verba deficere. Fit et aliter supra summum adjectio; ut apud Virgilium de Lauso,

— Quo pulcrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni:

summum est enim, *Quo pulcrior alter Non fuit*:—huic deinde aliquid *supra* positum est: tertius quoque est modus, ad quem non per gradus itur, ut quod non est plus quam maximum, sed quo nihil majus est: *Matrem tuam occidisti*:—*quid dicam amplius?*—*matrem tuam occidisti*: nam et hoc augendi genus est, tantum aliquid efficere, ut non possit augeri. Crescit oratio minus aperte, sed nescio an hoc ipso efficacius, cum citra distinctionem in contextu et cursu semper aliquid priore majus insequitur; ut de vomitu in Antonium Cicero, *In cætu vero populi Romani negotium publicum gerens magister equitum*: singula incrementum habent: per se deforme, vel non in cætu, vomere; in cætu etiam, non populi; populi etiam, non Romani; vel, si nullum negotium ageret; vel, si non publicum; vel, si non magister equitum: sed alius divideret hæc, et circa singulos gradus moraretur; hic in sublime etiam currit, et ad summum pervenit non nixu, sed impetu.

Verum ut hæc amplificatio in superiora tendit, ita quæ fit per comparationem incrementum ex minoribus petit: augendo enim quod est infra, necesse est extollat id quod supra positum est; ut idem, atque in eodem loco, *Si hoc tibi inter cænam et in illis immanibus poculis tuis accidisset, quis non turpe duceret? in cætu vero populi Romani*—et in Catilinam, *Servi mehercle mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem*. Interim, proposito velut simili exemplo efficiendum est, ut sit majus id quod a nobis exaggerandum est; ut idem pro Cluentio, cum exposuisset Miliesiam quandam a secundis hæredibus pro abortu pecuniam accepisse,—Quanto est, inquit, Oppianicus in eadem injuria majore supplicio dignus? siquidem illa, cum suo corpori vim attulisset, se ipsa cruciavit; hic autem idem illud effecit per alieni corporis vim atque cruciatum.—Nec putet quisquam hoc, quanquam est simile illi ex argumentis loco, quo majora ex minoribus colliguntur, idem esse: illic enim probatio petitur, hic amplificatio; sicut in Oppianico non id agitur in illa comparatione, ut ille male fecerit, sed ut pejus: est tamen quanquam diversarum rerum quædam vicinia. Repetam igitur hic quoque idem, quo sum illic usus, exemplum, sed non in eundem usum: nam hoc mihi ostendendum est, augendi gratia non tota modo totis, sed etiam partes partibus, comparari; sicut hoc loco, —*Au vero vir amplissimus P. Scipio, pontifex maximus, Tiberium Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicæ, privatus interfecit; Catilinam, orbem terrarum cæde atque incendio vastare cupientem,*

nos consules perferemus?—hic et Catilina Graccho, et status reipublicæ orbi terrarum, et mediocris labefactatio cædi et incendiis et vastationi, et privatus consulibus comparatur; quæ si quis dilatare velit, plenos singula locos habent.

Quas dixi per ratiocinationem fieri amplificationes, videamus, an satis proprio verbo significaverim: nec sum in hoc sollicitus, dum res ipsa volentibus discere appareat; hoc sum tamen secutus, quod hæc amplificatio alibi posita est, alibi valet: et, ut aliud crescat, aliud augetur; inde ad id, quod extolli volumus, ratione ducitur. Objecturus Antonio Cicerone merum et vomitum,—Tu, inquit, istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate—quid fauces et latera ad ebrietatem? minime sunt otiosa: nam, respicientes ad hæc, possumus æstimare, quantum ille vini in Hippia nuptiis exhausit, quod ferre et coquere non posset illa gladiatoria corporis firmitate. Ergo, si ex alio colligitur aliud, nec improprium nec inusitatum nomen est (1) ratiocinationis. Sic et ex insequentibus amplificatio ducitur: siquidem tanta vis fuit vini erumpentis, ut non casum afferret aut voluntatem, sed necessitatem, ubi minime deceret, vomendi; et cibus non recens, ut accidere interim solet, redderetur, sed qui usque in posterum diem redundaret. Idem hoc præstant quæ antecesserunt: nam cum Æolus, a Junone rogatus,

—*Cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus, ac venti velut agmine factq
Qua data porta ruunt,—*

apparet, quanta sit futura tempestas. Quid? cum res atrocissimas, quasque in summam ipsi extulimus invidiam, elevamus consulto, quo graviora videantur quæ secuntur sunt, ut a Cicerone factum est, cum illa diceret,—Levia sunt hæc in hoc reo: metum virgarum navarchus nobilissimæ civitatis pretio redemit; humanum est: alius, ne securi feriretur, pecuniam dedit: usitatum est:—nonne usus est ratiocinatione, qua colligerent audientes, quantum illud esset quod inferebatur, cui comparata hæc humana viderentur, atque usitata? Sic quoque solet ex alio aliud augeri, ut cum Annibalis bellicis laudibus amplia-

(1) Id Græce melius dicitur συλλογισμος, quo sive in Πητορικη, sive in Διαλεκτικη, aliud ex alio colligitur, nempe συλλογίζεται. Cæterum, paupertas Latini sermonis vel ex hoc loco Quintiliani patet. Videamus, an satis proprio verbo significaverim, &c. Ita enim leg. ex Goth. Jens. &c. Al. signaverim; ex compendio, ut videtur. O.

tur virtus Scipionis: et fortitudinem Gallorum Germanorumque miramur, quo sit major C. Cæsaris gloria. Illud quoque est ex relatione ad aliquid, quod non ejus rei gratia dictum videtur, amplificationis genus: non potant indignum Trojani principes, Graios Trojanosque propter Helenæ speciem tot mala tanto temporis spatio sustinere! quænam igitur illa forma credenda est? non enim hoc dicit Paris, qui rapuit; non aliquis juvenis; non unus vulgo; sed senes, et prudentissimi, et Priamo assidentes: verum et ipse rex, decenni bello exhaustus, amissis tot liberis, imminente summo discrimine, cui faciem illam, ex qua tot lacrymarum origo fluxisset, invisam atque abominandam esse oportebat, et audit hæc, et eam filiam appellans juxta se locat, et excusat etiam, atque sibi esse malorum causam negat. . Quin ex instrumento quoque heroum illorum magnitudo æstimanda nobis datur: ad hoc pertinet clypeus Ajacis, et hasta Pelias Achilles: qua virtute egregie est usus in Cyclope Virgilius; nam quod illud corpus mente concipiam, cujus

Trunca manum pinus regit?—

Quid? cum vix lorica duo multiplicem connixi humeris ferrent, quantus Demoleos, qui, indutus eam,

— Cursu palantes Troas agebat?

Quid M. Tullius de M. Antonii luxuria tantum fingere saltem potuisset, quantum ostendit dicendo,—Conchyliatis Cn. Pompeii peristromatis servorum in cellis stratos lectos videres?—Conchyliata peristromata, et, Cn. Pompeii, et, in cellis servorum!—nihil potest dici ultra: et necesse est tamen infinito plus in domino cogitare. Est hoc simile illi quod ἔμφρασις dicitur; sed illa ex verbo, hoc ex re conjecturam facit, tantoque plus valet, quanto res ipsa verbis est firmior.

Potest adscribi amplificationi congeries quoque verborum ac sententiarum idem significantium; nam, etiam si non per gradus ascendant, tamen velut acervo quodam allevantur:—Quid enim tuus ille, Tubero, dstrictus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?—Simile est hoc figuræ quam συναδρασμὸν vocant; sed illic plurium rerum est congeries, hic unius multiplicatio. Hæc etiam crescere solet verbis omnibus altius

atque altius insurgentibus:—Aderat janitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorque sciorum et civium Romanorum, licitor Sextius.

Eadem fere est ratio minuendi: nam totidem sunt (1) descendentes, quot ascendentes, gradus: ideoque uno ero exemplo contentus ejus loci, quo Cicero de oratione Rulli hæc dicit:—Pauci tamen, qui proximi adstiterant, nescio quid illum de lege Agraria voluisse dicere suspicabantur:—quod si ad intellectum referas, minutio est: si ad obscuritatem, incrementum.

Scio posse videri quibusdam speciem amplificationis hyperbolen quoque; nam et hæc in utramque partem valet; sed, quia (2) excedit hoc nomen, in tropos differenda est: quos continuo subjungerem, nisi esset a cæteris separata ratio dicendi, quæ constat non propriis, sed translatis: demus ergo breviter hoc desiderio jam pene publico; ne omittamus eum, quem plerique præcipuum ac pene solum putant, orationis ornatum.

V. SENTENTIAM veteres quod animo sensissent vocaverunt: id, cum est apud oratores frequentissimum, tum etiam in usu quotidiano quasdam reliquias habet; nam et juraturi ex animi nostri sententia, et gratulantes ex sententia dicimus: non raro tamen et sic locuti sunt, ut sensa sua dicerent; nam sensus corporis videbantur. Sed consuetudo jam tenuit, ut mente concepta sensus vocaremus; lumina autem, præcipueque in clausulis posita, sententias: quæ, minus crebra apud antiquos, nostris temporibus modo carent; ideoque mihi, et de generibus earum, et de usu, arbitror pauca dicenda. Antiquissimæ sunt, quæ proprie, quamvis omnibus idem sit nomen, sententiæ vocantur; quas Græci γνώμας appellant: utrumque autem nomen ex eo acceperunt, quod similes sunt consiliis aut decretis. Est autem hæc vox universalis, quæ etiam citra complexum causæ possit esse laudabilis, interim ad rem tantum relata, ut,—Nihil est tam popolare quam bonitas,—interim ad personam, quale est Africani Domitii,—Princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.—Hanc quidam partem enthymematis, quidam initium aut clausulam epichirematis, esse dixe-

(1) Miror Gesnero aliisque, quod sciam, omnibus placuisse videri illam verborum transpositionem, *totidem* ascendentes quot descendentes, &c.; aut enim leg. *idem* s. descend. et ascend. aut ordo verborum restituendus, qualem reponere ausi sumus. O.

(2) *Hyperbolen*, quia excedit nomen *amplificationis*, in tropos distulit Fabius, et ad finem c. 6. hujusce libri, quasi audacioris ornatus, summo loco posuit. Hæc perperam omnino interpretatus est Rollinus, ductus fortasse importuna illa sententiarum, male interpungendo, distractione. O.

runt: et est aliquando; non tamen semper: illud verius, esse eam aliquando simplicem, ut ea quam supra dixi, aliquando ratione subjecta,—Nam in omni certamine, qui opulentior est, etiam si accipit injuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur,—nonnunquam duplicem,—Obsequium amicos, veritas odium parit. . Illud notabile ex diversis,—Mors misera non est, aditus ad mortem miser est:—ac rectæ quidem sunt tales,—Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet:—sed majorem viam accipiunt commutatione figuræ; ut,

Usque adeone mori miserum est?—

acrius enim hoc quam per se,—Mors misera non est:—et translatione a communi ad proprium: nam, cum sit rectum,—Nocere facile est, prodesse difficile,—vehementius apud Ovidium Medea dicit,

Servare potui, perdere an possim rogas?

Vertit ad personam Cicero:—Nihil habet, Cæsar, nec fortuna tua inajus quam ut possis, nec natura melius quam ut velis, servare quam plurimos:—ita, quæ erant rerum propria, fecit hominis. In hoc genere custodiendum est, quod et ubique, ne crebræ sint, ne palam falsæ, (quales frequentur ab iis dicuntur, qui hæc καθολικά vocant, et, quidquid pro causa videtur, quasi indubitatum pronuntiant) et ne passim et a quocunque dicantur: magis enim decent eos in quibus est auctoritas, ut rei pondus etiam persona confirmet: quis enim ferat puerum, aut adolescentulum, aut etiam ignobilem, si iudicet in dicendo, et quodammodo præcipiat? Enthymema quoque est omne quod mente concipimus; proprie tamen dicitur quæ est sententia ex contrariis, propterea quod eminere videtur inter cætera; ut, Homerus poeta, urbs Roma. . Et addita in clausula est, epiphonematis modo, non tam probatio quam extrema quasi insultatio: est enim epiphonema rei narratæ vel probatæ summa acclamatio:

Tantæ molis erat Romanam condere gentem! .

Est et quod appellatur a novis νόημα, qua voce omnis intellectus accipi potest: sed hoc nomine donarunt ea quæ non dicunt, verum intelligi volunt. . Vocatur aliquid et clausula; quæ, si est quod conclusionem dicimus, et recta et quibusdam in partibus necessaria est:—Quare prius de facto vestro fateamini necesse est, quam Ligarii culpam

ullam reprehendatis:—sed nunc illud volunt, ut omnis locus, omnis sensus, in fine sermonis feriat aurem; turpe autem ac prope nefas ducunt, respirare nullo loco, qui acclamationem non petierit: inde minuti corruptique sensiculi, et extra rem petiti; neque enim possunt tam multæ bonæ sententiæ esse, quam necesse est multæ sint clausulæ. . . Ad hoc, plerique minimis etiam inventiunculis gaudent, quæ excussæ risum habent, inventæ facie ingenii blandiuntur. De eo, qui naufragus, et ante agrorum sterilitate vexatus, in scholis fingitur se suspendisse,—Quem nec terra recipit, nec mare, pendeat:—huic simile in illo, cui pater sua membra laceranti venenum dedit,—Qui hæc edit, debet hoc bibere:—et in luxuriosum, qui (1) ἀποκαρτέησιν simulasse dicitur,—Necte laqueum; habes quod faucibus tuis irascaris: sume venenum; decet luxuriosum bibendo mori. —Finis non erit, si singulas corruptorum persequar formas: illud potius, quod est magis necessarium. Duæ sunt diversæ opiniones; aliorum sententias solas pene spectantium; aliorum, omnino damnantium: quorum mihi neutrum admodum placet. Densitas earum obstat invicem; ut in satis omnibus, fructibusque arborum, nihil ad justam magnitudinem adolere potest, quod loco, in quem crescat, caret: nec pictura, in qua nihil circumlitum est, eminet; ideoque artifices, etiam cum plura in unam tabulam opera contulerunt, spatiis distinguunt, ne umbræ in corpora cadant. Facit res eadem concisam quoque orationem: subsistit enim omnis sententia; ideoque post eam utique aliud est initium; unde soluta fere oratio, et e singulis non membris sed frustis collata, structura caret; cum illa rotunda et undique circumcisa insistere invicem nequeant. Præter hoc, etiam color ipse dicendi, quamlibet clarus, multis tamen ac variis velut maculis conspergitur. Porro, ut affert lumen clavus (2) purpuræ loco insertus, ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis vestis. Quare, licet hæc enitere et aliquatenus extare videantur, tamen

(1) Ἀποκαρτέησις est, ut jam ab aliis recte notatum, propositum moriendi per inediam: ἀποκαρτερεῖν enim est obdurescere, perseverare inedia, non tamen, ut Rollinus subjicit, laqueo aut veneno sibi mortem consciscere; hoc vero est illud ipsum ex diverso propositum ab eo, qui ἀποκαρτέησιν illam, quasi nimis nonestam, dehortatur; quippe qua, ut recte monet Gesnerus, Democritus, Isocrates, Atticus, alique viri magni perierunt. O.

(2) Male Gesnerus, et purpuræ, loco insertæ, ut sit ἐν δια δύοῖν pro clavus purpureus; ipso tamen non dissimulante, ut simpliciorum sic veriorum sibi videri lectionem primarum editionum, clavus purpura; h. e. linea purpurea per median in parte anteriore tunicam a summo ad imum descendens. O.

lumina illa non flammæ, sed scintillis inter fumum emicantibus, similia dixeris; quæ ne apparent quidem ubi tota lucet oratio, ut in sole sidera ipsa desinunt cerni: et, quæ crebris parvisque conatibus se attollunt, inæqualia tantum, et velut confragosa, nec admirationem consequuntur eminentium, et planorum gratiam perdunt. Hoc quoque accidit, quod solas captanti sententias, multas necesse est dicere leves, frigidas, ineptas; non enim potest esse delectus, ubi numero laboratur: itaque videas et divisionem pro sententia poni, et argumentum, si tantum in clausulæ calce pronuntietur:—Occidisti uxorem ipse adulter; non ferrem te, etiamsi repudiasses:—divisio est:—Vis scire venenum esse amatorium? viveret homo, nisi illud bibisset:—argumentum est. Nec multas plerique sententias dicunt, sed omnia tanquam sententias. Huic quibusdam contrarium studium, qui fugiunt ac reformidant omnem hanc in dicendo voluptatem, nihil probantes nisi planum et humile et sine conatu: ita, dum timent ne aliquando cadant, semper jacent. Quod autem tantum in sententia bona crimen est? non causæ prodest? non iudicem movet? non dicentem commendat? At est quoddam genus, quo veteres non utebantur:—Ad quam usque nos vocatis vetustatem? nam si ad illam extremam, multa Demosthenes, quæ ante eum nemo. Quomodo potest Ciceronem probare, qui nihil putet ex Catone Gracchisque mutandum? sed ante hos simplicior adhuc ratio loquendi fuit. Ego vero hæc lumina orationis velut oculos quosdam esse eloquentiæ credo: sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cætera membra officium suum perdant; et, si necesse sit, veterem illum horrorem dicendi malim, quam istam novam licentiam: sed patet mediâ quædam via; sicut in cultu victuque accessit aliquis citra reprehensionem nitor, quem sicut possumus adiciamus virtutibus: prius tamen sit, vitiiis carere; ne, dum volumus meliores esse veteribus, simus tantum dissimiles.

Reddam nunc quam proximam esse dixeram partem, de tropis, quos *motus* clarissimi nostrorum auctores vocant. Horum tradere præcepta et grammatici solent: sed a me, cum de illorum officio loquerer, dilata pars hæc est, quia de ornatu orationis gravior videbatur locus, et majori operi servandus.

VI. TROPUS est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio: circa quem inexplicabilis et grammaticis inter ipsos, et philosophis pugna est; quæ sint genera, quæ species, qui numerus, quis

cui subjiciatur: nos, omissis quæ nihil ad instituendum oratorem pertinent cavillationibus, necessarios maxime atque in usum receptos exequemur: hoc modo in his annotasse contenti, quosdam gratia significationis, quosdam decoris assumi; et esse alios in verbis propriis, alios in translatis; vertique formas non verborum modo, sed et sensuum, et compositionis: quare mihi videntur errasse, qui non alios crediderunt tropos, quam in quibus verbum pro verbo poneretur: neque illud ignoro, in iisdem fere, qui significandi gratia adhibentur, esse et ornatum: sed non idem accidet contra; eruntque quidam tantum ad speciem accommodati. Incipiamus igitur ab eo, qui etiam frequentissimus est tum longe pulcherrimus, translationem dico, quæ μεταφορά Græcè vocatur: quæ quidem, cum ita est ab ipsa nobis concessa natura, ut indocti quoque ac non sentientes ea frequenter utantur, tum ita jucunda atque nitida, ut in oratione, quamlibet clara, proprio tamen lumine eluceat: neque enim vulgaris esse, nec humilis, nec insuavis; recte modo adscita, potest; copiam quoque sermonis auget permutando, aut mutando quod non habet; quodque difficillimum est, præstat ne ulli rei nomen deesse videatur. Transfertur ergo nomen aut verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est. Id facimus, aut quia necesse est, aut quia significantius, aut, ut dixi, quia decentius: ubi nihil horum præstabit quod transferetur, improprium erit. Necessitate rustici dicunt *gemmam* in vitibus: quid enim dicerent aliud? et, *sitire segetes*, et, *fructus laborare*: necessitate erat, *durum hominem*, aut *asperum*: non enim proprium erat quod daremus his affectionibus nomen. Jam, *incensum ira*, et *inflammatum cupiditate*, et *lapsum errore*, significandi gratia: nihil enim horum suis verbis, quam his arcessitis, magis proprium erat. Illa ad ornatum, *lumen orationis*, et, *generis claritatem*, et, *concionum procellas*, et, *eloquentiæ fulmina*: ut Cicero pro Milone, *Clodium fontem gloriæ ejus* vocat; et alio loco, *Segetem ac materiam*. . In totum autem, metaphora brevior est similitudo; eoque distat, quod illa comparatur rei quam volumus exprimere, hæc pro ipsa re dicitur: comparatio est, cum dico fecisse quid hominem ut *leonem*; translatio, cum dico de homine, *leo est*. Hujus vis omnis quadruplex maxime videtur: cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur; ut de agitatore,

—Gubernator magna contorsit equum vi:

et ut Livius Scipionem a Catone *adlatrari* solitum refert: inanima pro aliis generis ejusdem sumuntur; ut,

— *Classique immittit habenas:*

aut pro rebus animalibus inanima,

Ferro an Fato virtus Argivum occidit:

aut contra,

— (1) *Sedet inscius alto*

Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

Præcipueque ex his oritur mira sublimitas, quæ audacè proxime periculum translatione tolluntur, cum rebus sensu carentibus actum quendam et animos damus; qualis est,

— *Pontem indignatus Araxes:*

et illa Ciceronis,—Quid enim tuus ille, Tubero, destrictus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum?—dupli-
catur interim hæc virtus apud Virgilium,

— *Ferrumque armare veneno:*

nam et veneno armare, et ferrum armare, translatio est. Ut modicus autem atque opportunus ejus usus illustrat orationem, ita frequens et obscurat et tædio complet; continuus vero in allegoriam et ænigmata exit. Sunt quædam etiam humiles translationes; ut id, de quo modo dixi, *Saxea est verruca*; et sordidæ: non enim, si Cicero recte *sentinam republicæ* dixit, fræditatem hominum significans, idcirco probem illud quoque veteris oratoris, *Persecuisti republicæ romicæ*: optimeque Cicero demonstrat cavendum, ne sit deformis translatio; ne nimio major; aut, quod sæpius accidit, minor: ne dissimilis: quorum exempla nimium frequenter deprehendet, qui scierit hæc vitia esse. Sed et copia quoque modum egressa vitiosa est, præcipue in eadem specie. Sunt et duræ, id est, a longinqua similitudine ductæ: ut,

— *Capitis nives;—et,*

Juppiter hybernas cana nive conspuat Alpes.

In illo vero plurimum erroris, quod ea quæ poetis, qui

(1) Lib. 2. Æn. v. 307. legitur, *stupet*. Hic *vertex*, quæ pars est summa capitis, sumitur pro montis cacumine.

et omnia ad voluptatem referunt et plurima vertere etiam ipsa metri necessitate coguntur, permessa sunt, convenire quidam etiam prosæ putant: at ego in agendo nec *pastorem populi* auctore Homero dixerim, nec *volucres per æra nare*, vel *alis remigare*, licet Virgilius in apibus ac Dædalo speciosissime sit usus: *metaphora* enim aut vacantem occupare locum debet, aut, si in alienum venit, plus valere eo quod expellit. Quod aliquanto pene jam magis de *synecdoche* dicam: nam *translatio* permovendis animis plerumque, et signandis rebus ac sub oculos subjiciendis, reperta est; hæc variare sermonem potest, ut ex uno plures intelligamus; parte totum; specie genus; præcedentibus sequentia; vel contra: omnia liberiora poetis, quam oratoribus: nam prosa, ut mucronem pro gladio, et tectum pro domo recipiet; ita non puppim pro navi, nec abietem pro tabellis: et rursus, ut pro gladio ferrum, ita non pro equo quadrupedem. Maxime autem in orando valebit numerorum illa libertas: nam et Livius sæpe sic dicit, *Romanus prælio victor*; cum Romanos vicisse significat: et contra Cicero ad Brutum, *populo*, inquit, *imposuimus, et oratores visi sumus*; cum de se tantum loqueretur. Quod genus non orationes modo ornat, sed etiam quotidiani sermonis usus recipit. . Nec procul ab hoc genere discedit *μεταωνυμία*, quæ est nominis pro nomine positio: cujus vis est, pro eo quod dicitur, causam propter quam dicitur ponere: sed, ut ait Cicero, *ἰπαλλαγὴν* rhetores dicunt. Hæc inventa ab inventore, et subjecta ab obtinentibus significat: ut,

— *Cererem corruptam undis—et,—Receptus
Terra neptunus classes aquilonibus arcet:*

quod fit retro durius. Refert autem, in quantum dictus tropus oratorem sequatur: nam ut Vulcanum pro igne vulgo audivimus, et, *Fario Marte pugnatum*, eruditus est sermo, ita Liberum et Cererem pro vino et pane, licentius quam ut fori severitas ferat. .

Ἀντωνυμασία, quæ aliquid pro nomine ponit, poetis (1) utique frequentissima, et per *epitheton*: quia, detracto eo cui apponitur, valet pro nomine; Tydides, Pelides: et ex his quæ in quoque sunt *præcipua*, .

— *Divum pater atque hominum rex:*

(1) Ita legimus, vestigiis Gothani codicis insistentes; ex utraque enim, quod ibi perperam fortasse pro *utique* scriptum invenimus, facile fieri poterat *utroque*; quod, cum doctis utique grammaticis sine substantivo positum parum placeret, illud modo inscrierunt: *quoque modo* Gesner. O.

et ex *factis* quibus persona signatur,

—— *Thalamo quæ fixa reliquit*
Impius: ——

oratoribus etiam si rarus ejus rei, nonnullus tamen, usus est: nam, ut *Tydidem* et *Pelidem* non dixerint, ita *impium* pro parricida, *eversorem* quoque *Carthaginiæ* et *Numantiæ* pro Scipione, et *Romanæ eloquentiæ principem* pro Cicerone, posuisse non dubitent. Cicero ipse certe usus est hac libertate:—Non multa peccas, inquit ille fortissimo viro senior magister; et, si peccas, te regere possum.—Neutrum enim nomen positum est, et utrumque (1) intelligitur. ὀροματοποιία quidem, id est, *fictio nominis*, Græcis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur: et sunt plurima ita posita ab iis qui sermonem primi fecerunt, aptantes affectibus vocem; nam *mugitus* et *sibilus* et *murmur* inde venerunt; deinde, tanquam consummata sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cum multa quotidie ab antiquis ficta moriantur. Vix illa quæ *παζαγύμενα* vocant, quæ ex vocibus in usum receptis quocumque modo declinantur, nobis permittimus; qualia sunt *Sullaturit*, et *proscripturit*: atqui *laureati* postes, pro illo, *lauro coronati*, ex eadem fictione sunt: (2) et hoc feliciter evaluit; at non omnia, ut *vio*. Ea ferimus in Græcis: . ac laudatum id in Virgilio,

——*Hyperboreo septem subjecta trioni* :

dure autem jungere, atqui toleranter dividere, *septem triones* videmur. Eo magis necessaria *κατάχρησις*, quam recte dicimus *abusivem*, quæ non habentibus nomen suum accommodat quod in proximo est: sic,

(1) Temporibus quidem Fabii intelligebatur; haud tamen æque hodieque intelligitur: et, Gesneri sententia, frustra est hariolari; potest tamen, ut opinatur ille, *fortissimus* vir Achilles esse vel Agamemnon, *senior magister* Phoenix vel Nestor. Priori tamen magis congruit *magister*. O.

(2) Quoniam huic loco corruptissimo primi faciem in tenebris prætulimus, quædam fortasse plenius interpretanda sunt; ut lectio hæc nostra, non vana ingeniosi nominis captatione ducta, sed doctis potius probabilis et vere Fabiana videatur. Quare, ita legimus, distinguimus, et interpretamur: *Et hoc* (sc. laureati postes) *feliciter evaluit*; (ut alibi dixerat de hac re, quædam tamen perdurant, 8, 3, 24, ed. Gesn.) *at non omnia* ita feliciter evaluerunt, ut, *vio*, (i. e. eo, ductum a *via*; unde tamen *viticum*: et sane antiquum *Fio*, cum digamma *Folicum*, ut vocant, abfuisset, evanuit in *io*, unde *iti*, itum, &c.) *Fa* (sc. *παζαγύμενα*) *ferimus in Græcis*: (ut jam antea dixerat l. c. *ingere*—Græcis magis concessum est) ac laudatum id (sc. poeticum) in Virgilio,—*Hyperboreo*, &c. *dure autem jungere* (in oratione sc.) *atqui toleranter dividere* septem triones videmur. Vid. var. lectt. et nott. Burm. Gesn. &c. De verborum *divisione* vid. p. 222. O.

— *Equum divina Palladis arte
Edificant.*—

et apud tragicos, *Et jam leo pariet*; at pater est. Mille sunt hæc; ut *acetabula*, quidquid habent, et *pyxides*, cuiuscunque materiæ sunt, et *parricida*, matris quoque aut fratris interfector: discernendumque est hoc totum a translatione genus; quod abusio est, ubi nomen deficit; translatio, ubi aliud fuit.

Cætera jam non *significandi* gratia, sed ad *ornandam* modo, non augendam orationem, assumuntur. Ornat enim *ἐπιθετοί*, quod recte dicimus *appositum*: a nonnullis *sequens* dicitur; eo poetæ et frequentius et liberius utuntur; namque illis satis est, convenire verbo cui apponitur: itaque et *dentes albi* et *humida vina* in his non reprehenduntur: apud oratorem, nisi aliquid efficitur, redundat; tum autem efficitur, si sine illo quod dicitur minus est; qualia sunt, *O scelus abominandum!* *O deformem libidinem!* Exornatur autem res tota maxime translationibus, *Cupiditas effrenata*, et, *Insanæ substructiones*. Et solet fieri aliis adjunctis epitheton tropus, ut apud Virgilium, *Turpis egestas*, et *Tristis senectus*. Verumtamen talis est ratio hujusce virtutis, ut sine appositis nuda sit et velat incomta oratio: ne oneretur tamen multis; nam fit longa et impedita, ut in questionibus eam iudices similem agmini totidem lixas habenti quot milites, in quo et numerus est duplex, nec duplum virium: quanquam non singula modo, sed etiam pluræ verba apponi solent: ut,

*Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo,
Cura Deum, bis Pergameis erepte ruinis.*

Sed hoc quoque modo duo verba uni apposita ne versum quidem decuerint. Sunt autem, quibus non videatur hic omnino tropus, quia nihil *vertat*: necesse est enim semper, ut, cum idem quod est appositum, si a proprio divideris, per se significet, faciat *antonomasiam*: nam si dicas, Ille qui Numantiam et Carthaginem evertit, *antonomasia* est; si adjeceris, Scipio, appositum: non potest ergo non esse junctum. *Ἀλλοτρογία*, quam *inversionem* interpretamur, aliud verbis aliud sensu ostendit; ac etiam interim contrarium. *Prius*, ut,

*O navis, referent in mare te nos?
Fluctus? O quid agis?—*

totusque ille Horatii locus, quo navim pro republica, fluctuum tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dicit. Tale Lucretius,

Avia Pieridum peragro loca :—

et Virgilius,

*Sed nos immensum spatiis confecimus æquor ;
Et jam tempus equum (1) spumantia solvere colla.*

Sine translatione vero in Bucolicis,

*Certe equidem audieram, qua se subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo
Usque ad aquam, et veteris jam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcam.*

Hoc enim loco præter nomen cætera propriis decisa sunt verbis: verum non pastor Menalca, sed Virgilius est intelligendus. Habet usum talis allegoriæ frequenter oratio, sed raro totius; plerumque apertis permista est; tota apud Cicronem talis est,—Hoc miror enim, queror-que, quemquam hominem ita pessumdare alterum verbis velle, ut etiam navem perforet, in qua ipse naviget:—illud commutatum frequentissimum,—Equidem cæteras tempestates et procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper Miloni putavi esse subeundas:—nisi adjecisset—duntaxat fluctibus concionum,—esset allegoria; nunc eam miscuit. Quo in genere et species ex arcessitis verbis venit, et intellectus ex propriis. Illud vero longe speciosissimum genus orationis, in quo trium permista est gratia, similitudinis, allegoriæ, et translationis:—Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, et quantos æstus habet ratio comitiorum? Dies intermissus unus, aut nox interposita, sæpe et perturbat omnia, et totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris.—Jam id quoque in primis est custodiendum, ut, quo ex genere experis translationis, hoc desinas; multi enim, cum initium a tempestate

(1) Ita Goth. Jens. et plerique MSS. ap. Burm. *sumantia* maluit Gesn. atque ita edidit; recte tamen adjecit: Nec sane *spumantia* damnare ausim; videmus enim in exercitiis vehementius equis non in *sumum* modo facile, imprimis si frigidior tempestat sit, sed in *spumam* etiam sudorem colligi. O,

sumserunt, incendio aut ruina finiunt; quæ est inconsequentia rerum fœdissima. Cæterum, allegoria parvis quoque ingeniis, et quotidiano sermone frequentissime servit: nam illa in agendis causis jam detrita, *pedem conferre*, et *jugulum petere*, et *sanguinem mittere*, inde sunt: nec offendunt tamen; est enim grata in eloquendo novitas et commutatio, et magis inopinata delectant: ideoque jam in his amissimus modum, et gratiam rei nimia captatione consumsimus. Est in exemplis allegoria, si non prædicta ratione ponantur: nam, ut (1) *Dionysium Corinthi esse*, quo Græci omnes utuntur, ita plura similia dici possunt. Hæc allegoria, quæ est obscurior, ænigma dicitur; vitium meo quidem iudicio, si quidem dicere dilucide virtus; quo tamen et poete utuntur,

*Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli spatium non amplius ulnas:*

et oratores nonnunquam. . In eo vero genere quo *contraria* ostenduntur, *ironia* est: *illusionem* vocant: quæ aut pronuntiatione intelligitur, aut persona, aut rei natura; nam, si qua earum verbis dissentit, apparet diversam esse orationi voluntatem. . . Pluribus autem verbis eum id, quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur, *περίφρασιν* vocant; circuitum loquendi: qui nonnunquam necessitatem habet, quoties dictu deformia operit: . interim ornatum petit soluni; qui est apud poetas frequentissimus, ut,

*Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, et dono divum gratissima serpit:*

et apud oratores non raris, semper tamen adstrictior: quidquid enim significari brevius potest, et cum ornatu latius ostenditur, *περίφρασις* est; cui nomen Latine datum est non sane orationis aptum viruti, *circumlocutio*: verum hæc ut, cum decorem habet, *περίφρασις*, ita, cum in vitium incidit, *περίσσολογία* dicitur; obstat enim, quidquid non adjuvat. Ὑπερβατόν quoque, id est, verbi *transgressionem*, quoniam frequenter ratio compositionis et decor poscit, non immerito inter virtutes habemus: fit enim frequentissime aspera, et dura, et dissoluta, et hians ora-

(1) Ut Lacedæmonii Philippo bellum militanti responderunt; quo significabant fortunæ vicissitudinem et mutationem: Dionysius enim Siculorum tyrannus, regno expulsus, Corinthi Musicam et literas docuit. *Turn.*

tio, si ad necessitatem ordinis sui verba redigantur, et, ut quodque oritur, ita proximis, etiam si vinciri non potest, alligetur. Differenda igitur quædam, et præsumenda; atque, ut in structuris lapidum impolitorum, loco quo convenit quidque ponendum: non enim recidere ea, nec polire possumus, quo coagmentata se magis iungant; sed utendum his, qualia sunt, eligendæque sedes. Nec aliud potest sermonem facere numerosum, quam opportuna ordinis mutatio: neque alio in ceris (1) Platonis inventa sunt quatuor illa verba, quibus in illo pulcherrimo operum in *Piræcum se descendisse* significat, plurimis modis scripta, (2) quam quod cum quoque maxime facere experiretur. Verum id, cum duobus verbis fit, ἀναστροφῇ dicitur, *reversio* quædam: qualia sunt vulgo, *meum, secum*; apud oratores et historicos, *Quibus de rebus*: at, cum decoris gratia contrahitur longius verbum, proprie *hyperbati* tenet nomen,—Animadverti, iudices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes:—nam—in duas partes divisam esse,—rectum erat, sed durum et incomtum. Poetæ quidem etiam verborum divisionem faciunt et transgressionem,

—*Hyperboreo septem subjecta trioni*:

quod oratio nequaquam recipiet: at id quidem est, propter quod dicitur *tropus*, quia componendus est e duobus intellectus; alioqui, ubi nihil ex significatione mutatum est, et structura sola variatur, *figura* potius *verborum* dici potest: sicut multi narrationem longis mutant hyperbatis. Ex confusis quæ vitia accidunt, suo loco diximus. *Hyperbolen*, audacioris ornatus, summo loco posui: est hæc *ementiens superjectio*. Virtus ejus ex diverso par

(1) Narrat Halicarnassensis Dionysius περὶ συνόψ. s. 25, p. 242, Upton. Præter sunt verba, quæ hic legantur. Dixerat de Isocratis diligentia; pergit, Ὁ δὲ Πλάτων τὸς ἑαυτῷ διαλόγους κτεινῶν καὶ βορρυχιζῶν, καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέων, οὐ διέλιπεν ὑποδοκῶντα γεγραμῶς εἶη. Πᾶσι γὰρ ὄψε τῶς φιλοσόφους γινώσκοντα—τὰ περὶ τὴν δέλταν, ἣν τελευτήσαντος αὐτῷ λέγουσιν εἰρηδῆναι, ποιικίλως μετακειμένην τὴν ἀρχὴν τῆς Πολιτείας ἔχουσαν τῆνδε,

Κατέστην χθὲς εἰς Πειραιῶν μετὰ Γλαύκωνος τῷ Ἀξίγνωτος. Gesner.

(2) *Eum*, h. e. *numerosum sermonem facere quod maxime experiretur* s. tentaret, studeret, Plato; ideo sæpe verba transposuit. Gesner. Cæterum ita legimus et interpretamur: *Neque alio* (sc. alia de causa)—*quam quod eum quoque* (sc. sermonem) *maxime facere numerosum experiretur* ipse Plato. Locus est e difficilioribus; sed illud *quam* e textu excidit, e nobis quidem videtur; absque eo vero an Gesnerus locum recte intellexerit, aliorum est judicium. O.

augendi atque minuendi. Fit pluribus modis: aut enim plus facto dicimus,—Vomens frustis esculentis gremium suum et totum tribunal implevit:—

— (1) *Geminique minantur In cælum scopuli:*—

aut res per similitudinem attollimus,

— *Credas innare revulsas Cycladas:* — —

aut per comparisonem, ut,

— *Fulminis ocyor alis:*

aut signis quasi quibusdam,

*Illæ vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:*

vel translatione, ut ipsum illud, *volaret*. Crescit interim hyperbole, alia insuper addita: ut Cicero in Antonium dicit,—Quæ Charybdis tam vorax? Charybdim dico? quæ, si fuit, fuit animal unum: Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse.—Exquisitam vero figuram hujus rei deprehendisse apud principem lyricorum Pindarum videor in libro, quem inscripsit ὑμνος. Is nanque Herculis impetum adversus Meropas, (2) qui in insula Co dicuntur habitasse, non igni, nec ventis, nec mari, sed *fulmini* dicit similem fuisse: ut illa minora, hoc par esset: quod imitatus Cicero, illa composuit in Verrem, —Versabatur in Sicilia longo intervallo non Dionysius ille, nec Phalaris; tulit enim illa quondam insula multos et crudeles tyrannos; sed novum quoddam monstrum ex vetere illa immanitate, quæ in iisdem versata locis dicitur. Non enim Charybdim tam iafestam neque Scyllam navibus, quam istum in eodem freto, fuisse arbitror.—Nec pauciora sunt genera minuendi,

— *Vix ossibus hærent:*

(1) Æn. 1, 162. *Credas* Æn. 8, 691. *Fulminis* Æn. 5, 319. *Illæ vel* Æn. 7, 808. *Cicero in Anton.* Phil. 2, 27. *In Verrem* 5, 56. *Vix ossibus* Virg. Æcl. 3, 103.

(2) Respicere Pindarum ad hanc Herculis expeditionem, monet Burmannus, Nem. 4, 41, et Isthm. 6, 46; sed nihil esse ibi hujus hyperboles, Gesner.

et, quod Cicero in quodam joculari libello:

*Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda;
Si lapis exciderit, quid cura funda p̄tet?*

Sed hujus quoque rei servetur quædam: quamvis enim est omnis hyperbole ultra fidem, non tamen esse debet ultra modum: nec alia magis via in *κακοζήλια* itur. Piget referre plurima hinc orta vitia; cum præsertim minime sint ignota et obscura: monere satis est, mentiri hyperbolen; nec ita, ut mendacio fallere velit: quo magis intuendum est, quousque deceat extollere, quod nobis non creditur. Pervenit hæc res frequentissime ad risum: qui, si (1) captatus est, urbanitatis; sin aliter, stultitiz nomen assequitur. Est autem in usu, vulgo quoque, et inter incruditos et apud rusticos; videlicet, quod natura est omnibus augendi res vel minnendi cupiditas insita, nec quisquam vero contentus est: sed ignoscitur, quia non affirmamus. Tum est hyperbole virtus, cum res ipsa, de qua loquendum est, naturalem modum excessit: conceditur enim amplius dicere, quam dici quantum est non potest; meliusque ultra, quam citra, stat oratio. Sed de hoc satis; quia eundem locum plenius in eo (2) libro, quo *causas corruptæ eloquentiæ* reddebamus, tractavimus.

(1) Parum abfuit quin *aptus*, Gesnero duce, hic prætulerimus; cum præsertim apud Catullum jam similis de risu fuerit sententia, *Non risu inepto res ineptior nulla est*; ut in senario illo Græcorum proverbio, *Γελως ἀκαίρος ἐν ἔργοις δεινὸν κακόν*: sed, quam dedimus lectionem esse veram et Fabianam, vel alius ipsius Fabii locus testabitur satis, ubi (Arist. telein, ut solet, secutus) inter vitia orationis ponit—parvis dare excedentia modum nomina, nisi cum ex industria *risus* inde *captatur*. Vid. 8, 3, 48, et 74. Gesn. ed. Illud *aptus* ex compendio *captus* ortum est. O.

(2) Eundem librum a se scriptum atque editum Fabius multoties in hoc opere ipse commemorat, nec semel sub eodem titulo, sc. *de causis corruptæ eloquentiæ*; an vero diversum fuerit hoc opus ab eo, qui superest, dialogo de oratoribus, adhuc inter *κετινωτατοῦς* ambigitur: *diversum* certe, ait Gesnerus, 8, 3, 58, *not.* contra, amicus (jus Hemaanus idem opus sub nomine Quintiliani edidit, falso inscriptum Tacito r̄ctus: idem, ed. omnium Fabii operum cum variorum notis anno 1665 subjectum, Hermann) Schellii aliorumque commentarios valde inter se discrepantes exhibet. Nobis quidem, si quod sentiamus præferre liceat, et res et verba, omnia denique in illo dialogo vere Fabiana videri, non dissimulabimus; et fortasse, si fragmentum id modo esse existimemus, vel primum quasi librum operis majoris, cujus reliqua ævo labente perierunt, quæ habemus ipsi Fabio, ut sua, jure reddi posse videbuntur. Certe Maternus sub finem dialogi, quia jam dies esset exactus, ita profitetur:—de hijs rursus contremus. O.

M. FABII QUINTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER IX.



I. CUM sit proximo libro de *tropis* dictum, sequitur pertinens ad *figuras* (quæ σχήματα Græce vocantur) locus, ipsa rei natura conjunctus superiori: nam plerique has tropos esse existimarunt; quia, sive ex hoc duxerint nomen, quod sint *formati* quodam modo; sive ex eo, quod *vertant* orationem, unde et *motus* dicuntur; fatendum erit, esse utrumque eorum etiam in figuris: usus quoque est idem; nam et vim rebus adjiciunt, et gratiam præstant. Nec desunt qui tropis figuræ nomen imponant. . Quo magis signanda est utriusque rei differentia. Est igitur *tropus*, sermo a naturali et principali significatione *translatus ad aliam*, ornandæ orationis gratia; vel, ut plerique grammatici finiunt, dicuo ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est: *figura*, sicut nomine ipso patet, est (1) *conformatio* quadam orationis, remota a communi et primum se offerente ratione. Quare in *tropis* ponuntur verba alia pro aliis. . Et propriis verbis, et ordine collocatis fieri *figura* potest. . . Id demum hoc loco accipi *schema* oportebit, quod sit in simplici ac in promptu posito dicendi modo poetice vel oratorie mutatum: sic enim verum erit, aliam esse orationem ἀσχημάτιστοι, id est, carentem figuris, quod vitium non inter minima est; aliam ἐσχηματισμένην, id est, figuratam. . Inter plurimos, quod sciam, consensus est, duas ejus esse partes; *διανοίας*, . et *λέξεως*, . Quare, sicut omnem orationem, ita figuras quoque versari necesse est

(1) *Figura* enim a *fingendo*, i. e. *formando*, dicta est. O.

in *sensu*, et in *verbis*. Ut vero natura prius est, concipere animo res, quam enuntiare, ita de iis figuris ante loquendum est, quæ ad *mentem* pertinent: quarum quidem utilitas, cum magna, tum multiplex, in nullo non orationis opere vel clarissime elucet: nam etsi minime videtur pertinere ad probationem, qua figura quidque dicatur; facit tamen credibilia quæ dicimus, et in animos iudicium qua non observatur irrepit. Namque, ut in armorum certamine adversos ictus, et rectas ac simplices manus, cum videre, tum etiam cavere ac propulsare facile est; aversæ tectæque minus sunt observabiles; et, aliud ostendisse quam petas, artis est; sic oratio, quæ astu caret, pondere, mole, et impulsu præliatur: simulanti, variantique conatus, in latera atque in terga incurrere datur, et arma (1) avocare, et velut nutu fallere. Jam vero affectus nihil magis dicit: nam si frons, oculi, manus multum ad motum animorum valent, quanto plus orationis ipsius vultus ad id, quod intendimus efficere, compositus? Plurimum tamen ad commendationem facit, sive in conciliandis agentis moribus, sive ad promerendum actioni favorem, sive ad levandum varietate fastidium, sive ad quædam vel decentius indicanda vel tutius. . .

II. QUID tam commune quam interrogare, vel percontari? . *Simplex* est, sic rogare,

Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?

figuratum autem, quoties non seiscitandi gratia assumitur, sed instandi:—Quid enim tuus ille, Tubero, destitutus in acie Pharsalica gladius agebat?—et,—Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?—et,—Patere tua consilia non sentis?—et totus denique hic locus: quanto enim magis ardet, quam si diceretur,—Diu abuteris patientia nostra;—et,—Patent tua consilia!—Interrogamus etiam, quod negari non potest: . aut ubi respondendi difficilis est ratio: . aut invidiæ gratia: . aut miserationis. . Totum hoc plenum est varietatis: nam et indignationi convenit, . et admirationi; . est interim acrius imperandi genus: . est aliqua etiam in respondendo figura, cum aliud interroganti, ad aliud, quia sit utilis, occurrit; tum augendi criminis gratia, ut testis in reum rogatus, an ab reo fustibus vapulasset, *Et innocens*, inquit; tum declinandi, quod est frequentissimum: Quæro, an occideris hominem? respondetur, *Latronem*. . Cæterum et

(1) Ita leg. i. e. arma adversarii in eam partem corporis, quam tu simul lato ictu petis, ut aliam nudatam aggrediare.

interrogandi se ipsum, et respondendi sibi, solent esse non ingratae vices: . cui diversum est, cum alium rogaveris, non expectare responsum, et statim subjicere: . quod schema quidam per *subjectionem* vocant. Fit et comparatione. . Mire vero in causis valet *praesumptio*, quae *πρόσθεσις* dicitur, cum id quod objici potest occupamus: id neque in aliis partibus parum est, et praecipue proœmio convenit. . Afferit aliquam fidem veritatis et *dubitatio*, cum simulamus quærere nos, unde incipiendum, ubi desinendum, quid potissimum dicendum, an omnino dicendum sit? ejusmodi exemplis plena sunt omnia: . A quo schemate non procul abest illa quae dicitur *communicatio*; cum aut ipsos adversarios consulimus, . aut cum iudicibus quasi deliberamus, quod est frequentissimum. . Sed nonnunquam, communicantes, aliquid inexpectatum subjungimus, quod et per se schema est, ut in Verrem Cicero,—Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut praedam aliquam?—deinde cum diu suspendisset iudicum animos, subjecit quod multo esset improbius. Hoc Celsus *sustentationem* vocat: est autem duplex; nam contra frequenter, cum expectationem gravissimorum fecimus, ad aliquid quod sit leve, aut nullo modo criminisum, descendimus; sed, quia non tantum per communicationem fieri solet, *παράδοξον* alii nominaverunt, id est, *inopinatum*. . Pene idem fons est illius, quam *permissio* vocant, qui *communicationis*; cum aliqua ipsis iudicibus relinquimus aestimanda, aliqua nonnunquam adversariis quoque. .

Quae vero sunt augendis affectibus accommodatae figurae, constant maxime *simulatione*: namque et irasci nos, et gaudere, et timere, et admirari, et dolere, et indignari, et optare, quaeque sunt similia his, fingimus: . quod *exclamationem* quidam vocant, ponuntque inter figuras orationis. Haec, quoties vera sunt, non sunt in ea forma de qua nunc loquimur: assimilata, et arte composita, proculdubio *schemata* sunt existimanda. Quod idem dictum sit de *oratione libera*, quam Cornificius *licentiam* vocat, Graeci *παρρησίαν*. Quid enim minus figuratum, quam vera libertas? Sed frequenter sub hac facie latet adulatio. .

Illam adhuc audaciora, et majorum (ut Cicero existimat) laterum, *fictiones personarum*, quae *πρόσωπων πωλύων* dicuntur: mire namque cum variant orationem, tum excitant. His et adversariorum cogitationes velut secum loquentium protrahimus; quae tamen ita demum a fide non abhorrent, si ea locutos finxerimus, quae cogitasse eos non sit absurdum; et nostros cum aliis sermones, et aliorum inter

se, credibiliter inducimus; et suadendo, objurgando, querendo, laudando, miserando, personas idoneas damus. Quin deducere deos in hoc genere dicendi, et inferos excitare, concessum est: urbes etiam, populique, vocem accipiant. Sed in his, quæ natura non permittit, hoc modo mollior fit figura:—Etenim si mecum patria, quæ mihi vita mea multo est carior, si euncta Italia, si omnis publica sic loquatur: M. Tulli, quid agis?—Illud audacius genus:—Quæ tecum, Catilina, sit agit, et quodammodo tacita loquitur: Nullum jam aliquot annis facinus extitit, nisi per te.—Commode etiam aut nobis aliquas ante oculos esse rerum personarumve imagines fingimus, aut eadem adversariis aut iudicibus non accidere miramur: qualia sunt; *Videtur mihi*, et, *Nonne videtur tibi?* sed magna quædam vis eloquentiæ desideratur: falsa enim et incredibilia natura necesse est aut magis moveant, quia supra vera sunt, aut pro vanis accipiantur, quia vera non sunt. Ut dicta quædam, ita scripta quoque fingi solent. . Incipit esse quodammodo *παρηγορῆ*, quod nomen, ductum a canticis ad aliorum similitudinem modulatis, abusive etiam in versificationis ac sermonum imitatione servatur. Sed fornax quoque fingimus sæpe: ut Famam Virgilius; ut Voluptatem ac Virtutem, quemadmodum a Xenophonte traditur, Prodicus; ut Mortem ac Vitam, quas contententes in Satyra tradit, Ennius. .

Aversus quoque a iudice sermo, qui dicitur *ἀπιστοφῆ*, mire movet; sive adversarios invadimus, . sive ad invocationem aliquam convertimur, . sive ad invidiosam implorationem. . *O leges Porciæ, legesque Scipioniæ!* . Illa vero, ut ait Cicero, sub oculis subjectio tum fieri solet, cum res non gesta indicatur, sed ut sit gesta ostenditur: nec universa, sed per partes: quem locum proximo libro subjecimus *evidentiæ*; et Celsus hoc nomen isti figuræ dedit: ab aliis *ἐποτύπωσις* dicitur, proposita quædam forma rerum ita expressa verbis, ut cerni potius videatur quam audiri:—Ipse, inflammatus scelere ac furore, in forum venit: ardebant oculi: toto ex ore crudelitas emicabat:—nec solum quæ facta sint, aut fiant, sed etiam quæ futura sint, aut futura fuerint, imaginamur; mire tractat hæc Cicero pro Milone, quæ facturus fuerit Clodius, si prætinam invasisset. . Locorum quoque dilucida et significans descriptio eidem virtuti assignatur a quibusdam, alii *τοπογραφίαν* dicunt. *Εἰςωσίαν* inveni qui *dissimulationem* vocarent: quo nomine quia parum totius hujus figuræ videntur vires ostendi, nimirum sicut in plerisque, Græca erimus appellatione contenti. Igitur *ἐἰςωσία* quæ est

schema ab illa quæ est *tropus* genere ipso nihil admodum distat, in utroque enim contrarium ei quod dicitur intelligendum est, species vero prudentius intuenti diversas esse facile est deprehendere: primum, quod *tropus* aperitior est; et, quanquam aliud dicit ac sentit, non tamen aliud simulat: nam et omnia circa fere recta sunt; ut illud in *Catilinam*,—A quo repudiatus, ad sodalem tuam, virum optimum, M. (1) Metellum demigrasti:—in duobus demum verbis est ironia; ergo etiam brevior est *tropus*: at figura totius voluntatis fictio est, apparens magis quam confessa: ut illic verba sint verbis diversa, hic sermonis sensus et loci: et tota interim causæ conformatio, tum etiam vita universa ironiam habere videtur: qualis est visa Socratis; nam ideo dictus ἕρων, id est, agens imperitum, et admirator aliorum tanquam sapientium: ut, quemadmodum ἀλλοτρογίαν facit continua μεταφορὰ, sic hoc *schema* faciat troporum ille *contextus*.

Εἰρωνεία est, et cum similes imperantibus vel permittentibus sumus,

I, sequere Italiam ventis:—

et cum ea, quæ nolumus videri in adversariis esse, concedimus eis: id acris fit, cum eadem in nobis sunt, et in adversario non sunt,

— *Meque timoris*

Argue tu, Drance, quando tot cædis acervos
Teucrorum tua dextra dedit:

quod idem contra valet, cum aut ea quæ a nobis absunt, aut etiam quæ in adversarios recidunt, quasi fatemur,

Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter:

nec in personis tantum, sed et in rebus versatur hæc contraria dicendi, quam quæ intelligi velis, ratio: ut totum pro Q. Ligario proœmium; et illæ elevationes, *Fidelicet, O dii boni!*

Scilicet is superis labor est!—

Ἀποσιώπησις, quam idem Cicero *reticentiam* appellat, et ipsa ostendit aliquod affectus: velut iræ:

(1) Sic Goth. et Jens. al. *Marcellum*, virum re vera optimum, quem Cicero ipse amice vixit. Metellus, trib. pl. Catilinæ socius et sodalis. O.

Quos ego—sed motos præstat componere fluctus!

vel solitudinis, et quasi religionis:—An hujus ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset vivo Milone, ne dicam consule? De nostrum enim omnium—non audeo totum dicere:—cui simile est in proemio pro Ctesiphonte Demosthenis. .

Imitatio morum alienorum, quæ ἑξοπισία, vel, ut alii malunt, μίμησις dicitur, jam inter (1) leniores affectus numerari potest: est enim posita fere in eludendo: sed versatur et in factis et in dictis: in factis quidem ἑποτυπώσεις vicinum; in dictis, quale est apud Terentium,

*At ego nesciebam quorsum tu ires: Parvula
Hinc est abiecta; exiit mater pro sua;
Soror dicta est; cupio abducere, ut reddam suis. .*

Sunt et illa jucunda, et ad commendationem cum varietate tum etiam ipsa natura plurimum prosunt, quæ, simplicem quandam et non præparatam ostendendo orationem, minus nos suspectos judici faciunt. Hinc est quasi pænitentia dicti; ut pro Cælio, *Sed quid ego ita gravem personam indui?* et quibus utimur vulgo, *Impudens incidi:* vel cum quærere nos, quid dicamus, fingamus; *Quid reliquum est?* et, *Num quid omisi?* et cum ibidem in Verrem ait Cicero, *Unum etiam mihi reliquum hujusmodi crimen est:* et, *Aliud ex alio succurrit mihi.* Unde etiam venusti transitus fiunt: non quia transitus ipse sit schema; ut Cicero, narrato Pisonis exemplo, qui anulum sibi endi ab aurifice in tribunali suo jusserat, velut hoc in memoriam adductus adjecit:—Hic modo me commouit Pisonis annulus, quod totum effluerat: quanti multis istum putatis hominibus honestis de digitis annulos aureos abstulisse?—et cum aliqua velut ignoramus:—Sed earum rerum artificem, quem? quemnam? recte admones; Polycletum esse dicebant.—Quod quidem non in hoc tantum valet: quibusdam enim dum aliud agere videmur, aliud efficimus: sicut hic Cicero consequitur, ne, cum morbum in signis atque tabulis objiciat Verri, ipse quoque earum rerum studiosus esse credatur: et Demosthenes, jurando per interfectos in Marathone et Salamine, id agit, ut minore invidia cladis apud Charoneam acceptæ la-

(1) Ita Gesn. aliique; in antiqua tamen scriptura abunde similia sunt *leniores et leviores*; et hæc lectio a Fabio ipso defendi posse videtur:—Est enim (ait) posita fere (illa μίμησις) in *eludendo*, &c. Sed alias affectus in *lenes et concitatos* esse divisos satis patet. O.

boret. . Est *emphasis* etiam inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur: ut apud Virgilium,

*Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere more ferae?*

quanquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erupit ejus affectus, ut sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum. . Huic vel confinis, vel eadem est, qua nunc utimur plurimum. Jam enim ad id genus, quod et frequentissimum est, et expectari maxime credo, veniendum est: in quo per quandam suspicionem quod non dicimus accipi volumus; non utique contrarium, ut in *εἰρησίζα*, sed aliud latens, et auditori quasi inveniendum: quod jam fere solum schema a nostris vocatur, et inde controversiæ *figurata* dicuntur. Ejus triplex usus est: unus, si dicere palam parum tutum est; alter, si non dect; tertius, qui venustatis modo gratia adhibetur, et ipsa novitate ac varietate magis quam si relatio sit recta delectat.

Ex his quod est primum frequens in scholis est: nam et pactiones deponentium imperium tyrannorum, et post civile bellum senatus consulta finguntur, et capitale est objicere ante acta; ut, quod in foro non expedit, illic nec liceat. . Vera negotia nunquam adhuc habuerunt hanc silentii necessitatem; sed aliam huic similem, verum multo ad agendum difficiliorem; cum personæ potentes obstant, sine quarum reprehensione teneri causa non possit: ideoque hoc parcius et circumspectius faciendum est: quia nihil interest quo modo offendas. . Equidem quandoque et in personas incidi tales, et in rem quoque (quod est magis rarum) quæ obtineri nisi hac arte non posset. Ream tuebar, quæ subjecisse dicebatur marito testamentum, et dicebantur chirographum marito expiranti hæredes dedisse, et verum erat. Nam quia per leges institui uxor non poterat hæres, id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fidei-commissum pervenirent. Et caput quidem tueri facile erat, si hoc diceremus palam; sed peribat hæreditas. Ita ergo fuit nobis agendum, ut judices illud intelligerent factum, delatores non possent apprehendere ut dictum: et contigit utrumque. Quod non inseruissem, veritus opinionem jactantiæ, nisi probare voluissem, in foro quoque esse his figuris locum. Quædam etiam quæ probare non possis, figura potius spargenda sunt: hæret enim nonnunquam telum istud oc-

cultum, et hoc ipso, quod non apparet, eximi non potest: at si idem dicas palam, et defenditur, et probandum est.

Cum autem obstat nobis personæ reverentia, quod secundum posuimus genus, tanto cautius dicendum est, quanto validius bonos inlibet pudor quam metus. Hic vero tegere nos iudex, quod sciamus, et verba vi quadam veritatis erumpentia credat coercere. Nam (1) qui minus aut ipsi in quos dicimus, aut iudices, aut assistentes oderint hanc maledicendi lasciviam, si velle nos credant? Aut quid interest quo modo dicatur, cum et res et animus intelligitur? . . .

Confinia sunt his celebrata apud Græcos schemata, per quæ res asperas mollius significant: nam Themistocles suasisse existimatur Atheniensibus, ut urbem apud deos deponerent; quia durum erat dicere, ut *relinquerent*: et qui Victorias aureas in usum belli conflare volebat, ita declinavit, *victoriis utendum esse*. Totum autem allegoriæ simile est, aliud dicere, aliud intelligi velle. Quæsitum etiam est, quo modo contra figuras responderi oporteat? et quidam semper ex diverso aperientas putaverunt; sicut latentia vitia rescinduntur: idque sane frequentissime faciendum est; aliter enim dilui objecta non possunt, utique cum quæstio in eo consistit, quod figuræ petunt: at cum maledicta sunt tantum, et non intelligere interim bonæ conscientiæ est. Atque etiam, cum fuerint rebriores figuræ quam ut dissimulari possint, postulandum est ut illud nescio quid, quod adversarii obliquis sententiis significare voluerint, si fiducia sit, objiciant palam; aut certe non exigant, ut, quod ipsi non audent dicere, id iudices non modo intelligant, sed etiam credant. .

Tertium est genus, in quo sola melius dicendi petitur occasio: ideoque id Cicero non putat esse positum in contentione: tale est illud, quod idem utitur in Clodium, — Quibus iste, (2) qui omnia sacrificia nosset, facile se deos placari posse arbitrabatur. — Levissimum autem longe genus ex verbo, etiamsi est apud Ciceronem in Clodium, — Præsertim quam omnes amicam omnium potius quam enjusquam inimicam putaverunt. . .

III. VERBORUM vero figuræ et mutatæ sunt semper, et, utcunque valuit consuetudo, mutantur: itaque, si antiquum sermonem nostro comparemus, pene jam quidquid loquimur, figura est; ut, *hac re invidere*, non, ut omnes

(1) Quo Goth. et Jens. unde al. *quanto*, quod jam præcesserat, *quanto validius*, &c. O.

(2) Hæc ait, quod Clodius ingressus erat in opertum Bonæ Deæ, quod non licebat viris: unde facete fingit, peritum esse sacrificiorum. Turn.

veteres, et Cicero præcipue, *hanc rem*; et *incumbere illi*, non *in illum*; et *plenum vino*, non *vini*; et *huic*, non *hunc adulari*; jam dicitur, et mille alia; utinamque non pejora vincant. Verum schemata λέξεις duorum sunt generum: alterum *loquendi rationem* vocant; alterum *collocationem*; quod maxime exquisitum est: quorum tametsi utrumque convenit orationi, tamen possis illud *grammaticum*, hoc *rheticum* magis dicere.

Prius fit iisdem generibus, quibus vitia. Esset enim omne schema vitium, si non peteretur, sed accideret: verum auctoritate, vetustate, consuetudine, plerumque defenditur, sæpe, etiam ratione quadam: ideoque, cum sit a simplici rectoque loquendi genere deflexa, virtus est, si habet probabile aliquid quod sequatur; una tamen in re maxime utilis, ut quotidiani et semper eodem modo formati sermonis fastidium levet, et nos a vulgari dicendi genere defendat: quare, si quis parce et cum res poscet utetur, velut asperso quodam condimento jucundior erit; at qui nimium affectaverit, ipsam illam gratiam varietatis amittet. Quanquam enim sunt quædam figuræ ita receptæ ut pene jam hoc ipsum nomen effugerint, quæ, etiam si fuerint crebriores, aures consuetas minus ferient; tamen secretæ et extra vulgarem usum positæ, ideoque magis (1) notabiles, ut novitate excitant, ita copia satiant: nec se obvias fuisse dicenti, sed conquisitas, et ex omnibus latebris extractas, congestasque, declarant.

Fiunt ergo et circa *genus figuræ* in nominibus: nam et *oculis capti talpæ*, et *timidi damæ*, dicuntur a Virgilio; sed subest ratio, quia *sexus* uterque altero significatur; tam enim *mares* esse *talpas damasque*, quam *feminas*, certum est. Et in verbis: ut, *Fabricatus est gladium*, et *Inimicos punitus est*: quod mirum minus est, quod in natura verborum est, et, quæ facimus, patiendi modo sæpe dicere; ut *arbitror*, *suspikor*; et contra faciendi, quæ patimur; ut *capulo*: ideoque frequens permutatio est, et pleraque utroque modo effleruntur; *luxuriatur*, *luxuriat*: *fluctuatur*, *fluctuat*; *assentior*, *assentio*; *revertor*, *revertio*. Est figura et in numero: vel cum singulari pluralis subjungitur, *Gladio pugnacissima gens, Romani*; gens enim ex multis: vel e diverso;

(1) Ita reponere ausi sumus: vid. Ind. Gen. in voc. *notabilis*, ubi exemplorum satis: al. *nobiles*, omisso scilicet compendii signo; quod tolerandum sane erat, si de nobilibus jam vel utcunque probabilibus figuris esset sermo; sed aliter se res habet. Porro, totum hunc locum, duce potissimum Gothano codice una cum Jenson. ed. pristino nitore restitutum, docti, ut speramus, probabant. O.

— (1) *Qui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est!*

ex illis enim, qui non risere, *hunc* non dignatus deus, nec dea dignata. Et mutatione partium: ut in satyra,

— *Et nostrum istud vivere triste
Aspexi: —*

cum infinito verbo sit usus pro appellatione; *nostram* enim *vitam* vult intelligi: utimur et verbo pro participio; ut, — *Magnum dat ferre talentum*, — tanquam *ferendum*: et participio pro verbo, *Volo datum*. . .

Hæc schemata, et his similia, quæ erunt per mutationem, adjectionem, detractionem, ordinem, et convertunt in se auditorem, nec languere patiuntur, subinde aliqua notabili figura excitatum, et habent quandam ex illa vitii similitudine gratiam, ut in cibus interim acor ipse jucundus est. Quod continget, si neque supra modum multæ fuerint, nec ejusdem generis, aut junctæ, aut frequentes: quia satietatem ut varietas earum, ita raritas effugit.

Illud est acrius genus, quod non tantum in ratione positum est loquendi, sed ipsis sensibus cum gratiam tum etiam vires accommodat. E quibus primum sit quod fit per *adjectionem*. Plura sunt genera: nam et verba geminantur, vel amplificandi gratia; ut, *Occidi, occidi, non Sp. Meliun*: alterum est enim quod indicat, alterum quod affirmat: vel miserandi; ut,

Ah Corydon, Corydon! —

Quæ eadem figura nonnunquam per ironiam ad elevandum convertitur. Similis geminationis post aliquam interjectionem repetitio est, sed paulo etiam vehementior:—*Bona, miserum me!* (consumitis enim lacrymis tamen infixus animo hæret dolor) *bona, inquam, Cn. Pompei acerbissimæ voci subjecta præconis! Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam!* Et ab iisdem verbis plura acriter et instanter incipiunt:—*Nihilne*

(1) Mire torquentur in his versibus grammatici. Nam permulti putant *cui* legendum esse in dativo singulari: Fabius vero accipit in nominativo plurali; et statim subjicit *hunc*, pro *hos*. Turn. Vide Ruam in hunc locum Virgilii. Eclog. 4. v. 62. *R. Qui pueri non risere ad parentes*. Gesn. Ita Gesnerus; qui tamen illi Fabianæ, ut et Scaligeranæ interpretationi, Vossianam prætulit: *cui* enim *parentes*, &c. Quippe Virgilius scripsit, *ἀγαθαίους, Quon.* &c. unde et illa vitiosa lectio *Quis non* &c. vetustatis *enim amator* unice Virgilius, ut ait Fabius. O.

te nocturnum præsidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt?—et iisdem desinunt:—Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius:—Quanquam hoc exemplum ad aliud quoque schema pertinet, cuius initia inter se et fines iidem sunt,—Quis et Quis, Appius et Appius:—quale est,—Qui sunt qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginienses. Qui sunt qui in Italia bellum crudele gesserunt? Carthaginienses. Qui sunt qui Italiam deformaverunt? Carthaginienses. Qui sunt qui sibi ignosci postulant? Carthaginienses.—Etiam in contrapositis vel comparativis solet respondere primorum verborum alterna repetitio:—Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas; ille, ut eo quo intendit mature cum exercitu perveniat: te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat: tu actionem instituis, ille aciem instruit: tu caves ne consultores tui, ille ne urbes aut castra capiantur. . Possunt media quoque respondere vel primis; ut,

Te nemus Auguitiæ, vitrea te Fucinus unda :

vel ultimis;—Hæc navis onusta præda Siciliensi, cum ipsa quoque esset ex præda:—Nec quisquam dubitabit, idem posse fieri iteratis utrinque mediis. (1) Respondent primis et ultima,—Multi et graves dolores inventi parentibus, et propinquis multi.—Est et illud repetendi genus, quod semel proposita iterat et dividit :

*Iphitus et Pelias mecum ; quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulyssi :*

Ἐπάνοδος dicitur Græce; nostri *regressionem* vocant. Nec solum in eodem sensu, sed etiam in diverso eadem verba contra sumuntur:—Principum dignitas erat pene par, non par fortasse eorum qui sequebantur.—Interim variatur casibus hæc et generibus iteratio:—Magnus est labor dicendi, magna res est. . Pater hic tuus? patrem hunc appellas? patris tu hujus filius es?—Prioris sententiæ verbum ultimum, ac sequentis primum frequenter est idem: quo quidem schemate utuntur (2) poetæ sæpius;

(1) Quæ sequuntur verborum σχήματα Græce a quibusdam vocantur ἀναφορά, ἐπιστροφή, συμπλοκή, &c. Quemnam vero non tædet harum quotidianarum de figuris formularum? quæ et ipsæ frequentiores sunt, quam ut earum exempla desiderari videantur. O.

(2) Ut Lucretius ante alios—*musco contingens cuncta lepore*; cujus suavissima est illa et duorum verborum ἀναδιπλώσις,

—Proluvie larga lavere humida saxa;

Ἰμυδα saxa, super viridi stillantia musco. O.

*Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo;
Gallos, cuius amor tantum mihi crescit in horas;*

Sed ne oratores quidem raro:—Hic tamen vivit: vivit? ino vero etiam in Senatum venit. —Congregantur quoque verba idem significantia,—Quæ cum ita sint, Catilina, perge quo cœpisti: egredere aliquando ex urbe; patent portæ; proficiscere:—et in eundem alio libro, *Abiit, excessit, erupit, evasit.* . Nec verba modo, sed sensus quoque idem facientes acervantur:—Perturbatio istum mentis, et quædam scelerum offusa caligo, et ardentes furiarum faces excitarunt. —Sunt unius figuræ mixta quoque et idem et diversum significantia; —Quæro ab inimicis, sintne hæc investigata, comperta, patefacta, sublata, deleta, extincta per me? .

Hoc exemplum . . aliam quoque efficit figuram, quæ, quia conjunctionibus caret, *dissolutio* vocatur; apta, cum quid instantius dicimus; nam et singula inculcantur, et quasi plura fiunt: ideoque utimur hac figura non in singulis modo verbis, sed sententiis etiam; ut Cicero dicit contra concionem Metelli,—Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci iussi; in senatu summi positi: —Et totus hic locus. Contrarium est schema, quod conjunctionibus abundat: [illud *ἀσύνδετον*, hoc *πολυσύνδετον* dicitur:]

— *Tectumque, Iaremque,
Armaque, Anyclæumque canem, Cressamque pharetram.* .

Utrumque horum *coacervatio*. . Fons quidem unus, quia æcriora facit et instantiora, quæ dicimus, et vim quandam præ se ferentia, velut sæpius crumpentis affectus. Gradatio, quæ dicitur *κλίμαξ*, apertioreni habet artem, et magis affectatam, ideoque esse rarior debet. Est autem ipsa quoque *adjectionis*: repetit enim quæ dicta sunt; et, priusquam ad aliud descendat, in prioribus resistit. Ejus exemplum ex Græco notissimo transferatur:—Nec hæc dixi quidem, sed nec scripsi: nec scripsi quidem, sed nec obii legationem: nec obii quidem, sed nec persuasi Thebanis.—Sunt tamen erudita et Latina:—Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit. .

At quæ per *detractionem* fiunt figuræ, brevitatis novitatisque maxime gratia petuntur: quarum una est. *synecdoche*; cum subtractum verbum aliquod satis ex cæteris intelligitur; ut Cœlius in Antonium, *Stupere gaudia*

Græcus: simul enim auditur *capit.* . Altera est per de-
tractionem figura, de qua modo dictum est, cui conjunc-
tiones eximuntur: tertia, quæ dicitur *συνεξυγμένον*, in qua
unum ad verbum plures sententiæ referuntur, quarum
unaquæque desideraret illud, si sola poneretur. Id ac-
cidit, aut præposito verbo, ad quod reliqua respiciant:
—Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem
amentia:—aut illato, quo plura clauduntur:—Neque
enim is es, Catilina, ut te aut pudor nunquam a turpitu-
dine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocaverit:
—medium quoque potest esse, quod et prioribus et se-
quentibus sufficiat. .

Tertium est genus figurarum, quæ aut similitudine
aliqua vocum, aut paribus, aut contrariis, vertunt in se
aures, et animos excitant. Huic nomen est *παρωνομασία*,
quæ dicitur *agnominatio*. Ea non uno modo fieri solet. .
Ἀντανόησις, ejusdem verbi contraria significatio: cum
Proculus quereretur de filio, quod is mortem suam *expectaret*,
et ille dixisset, se vero *non expectare*: *Imo*, inquit,
rogo expectes. Non ex eodem, sed ex diverso viciniam
accipitur, cum *supplicio* afficiendum dicas, quem *suppli-*
catione dignum judicaris. Aliter quoque voces aut eadem
diversa in significatione ponuntur, aut productione tantum,
vel correctione mutata: quod, etiam in jocis frigidum,
equidem tradi inter præcepta miror; eorumque exempla
vitandi potius quam imitandi gratia pono,—Amari jucun-
dum est, si caretur nequid insit amari: Avium dulcedo
ad avium ducit. . Sed elegantius, quod est positum in
distinguenda rei proprietate:—Hanc republicæ pestem
paullisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse.—
Et quæ præpositionibus in contrarium mutantur:—Non
emissus ex urbe, sed imissus in urbem esse videatur.—
Melius atque acrius, quod cum figura jucundum est, tum
etiam sensu valet:—*Emit morte immortalitatem*. (1) Illa
levior est: *Non Pisonum, sed pistorum*: et, *ex aratore orator*.
Pessimum vero: *Ne patres conscripti videantur circum-*
scripti. . Sic contingit, ut aliquis sensus vehementer et
acer venustatem aliquam non eodem ex verbo non dis-
sonam accipiat. Et cur me prohibeat pudor uti domes-
tico exemplo? pater meus contra eum, qui se legationi
immortitum dixerat, deinde vix paucis diebus insumtis
re infecta redierat,—*Non exigo uti immoriaris legationi*;

(1) Ita ex Goth. restituimus; Gesn. alique, quod sciam, omnes: Illa
levior est: qu. figura? sed duo ponit exempla Fabius: tum pergit, Pessimam
vero—sc. ejusdem figuræ exemplum. O.

immorare; nam et valet sensus ipse, et in verbis tantum distantibus jucunde consonat vox, præsertim non captata, sed velut oblata; cum altero suo sit usus, alterum ab adversario acceperit. Magnæ veteribus curæ fuit, gratiam dicendi e *paribus* et (1) *contrariis* acquirere. Gorgias in hoc immodicus, copiosus utique prima ætate Isocrates fuit. Delectatus est his etiam M. Tullius; verum et modum adhibuit non ingratae, nisi copia redundet, voluptati, et rem alioqui levem sententiarum pondere implevit. Nam per se frigida et inanis affectatio, cum in acres incidit sensus, innata videtur esse, non accessita. (2) *Similium* fere quadruplex ratio est. Nam est *primum*, quoties verbum verbo simile, aut non dissimile valde, quaeritur; ut,

Puppesque tuæ, pubesque tuorum :

aut certe par est extremis syllabis consonans, *Non verbis, sed armis*: et hoc quoque, quoties in sententias acres incidit, pulchrum est: *Quantum possis, in eo semper experire ut prosis*: hoc est *πάρσον*, ut plerisque placuit. . *Secundum*, ut clausula similiter cadat, . *ὁμοιοτέλειον*,.—Non modo ad salutem ejus extinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam. . *Tertium* est quod in eodem casu cadit; *ὁμοιόπτalon* dicitur. . Ea vero videntur optima, in quibus initia sententiarum et fines consentiunt. . Etiam ut sint, quod est *quartum*, membris æqualibus, quod *ἰσόκωλον* dicitur:—Si, quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque judiciis impudentia valeret:—*ἰσόκωλον* est, et *ὁμοιόπτalon*—non minus nunc in causa cederet Aulus Cæcinnæ Sexti Æbutii impudentiæ, quam tum in vi faciendâ cessit audaciæ:—*ἰσόκωλον, ὁμοιόπτalon, ὁμοιοτέλειον*. .

(3) *Contrapositum* autem . . non uno fit modo. Nam et fit si singula singulis opponuntur; ut, —Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia:—

(1) Fabius tertium genus figurarum distribuerat in tria membra: Tertium est genus figurarum, quæ aut *similitudine aliqua vocum*, aut *paribus*, aut *contrariis*, vertunt in se aures: Hactenus primum membrum executus est; nunc transit ad secundum: itaque videtur aut delendum esse *contrariis*, aut addendam conjunctionem *et*; e *paribus* et *contrariis*. R. Nil delendum certe; addendam vero conjunctionem *et*; quod fecimus. O.

(2) Per *similia* intelligit hic *paria*.

(3) *Ἀντίθετον* dicitur, ait Quintilianus: qui tamen Græca Latine exprimere plerumque studet; quali fortuna jam monuimus p. 67. et alias. Cæterum, cum de *paribus* sive *similibus* dictum sit, jam de *contrariis* vel *contrapositis* incipit sermo. O.

et bina binis,—Non nostri ingenii, vestri auxilii est:—et sententiæ sententiis,—Dominetur in concionibus, jaceat in judiciis. —Fit etiam assumpta illa figura, quæ verba declinata repetuntur, quod ἀντιμεταβολὴ dicitur:—Non ut edam vivo, sed ut vivam edo:—et quod apud Ciceronem conversum ita est, ut, cum mutationem casus habeat, etiam similiter desinat:—Ut et sine invidia culpa plectatur, et sine culpa invidia ponatur. . .

Olim plura de figuris, quam necesse erat. . . Hæc omnia copiosius sunt executi, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt; sicut Cæcilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius, alique non pauci. . . Nam eos quidem auctores, qui nullum prope finem fecerunt exquirendis nominibus, præteribo: qui etiam quæ sunt argumentorum figuris adscripserunt. Ego illud de iis etiam quæ vere sunt adjiciam breviter, sicut ornant orationem opportune positæ, ita ineptissimas esse cum immodice petuntur. Sunt qui, neglecto rerum pondere et viribus sententiarum, si vel inania verba in hos modos depravarint, summos se judicent artifices; ideoque non desinunt eas nectere: quas sine sententiæ sectari tam est ridiculum, quam quærere habitum gestumque sine corpore. Sed ne hæc quidem, quæ recte fiunt, densandæ sunt nimis: nam et vultus mutatio, oculorumque conjectus, multum in actu valet; sed si quis ducere os exquisitis modis, et frontis ac luminum inconstantia trepidare non desinat, rideatur: et oratio habeat rectam quandam velut faciem; quæ, ut stupere immobili rigore non debeat, ita sæpius in ea, quam natura dedit, specie continenda est. Sciendum vero in primis, quid quisque in orando postulet *locus*, quid *persona*, quid *tempus*; major enim pars harum figurarum posita est in delectatione: ubi vero atrocitate, invidia, miseratione, pugnandum est, quis ferat contrapositis, et pariter cadentibus, et consimilibus, irascentem, flentem, rogantem? cum in his rebus cura verborum derogat affectibus fidem; et, ubicunque ars ostentatur, veritas abesse videatur.

IV. (1) De *compositione* non equidem post Marcum Tullium scribere auderem, cui nescio an ulla pars operis hujus sit magis elaborata, nisi et ejusdem ætatis homines,

(1) Hoc caput, multis in locis corruptum, cum Gothano libro contulerat Liebius. Vid. Act. Erudit. Lips. 1721. Var. Lectt. post Burman, aliosque congressit Gesnerus; sed textum plerumque Burmannianum religiosissime, ut solet, secutus, vix quantum potuit perfecisse videtur. Nos, otii et librorum copia mirus beati, oneri tamen cedere turpe ducimus. O.

scriptis ad ipsum etiam literis, reprehendere id collocandū genus nisi fuissent, et post eum plures multa ad eandem rem pertinentia memoriæ tradidissent. Itaque accedam in plerisque Ciceroni; atque in iis ero, quæ indubitata sunt, brevior; in quibusdam paulum fortasse dissentiam; nam, etiam cum iudicium meum ostendero, suum tamen legentibus relinquam. Neque ignoro quosdam esse, qui curam omnem compositionis excludant, atque illum horridum sermonem, ut forte efluxerit, modo magis naturalem, modo etiam magis virilem esse contendant. Qui si id demum naturale esse dicunt, quod a natura primum ortum est, et quale ante cultum fuit, tota hæc ars orandi subvertetur; neque enim locuti sunt ad hanc regulam et diligentiam primi homines, nec præmiis præparare, docere expositione, argumentis probare, affectibus commovere scierunt. Ergo his omnibus, non sola compositione, carnerunt: quorum si fieri nihil melius licebat, ne domibus quidem casas, aut vestibus pellium teginina, aut urbibus montes ac sylvas mutari oportuit. Quæ porro ars statim fuit? quid non cultu nitescit? cur vites coercemus manu? cur eas fodimus? rubos arvis excidimus? terra et hæc generat—mansuefacimus animalia? indomita nascuntur. Verum, id est maxime naturale, quod fieri natura optime patitur. Fortius vero (1) quid incompositum potest esse, quam junctum et bene collocatum? Neque, si parvi pedes vim detrahunt rebus, ut (2) Sotadeorum et Galliamborum, et quorundam in oratione simili pene licentia lascivientium, compositionis est iudicandum. Cæterum, quanto vehementior fluminum cursus est pronus alveo, ac nullas moras objiciente, quam inter obstantia saxa fractis aquis ac reluctantibus; tanto quæ connexa est, et totis viribus fluit, fragosa atque interrupta melior oratio. Cur ergo vires ipsas specie solvi putent, quando

(1) *Qui Gesn.* aliique: quod non omnino damnamus; namque alibi reposuimus: v. pag. 242. hic vero, propter injunctum vocalium concursum, quid ex Goth. restitimus: definit jam, quid sit *naturale*, anne fortius quid aut magis *virile* potest esse? si incompositum, quam si junctum et bene collocatum sit? vel, *ecquid*, &c. O.

(2) *Sotadei* versus sunt nunc iambici, nunc trochaici, nunc dactylii, nunc anapestici: qui retrorsum etiam leguntur, et efficiunt aliud quoddam genus carminis. *Turn.* Συρδεσις ἀναπαιστική, και μάλιστα ἰσικνια τοις κλασμοις και ἀστροις μετροις, δια μάλιστα τα Σωταδεια, Demetr. Phal. πρὸς Ἐβμηνας, 193. De Galliambis ita M. Terentianus, de Metr. 1165.

Nomenque Galliambis memoratur hinc datum,
Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos.

Porro exemplum Galliambi haud incompositum est *Atys* ille *Catulli*. O,

nec ulla res sine arte satis valeat, et comitetur semper artem decor? An non eam, quæ emissa optime est, hastam speciosissime contortam ferri videmus? et arcu dirigentium tela, quo certior manus, hoc et habitus ipse formosior? Jam in certamine armorum, atque in omni palæstra, quid satis recte cavetur ac petitur, cui non artifex motus, et certi quidam pedes adsint? Quare mihi compositione velut amentis quibusdam nervisve intendi et coucitari sententiæ videntur. Ideo eruditissimo cuique persuasum est, valere eam quam plurimum, non ad delectationem modo, sed ad motum quoque animorum. Primum, quia nihil intrare potest in affectum, quod in aure, velut quodam vestibulo, statim offendit. Deinde, quod natura ducimur ad modos: neque enim aliter eveniret, ut illi quoque organorum soni, quanquam verba non expriment, in alios tamen atque alios motus ducerent auditorem. In certaminibus sacris non eadem ratione concitant animos ac remittunt: nec eosdem modos adhibent cum bellicum est capendum, et cum posito genu supplicandum: nec idem signorum concentus est procedente ad prælium exercitu, idem receptui carmen. Pythagoreis certe moris fuit, et, cum evigilassent, animos ad lyram excitare; quo essent ad agendum erectiores; et, cum somnum peterent, ad eandem prius lenire mentes; ut, si quid fuisset turbidiorum cogitationum, componerent. Quod si numeris et modis inest quædam tacita vis, in oratione est vehementissima; quantumque interest, sensus idem quibus verbis efferatur, tantum, verba eadem qua compositione vel in exitu jungantur, vel sine claudantur: nam quædam et sententiis parva, et elocutione modica, virtus hæc sola commendat. Denique, quod cuique visum erit vehementer, dulciter, sæciose dictum, solvat et turbet: aberit omnis vis, jucunditas, decor. Solvit quædam sua in Oratore Cicero:—Nam neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos et Lælios multi venalitiæ mercatoresque superarunt:—immuta paullulum, ut sit,—multi superaverunt mercatores, venalitiique,—et sequentes deinceps periodos: quas si ad illum modum perturbes, velut fracta aut transversa tela projeceris. Idem corrigit, quæ a Graccho composita durius putat. Illum decet; nos hac simus probatione contenti, quod in scribendo, quæ se nobis solutiora obtulerint, componimus: quid enim attinget eorum exempla quærere, quæ sibi quisque experiri potest? Illud notasse satis habeo, quo puleriora et sensu et elocutione dissolveris, hoc orationem magis deformem

fore: quia negligentia collocationis ipsa verborum luce deprehenditur. Itaque ut confiteor, pene ultimam oratoribus artem compositionis, (1) quæ jam perfecta sit, contigisse; ita illis priscis habitam inter curas, in quantum adhuc profecerant, puto. Neque enim mihi quamlibet magnus auctor Cicero persuaserit, Lysiam, Herodotum, Thucydidem, parum studiosos ejus fuisse: genus fortasse sunt sectati non idem quod Demosthenes, aut Plato; quanquam et ii ipsi inter se dissimiles fuerunt: nam neque illud in Lysia dicendi textum, tenue atque rarum, lætioribus numeris corrumpendum erat: (perdidisset enim gratiam, quæ in eo maxima est, simplicis atque inaffectati coloris; perdidisset fidem quoque; nam scribebat aliis, non ipse dicebat, ut oportuerit esse illa rudibus et incompositis similia; quod ipsum compositio est:) et historiæ, quæ currere debet ac ferri, minus convenissent insistentes clausulæ, et debita actionibus respiratio, et eludendi inchoandique sententias ratio. In concionibus (2) quidem, etiam similiter cadentia quædam, et contrapposita deprehendas: in Herodoto vero cum omnia, ut ego quidem sentio, leniter fluant, tum ipsa *διὰ λεκτος* habet eam jucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa videatur. Sed de propositorum diversitate post paulum: nunc quæ prius iis, qui recte componere volent, discenda sint.

Est igitur, ante omnia, oratio alia *vineta* atque *contorta*; *soluta* alia, qualis in sermone et epistolis, nisi cum aliquid supra naturam suam tractant, ut de Philosophia, de Republica, et similibus. Quod non eo dico, quia non illud quoque *solutum* habeat suos quosdam, et forsitan difficilioribus etiam pedes: neque enim aut hære semper vocalibus, aut destitui temporibus volunt sermo et epistola; sed non fluunt, nec cohærent, nec verba de verbis trahunt: ut potius laxiora in his vincula, quam nulla sint. Nonnunquam in causis quoque minoribus decet eadem simplicitas, quæ non nullis, sed aliis utitur numeris, dissimulatque eos, et tantum communit occultius. At

(1) Ita legendum videtur; *quam* Goth. unde facile, *quæ jam*. Quantula enim est illa compositionis ars, *quæ perfecta sit!* *πολλοστοι μερως!* Modeste Inqui solet Fabius: et potest quidem ita explicari sententia; *quantulacumque sit ea ars quæ jam perfecta sit* &c. Ita postea, In quantum adhuc profecerant. Sed vid. Gesn. Var. Lectt. et supplement. Burn. O.

(2) Sc. Thucydidis; *quidem—vero*, ut *μει—δς*, apud Græcos: In concionibus quidem vel Thucydides numerosus, ultra historiæ necessitatem: in Herodoto vere &c. O.

illa *connexa* series tres habet formas, *incisa*, quæ *κόμματα* dicuntur, *membra*, quæ *μέλα*, et *περίοδον*, quæ est vel ambitus, vel circumductum, vel continuatio, vel conclusio.

In omni porro compositione tria sunt necessaria, *ordo*, *junctura*, *numerus*.

Primum igitur de *ordine*. Ejus observatio in verbis est singulis et contextis. Singula sunt quæ *ἀσύνδετα* dicimus: in his cavendum est, ne decreseat oratio, et fortiori subjungatur aliquid infirmius, ut sacrilego fur, aut latroni petulans. Augeri enim debent sententiæ, et insurgere: ut optime Cicero,—Tu, *inquit*, istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate:—aliud enim majus alio supervenit; at si cœpisset a toto corpore, non bene ad latera faucesque descenderet: Est et alius *naturalis* ordo; ut *viros ac feminas, diem ac noctem, ortum et occasum* dicas potius, quam retrorsum. Quædam ordine permutato fiunt supervacua; ut, (1) *fratres gemini*: nam si præcesserit *gemini*, *fratres* addere non est necesse. Illa nimia quorundam fuit observatio, ut vocabula verbis, verba rursus adverbis, nomina appositis, et (2) apposita pronomibus rursus essent priora: nam fit contra quoque frequenter non indecore. Necnon et illud nimie est superstitionis, ut quæque sint tempore, ea etiam facere ordine priora: non quin frequenter sit hoc melius, sed quia interdum plus valent ante gesta, ideoque levioribus superponenda sunt. *Verbo sensum cludere*, multo, si compositio patiatur, optimum est: in verbis enim sermonis vis inest: at si id asperum erit, cedat hæc ratio numeris, ut fit apud summos Græcos Latinosque oratores frequentissime. Sine dubio enim omne, quod non cludet, hyperbaton est: ipsum hoc inter tropos vel figuras, quæ sunt virtutes, receptum est. Non enim ad pedes verba dimensa sunt: ideoque ex loco transferuntur in locum, ut jungantur quo congruunt maxime: sicut in structura (3) saxorum rudium etiam ipsa enormitas invenit cui applicari, et in quo possit insistere. Felicissimus tamen

(1) Subtilius ista quam verius disputari, exemplis docet Burmannus. *Gesn.* Jam *noctes et dies* dixit Cicero; atque etiam vel apud antiquissimas gentes, sive orientales, sive boreales, *nox diei præposita* est; sed illud *potius* notandum; neque enim, si quis *naturalis* ordo, ejus nimia placet observatio. O.

(2) *Apposita* hic inseruimus ex Gothano libro: quod vel notasse forsitan satis fuerit. Ad alia enim festinamus. O.

(3) *Lapidum impolitorum* alio jam suavissimo loco dixerat, eadem usus comparatione. Vid. 8, 6, de *hyperbato*. Hi duo loci sese invicem illustrare possunt; et, ut illic *impolitor quisque* vitiosam esse lectionem, ita *virtutes*, quod jam priori sententiæ ex Goth. restitimus, veram et genuinam esse, mutuo declarant. O.

sermo est, cui et rectus ordo, et apta junctura, et cunctis his numerus opportune cadens (1) contigerit. Quædam vero transgressionibus et longæ sunt nimis, ut in superioribus diximus libris, et interim etiam compositione vitiosæ; quæ in hoc ipsum petuntur, ut exultent atque lasciviant; quales illæ Mæcenatis,—Sole et aurora rubent plurima: Inter sacra movit aqua fraxinos: Ne exequias quidem unus inter miserimos viderem meas:—quod inter hæc pessimum est, quia in re tristi ludit compositio. Sæpe tamen est velemens aliquis sensus in verbo; quod, si in media parte sententiæ latet, transiri intentione, et obscurari circumjacentibus solet; in clausula positum assignatur auditori, et infigitur; quale est illud Ciceronis, *Ut tibi necesse esset in conspectu populi Romani vomere postridie*. Transfer hoc ultimum; minus valebit: nam totius ductus hic est quasi mucro, ut per se fœdæ vomendi necessitati, jam nihil ultra expectantibus, hanc quoque adjiceret deformitatem, ut cibus teneri non posset *postridie*.

Hæc arbitror, ut in brevi, de *ordine* fuisse dicenda; qui si vitiosus est, licet et vinciat (2) apte, et opportune cadat oratio, tamen merito incomposita dicatur.

Junctura sequitur: ea est in verbis, incisio, membris, periodis; (omnia namque ista et virtutes et vitia in complexu habent) atque, ut ordinem sequar, *primum*, quæ imperitis quoque ad reprehensionem notabilis videtur, id est, qua, commissis inter se verbis duobus, ex ultima prioris ac prima sequentis syllaba deforme aliquod nomen efficitur: *tum* vocalium concursus; qui cum accedit, hiat, et intersistit, et quasi laborat oratio: pessime longæ, quæ easdem inter se literas committunt, sonabunt: præcipuus tamen erit hiatus earum, quæ cavo aut patulo maxime ore efferuntur: *E*, planior litera est, *I*, angustior; ideoque obscurius in his vitium: minus peccabit qui longis breves subjiciet, et adhuc qui præponet longæ brevem: minima est in duabus brevibus offensio: atque, cum aliæ subjunguntur aliis, perinde asperiores erunt, prout oris hiatu simili aut diverso pronuntiabuntur. Non tamen id ut crimen ingens expavescendum est; ac nescio negligentiæ in hoc, an sollicitudo sit pejor: inhibeat enim

(1) *Contingit* al. *contigit* Goth. Jam ex compendiaria scribendi ratione *contigit*, facile et pronum erat reponere *contigerit*; ut numerus opportune cadens, secundum illud Fabii præceptum, ipsi Fabio, cujus felicissimus est ubique sermo, jure quodam modo restituatur. O.

(2) Ita leg. ex Goth. Jens. &c. ubi *aperte*, vitiose pro *opörte*, seu *opportuna*. *Apte* ad juncturam, *opportune* ad numerum proprie referri videtur. O.

necesse est hic metus impetum dicendi, et a potioribus avertat. Quare, ut negligentia pars est hoc pati, ita humilitatis ubique perhorrescere: nimiosque non immerito in hac cura putant omnes Isocratem secutos, præcipue Theopompum; at Demosthenes et Cicero modice respexerunt ad hanc partem. Nam et coeuntes literæ, quæ *συναλοιφῆ* dicitur, etiam leniorem faciunt orationem, quam si omnia verba suo fine cludantur; et nonnunquam hiuleæ etiam decent, faciuntque ampliora quædam: ut, *Pulcra oratione acta omnino jactare*: tum longæ per se et velut optimæ syllabæ aliquid etiam mediæ temporis inter vocales, quasi intersistatur, assumunt. Qua de re utar Ciceronis potissimum verbis:—Habet, inquit, ille tanquam hiatus et concursus vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingrati negligentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis.

Cæterum consonantes quoque, æque præcipue quæ sunt asperiores, in commissura verborum rixantur; ut *S* ultima cum *S* proxima; quarum tristior etiam, si binæ colliduntur, stridor est; ut, *ars studiorum*: quæ fuit causa et Servio subtrahendæ *S* literæ, quoties ultima esset, aliaque consonante susciperetur; quod reprehendit (1) L. Afranius, Messala defendit; nam neque Lucilium putant uti eadem ultima, cum dicit, *serenu' fuit, et dignu' loco*. Quinetiam Cicero in Oratore plures antiquorum tradit sic locutos: inde, *belligerare*, (2) per *meridiem*, et illa Censorii Catonis, *die' hanc*; æque *m* litera in *i* et *e* mollita: quæ in veteribus libris reperta mutare imperiti solent; et, dum librariorum insectari volunt inscientiam, suam confitentur. Atqui eadem illa litera, quoties ultima est, et vocalem verbi sequentis ita contingit ut in eam transire possit, etiam si scribitur, tamen parum exprimitur: ut, *Multum ille—, et, Quantum erat—*: adeo ut pene cujusdam novæ literæ sonum reddat: neque enim eximitur, sed obscuratur, et tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsæ cocant. Videndum etiam, ne syllabæ verbi prioris ultimæ sint primæ sequentis: id nequis præcipi miretur, Ciceroni in epistolis excidit, *Res mihi invisæ visæ sunt, Brute*: et in carmine,

(1) *Lauranius* Gesn. alique; nimis fideliter ex MSS. semibarbaris. *Tatavi* vel hodie literam *F*, ut rustici inter nos, quasi *V* efferunt: unde *Aranius*, in MSS. *auranius*, homo *ignorabilis*, ut fatetur in Indice Gesneras, pro *Afranius*. Vid. ed. Argent. O.

(2) *Belligerare* pro eo quod fuit *bellum gerere*; per *meridiem*, per *mediam diem*; *die' hanc, diem hanc*, &c; æque *m* litera in *i* et *e* (ita enim legimus) mollita. O.

O fortunatam natam me consule Romam!

Etiam monosyllaba, si plura sunt, male continuabuntur; quia necesse est compositio multis clausulis concisa subsul- tet: ideoque etiam brevium verborum ac nominum vitanda continuatio: et ex diverso quoque longorum; afferunt enim quandam dicendi tarditatem. Illa quoque vitia sunt ejusdem loci, si cadentia similiter, et similiter desi- nentia, et eodem modo declinata, multa jungantur: ne verba quidem verbis, aut nomina nominibus quoque si- milia (1) nimis continuari decet; cum virtutes etiam ipsæ tædium pariant, nisi gratia varietatis adjunctæ.

Membrorum, incisorumque junctura non eo modo est observanda, quo *verborum*: quanquam et in his extrema et prima coeunt. Sed plurimum refert compositionis, quæ quibus anteponas: nam *et, vomens frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal im- plevit*: et contra (nam frequentius utar iisdem diversarum quoque rerum exemplis, quo sint magis familiaria) *Saxa atque solitudines vocis respondent; bestię sæpe immanes cantu flectuntur atque consistunt*: magis insurgebat, si verteretur; nam plus est *saxa* quam *bestias* commoveri; vicit tamen compositionis decor. Sed transeamus ad *nu- meros*.

Omnis structura ac dimensio et copulatio vocum con- stat aut numeris, (numeros *ἴσθμῶς* accipi volo) aut *μέτρῳ*, id est, dimensione quadam. Quod etiam si constat utrumque pedibus, habet tamen non simplicem differen- tiam: nam *rhythmi*, id est, numeri, spatio temporum constant; *metra* etiam ordine: ideoque alterum esse quantitatis videtur, alterum qualitatis. *ῥεθμῶς* aut *par* est, ut *dactylus*; unam enim syllabam parem brevibus habet: (est quidem vis eadem et aliis pedibus, sed nomen illud tenet: *longam* esse duorum temporum, *brevem* unius, etiam pueri sciunt :) aut *sescuplex*, ut *pæon*; cujus vis est ex longa et tribus brevibus; quique ei contrarius, ex tribus brevibus et longa; vel alio quocunque modo tempora tria ad duo relata sescuplum faciunt: aut *duplex*, ut *iambus*; nam est ex brevi et longa; quique est ei contrarius. Sunt hi et metrici pedes: sed hoc interest; quod *rhythmo*

(1) Cum corruptus admodum hic locus nobis videretur, levissima muta- tione ex fumo dare lucem conati sumus: illis—*ne*—quidem, et *quoque*, adsti- pulantur Goth. Jens. al. in *his*, factum forsitan ex compendio nis, latere nimis suspicamur. Respicere videtur Fabius ad illas ex *similitudine aliqua vocum* &c. ductas figuras, quæ, etiam si virtutes habeantur et sint, nimis tamen captatæ tædium pariunt. O.

indifferens est, dactylusne ille priores habeat breves, an sequentes; tempus enim solum metitur, ut a (1) sublatione ad positionem iisdem sit spatii pedum: (2) proinde alia est dimensio *versuum*; nam in versu pro dactylo poni non poterit anapæstus aut spondeus; nec pæon eadem ratione a brevibus incipiet ac desinet. Neque solum alium pro alio pedem metrorum ratio non recipit, sed ne dactylum quidem aut forte spondeum, alterum pro altero: itaque si quinq; continuos dactylos, ut sunt in illo,

Panditur interea domus omnipotentis olympi,

confundas, solveris versum. . *Collocatio* autem verba jam probata, et electa, et velut assignata sibi debet connectere: nam vel dura inter se commissa potiora sunt inutilibus. Tamen et eligere quædam, dum ex iis quæ idem significant, atque idem valeant, permiserim: et adjicere, dum non otiosa: et detrahere, dum non necessaria: sed et figuris mutare et casus et numeros, quorum varietas frequenter, gratia compositionis adscita, etiam sine numero solet esse jucunda. Etiam ubi aliud ratio, aliud consuetudo poscit, utram volet sumat compositio; *vitavisse* vel *vitasse*, *deprehendere* vel *deprendere*. Coitus etiam syllabarum non uegabo, et quidquid sententiis aut eloquentiæ non nocebit. Præcipuum tamen in hoc opus est, scire quod quoque loco verbum maxime quadret. Atque is optime componet, qui hoc solum (3) gratia componendi faciet.

Ratio vero pedum in oratione est multo quam in versu difficilior: primum, quod versus paucis continetur; oratio longiores habet sæpe circuitus: deinde, quod versus semper similis sibi est, et una ratione decurrit; orationis compositio, nisi varia est, et offendit similitudine, et affectatione deprehenditur. Et in omni quidem corpore, totoque (ut ita dixerim) tractu, numeris inserta est: neque enim loqui possumus nisi e syllabis brevibus ac longis, ex

(1) Alludit ad morem Musicorum, qui pedis vel manus *sublacione* et *positione* tempora metiuntur. *R.* Hanc pedis *sublacionem* et *positionem* ἀρεσις et Σέσις vocabant Græci. *O.*

(2) Illa ex Jenson. ed. una cum Gothano libro confecimus; ne, si a Fabio sunt, Fabianum quid temere rejiciamus. Quod sequitur, non sine ulla exceptione verum est: nam apud Virg. *Fluviorum* rex Eridanus—et—Magnum Jovis incrementum. *O.*

(3) Legendum putem: qui non hoc solum, &c. *R.* Sed illo sensu scripsisset *non componendi solum gratia*—jam hoc et nihil ultra intelligendum; luc usque indulgendum compositioni. *O.*

quibus pedes fiunt: magis tamen et desideratur in *clausulis*, et apparet: primum, quia sensus omnis habet suum finem, possidetque naturale intervallum, quo a sequentis initio dividatur; deinde, quod aures, continuam vocem secuta, ductaque velut prono decurrentis orationis flumine, tum magis judicant, cum ille impetus stetit, et intuendi tempus dedit. Non igitur durum sit, neque abruptum, quo animi velut respirant ac reficiuntur: hæc est sedes orationis, hoc auditor expectat, hic laus omnis (1) et acclamatio. Proximam clausulis diligentiam postulant *initia*; nam et ad hæc intentus auditor est: sed eorum facilior ratio est; non enim cohærent aliis, nec præcedentibus serviunt, sed novum exordium sumunt; eum illa, quamlibet sit composita, ipsam gratiam perdat, si ad eam rupta via veniamus. Namque cum sit, ut videtur, severa Demosthenis compositio, *πρῶτον μὲν, ὃ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς ἑυχομαι πᾶσι καὶ πάσαις*, et illa quæ ab uno, quod sciam, Bruto minus probatur, cæteris placet, *καὶ μήπω βόλλη μηδὲ τοξείη*, non desunt qui Ciceronem carpant in his,—Familiaris cœperat esse balneari:—et non minus dura,—Archipiratæ:—nam balneari et archipiratæ idem finis est qui *πᾶσι καὶ πάσαις* et qui *μηδὲ τοξείη*: sed (2) priora propria sunt, ideo severiora. Est in eo quoque nonnihil, quod hic singulis verbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus est permolle: nec solum ubi quinæ syllabæ nectuntur, ut in his, *Fortissima Tyndaridarum*; sed etiam ubi quaternæ, eum versus cluditur *Apennino*, et *armamentis*, et *Orioka*. Quare hoc quoque vitandum est, ne plurium syllabarum verbis utamur in fine. *Mediis* quoque non ea modo cura sit, ut inter se cohæreant, sed ne pigra, ne longa sint; ne, quod nunc maxime vitium est, brevium contextu resultent, ac sonum reddant pene puerilium crepitanorum. Nam, ut initia clausulæque plurimum momenti habent, quoties incipit

(1) Ita vel ex conjectura contra omnes libros MSS. vel edd. erat legendum: neque vero adeo repugnare videtur antiquæ scripturæ ratio compendiarîa *l'acclamul'*; unde illa omnium vitiosa lectio *declamat*. *Esclamat* malnit Rollius; sed, quo modo *laus* vel *declamare* vel *exclamare* potest, non videmus. *Declamatoris* conj. Burmannus; male, si quid aures nostri quidem possunt judicare; syllabæ enim longæ continuantur *novem!* nec dura illa clausula sequentibus suscipi ac sustineri potest. Haud ita procul aberat a vera lectione Gesn. et *clamor*. V. 8, 3, 3. 8, 5, 11, et 14. 12, 5, 1. G. O.

(2) *Præcedentia*, quibus servire solent clausulæ, in Cicerone sunt *propria*; non *translata* vel *figurata*; ideo *severiora*, i. e. duriora, minus jucunda. Porro, pro *dura* conj. Gesn. *duro*; sed *clausula* vel *compositio* subintelligendum est. O.

sensus aut desinit, sic in mediis quoque sunt quidam (1) gradus, qui leviter insistunt; ut currentium pes, etiam si non moratur, tamen vestigium facit. Itaque, non modo membra atque incisa bene incipere atque cludi decet, sed etiam in iis quæ non dubie contexta sunt, nec respiratione utuntur, spiritum sustineri. Quis enim dubitet unum sensum et unius spiritus esse;—Animadverti, judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes?—Tamen et duo prima verba, et tria proxima, et deinceps duo rursus, ac tria, suos quasi numeros habent. Illi velut occulti gradus (sicut apud rhythmicos æstimantur hæ particulæ) prout sunt graves, acres, lenti, celeres, remissi, exultantes, proinde id, quod ex illis conficitur, aut severum, aut luxuriosum, aut quadratum, aut solutum erit. Quædam etiam clausulæ sunt claudæ atque pendent, si relinquuntur; sed sequentibus suscipi ac sustineri solent, eoque facto vitium, quod erat in fine, continuatio emendat. *Non vult P. R. obsoletis criminibus accusari Verrem*: durum, si desinas; sed, cum est continuatum iis quæ sequuntur, quanquam natura ipsa divisa sint, *Nova postulat, inaudita desiderat*, salvus est cursus. *Ut adeas, tantum dabis*: male cluderet; nam et trimetri versus pars ultima est; excipit, *Ut cibum vestitumque intro ferre liceat, tantum*: præceptus adhuc; firmatur ac sustinetur ultima, *Recusabat nemo*.

Versum in oratione fieri multo fœdissimum est *totum*: sicut etiam in *parte* deforme; utique si pars posterior in clausula deprehendatur, aut rursus prior in ingressu: nam quod est contra sæpe etiam decet; quia et cludit interim optime prima pars versus, dum intra paucas syllabas, præcipue senarii atque octonarii:—*In Africa fuisse*, initium senarii est; *esse videatur*, jam nimis frequens, octonarium inchoat:—et ultima versuum initio conveniunt orationis, *Etsi vereor, judices*; et, *Animadverti, judices*. Sed initia initiis non conveniunt: T. Livius hexametri exordio cœpit, *Facturusne operæ pretium sim*; nam ita edidit, estque melius quam quo modo emendatur: nec clausulæ clausulis: ut Cicero, *Quo me vertam nescio*; qui trimetri finis est; et, Pro misero dicere liceat. Pejus

(1) Ita hic, ut infra quædam, legimus ex conjectura, doctis tamen, ut speramus, probabili. Qui sunt enim illi *conatus* qui leviter insistunt, vel, ut alii maluerunt, intersistunt? *gradus* a tem sunt quæ apud rhythmicos Græce vocantur *βάσεις*, de quibus mox: Illi velut occulti gradus &c. Sic bene inter se coherent omnia in loco alioquin vexatissimo. Vid. et 8, 6, 38. Gesn. ubi emendanda quædam Gesnerus reliquit; nos vero aliud nunc agimus. O.

claudit finis hexametri: ut Brutus in epistolis,—Neque enim illi malant habere tutores aut defensores, quanquam sciunt placuisse Catoni. .

Sed quia omnem orationem constare pedibus dixi, aliqua de iis quoque; quorum nomina quoniam varia esse traduntur, constituendum est, quo quemque appellemus. It quidem Ciceronem sequar; (nam is eminentissimos Græcorum est secutus) excepto, quod pes mihi tres syllabas non videtur excedere; quæquam ille pæone (1) dochmioque, quorum prior in quatuor, secundus in quinque incurrit, utatur. Nec tamen ipse dissimulat, quibusdam numeros videri, non pedes: nec immerito; quidquid enim supra tres syllabas habet, id ex pluribus est pedibus. Ergo, cum constent *quatuor* pedes binis, *octo* ternis; spondeum, longis duabus; pyrrhichium, quem alii pariambum vocant, brevibus; iambum, brevi longaque; huic contrarium e longa et brevi, choreum nos, ut alii trochæum, nominemus. Ex iis vero qui ternas syllabas habent; dactylum, longa duabusque brevibus; huic temporibus parem, sed retroactum, appellari constat anapaestum: media inter longas brevis faciet amphimacrum, sed frequentius ejus nomen est creticus; longa inter breves, amphibrachys; duabus longis brevem sequentibus, bacchius; totidem longis brevem præcedentibus, huic contrarius, palimbacchius erit: tres breves trochæum, quem tribrachyn dici volunt, qui chorco trochæi nomen imponunt; totidem longæ molosson efficiunt.

Horum pedum nullus non in orationem venit. Sed quo quique sunt temporibus pleniore longisque syllabis magis stabiles, hoc graviorem faciunt orationem; breves celerem ac mobilem. Utrumque locis utile. Nam et illud, ubi opus est velocitate, tardum et segne: et hoc, ubi pondus exigitur, præceps ac resultans merito damnetur. . . Næc vero in literis syllabisque natura mutatur, sed refert quæ cum quaque optime coeat. Plurimum igitur auctoritatis, ut dixi, et ponderis habent longæ, celeritatis breves: quæ si miscentur quibusdam longis, currunt; si continuantur, exultant. . . Nec solum refert quis cludat, sed quis antecedit. Retrorsum autem neque plus tribus; iique, si non ternas syllabas habebunt, repetendi sunt; absit tamen poetica observatio; neque minus duobus; alioqui pes erit, non numerus. Potest tamen vel unus esse

(1) *Dochmus* apud Ciceronem et Fabium primam habet brevem, deinde duas longas, quartam brevem, ultimam longam: ut, *amicos leves*. Grammatici nonnulli volunt duas primas esse breves, ut *hyacinthini*. Turn.

dichoreus, si unus est qui constat ex duobus choreis: itaque pæon, qui est ex choreo et pyrrhichio, quem aptum initiis putant; vel contra qui est ex tribus brevibus et longa, cui clausulam assignant: de quibus fere duobus scriptores hujus artis loquuntur; alios omnes, quotcumque sint temporum, qui ad orationem pertineant, pæonas appellant. Est et dochimus, qui fit ex bacchio et iambo, vel iambo et cretico, stabilis in clausulis et severus. Spondeus quoque, quo plurimum est Demosthenes usus, moram semper per se habet: optime præcedet cum creticus; ut in hoc: *De quo ego nihil dicam nisi depellendi criminis causa*. Illud est quod supra dixi, multum referre, unone verbo pedes sint duo comprehensi, an uterque liber: sic enim fit forte, *criminis causa*; molle, *archipirata*; mollius, si tribrachys præcedat, *facilitates, temeritates*: est enim quoddam in ipsa divisione verborum latens tempus, ut in pentametri medio spondeo: qui nisi alterius verbi fine, alterius initio constet, versum non efficit. . Cludet dichoreus, si pes idem sibi ipsi jungetur; quo Asiani sunt usi plurimum: ejus exemplum Cicero ponit, *Patris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit*. Accipiet ante se choreus et pyrrhichium: *Omnes prope cives virtute, gloria, dignitate superabat*. Cludet et dactylus, nisi eum observatio ultimæ creticum facit; ut, *Muliercula nixus in littore*. Habebit ante bene creticum et iambum, spondeum male, pejus choreum. Cludit amphibrachys, *Q. Ligarium in Africa fuisse*; si non etiam malumus esse bacchium. . Creticus est initiis optimus, *Quod peccatus a diis immortalibus sum*; et clausulis, *In conspectu populi Romani vomere postridie*: apparet vero quam bene eum præcedat vel anapæstus, vel ille, qui videtur fini aptior, pæon: sed et se ipse sequitur, *Sevare quam plurimos*. .

Nec ego, cum præcedentes pedes posui, legem dedi, ne alii essent; sed quid fere accideret, quod in præsentia videretur optimum, ostendi. Et quidem optime est sibi junctus anapæstus, ut qui sit pentametri finis, vel (1) rhythmus qui nomen ab eo traxit: *Nam ubi libido dominatur, innocentie leve præsidium est*: nam synalæphe facit, ut ultimæ syllabæ pro una sonent. Melior fiet præcedente spondeo vel bacchio; ut si mutas idem, *Leve innocentie præsidium est*. .

(1) Per rhythmum anapæsticum significare videtur carmen anapæsticum monometrum, quod constat duobus anapæstis. *Turu.*

Totus vero hic locus non ideo tractatur a nobis, ut oratio, quæ ferri debet ac fluere, dimetiendis pedibus ac perpendendis syllabis consenescat: nam id tum miseri, tum in minimis occupati est. Neque enim, qui se totum in hac cura consumserit, potioribus vacabit; siquidem, relicto rerum pondere, ac nitore contempto, *tesserulas* (ut ait (1) Lucilius) struet, et *vermiculate* inter se *lexeis* committet. Nonne ergo refrigeretur sic calor, et impetus pereat? ut equorum cursum qui dirigit minuit, et passus qui æquat cursum frangit: quasi numeri non fuerint in compositione deprehensi. Sicut poema nemo dubitaverit, imperito quodam initio fusum, et aurium mensura, et similiter decurrentium spatiorum observatione esse generatum, mox in eo repertos pedes. Satis igitur in hoc nos componit multa scribendi exercitatio, ut ex tempore etiam similia fundamus.

Neque vero tam sunt intuendi pedes, quam universa comprehensio: ut versum facientes totum illum decursum, non sex vel quinque partes ex quibus constat versus, aspiciunt: ante enim carmen ortum est, quam observatio carminis: indeque (2) illud,

Versibu' quos olim Fauni vatesque canebant.

Ergo quem in poemate locum habet (3) versificatio, eum in oratione compositio. Optime autem de illa judicant aures, quæ et plena sentiunt, et parum expleta desiderant, et fragosis offenduntur, et lenibus mulcentur, et contortis excitantur, et stabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia et nimia fastidiunt. Ideoque docti rationem componendi intelligunt, indocti voluptatem.

(1) Apud Cic. de Orat. 3, 45, et in Orat. 44, laudantur hi versus:

*Quam lenide lexeis composte! ut tesserula omnes
Arte pavimento atque emblemate vermiculato!*

Appellat autem *tesserulas*, ait ille Pseudo-Turnebus, lapillos quadratos, apte formatos, quibus struuntur pavimenta, quæ dicuntur *tessellata*. *Vermiculatum* autem appellamus opus, quod constat minutis quidem sed variis formis, representatque diversas species. O.

(2) Hoc versu Ennius significare volebat se primum apud Latinos apte carmen condidisse, quasi priores poetæ uterentur versibus impolitis et incomitis, cujusmodi olim citra observationem a Faunis reddebantur in oraculis. Turn.

(3) *Versificatio* est observatio legis et pedum in carmine: unde *versificatores* appellantur, qui carmina condunt ex lege, etsi tamen non tam apte poetæ vocari debeant: nam poeta nescio quid augustius habet. Turn.

Quædam vero arte tradi non possunt. Mutandus est casus, si durius is, quo cœperamus, feratur: nam, in quem transeamus ex quo, præcipi potest? Figuræ laboranti etiam compositioni variatæ sæpe succurrunt: quæ? cum orationis, tum etiam sententiæ: num præscriptum ejus rei ullum est? occasionibus utendum, et cum re præsentī deliberandum. Enimvero spatia ipsa, quæ in hac quidem parte plurimum valent, quod possunt, nisi aurium, habere judicium? Cur alia paucioribus verbis satis plena, vel nimium, alia pluribus brevia et abscessa sunt? Cur in circumductionibus, etiam cum sensus finitus est, aliquid tamen loci vacare videtur?—Neminem vestrum ignorare arbitror, judices, hunc per hosce dies sermonem vulgi, atque hanc opinionem populi Romani fuisse:—cur *hosce* potius, quam *hos*? neque enim erat asperum: rationem fortasse non reddam; sentiam esse melius. Cur non satis sit, *sermonem vulgi fuisse*? compositio enim patiebatur: ignorabam, sed ita ut audio, hoc animus accipit, plenum sine hac geminatione non esse. Ad sensum igitur referenda sunt. Nequeas satis forte quid severum, quid jucundum sit, intelligere: facias quidem natura duce melius quam arte, sed naturæ ipsi ars inerat.

Illud prorsus oratoris, scire, ubi quoque genere compositionis sit utendum. Ea duplex observatio: altera, quæ ad pedes refertur; altera, quæ ad comprehensiones quæ efficiuntur ex pedibus. Et de iis prius.

Diximus igitur esse incisa, membra, circuitus.

Incisum, quantum in ea fert opinio, erit sensus non expleto numero conclusus; plerisque pars membri: tale est enim quo Cicero utitur, *Domus tibi deerat? at habebas: pecuniâ superabat? at egebas*; fiunt autem etiam singulis verbis incisa; ut, *Diximus, testes dare volumus*: incisum est, *diximus*. *Membrum* autem est sensus numeris conclusus, sed a toto corpore abruptus, et per se nihil efficiens: id enim, *O callidos homines!* perfectam est; et remotum a cæteris, vim non habet: ut per se manus, et pes, et caput: et, *O rem excogitatum! o ingenia metuenda!* Quando ergo incipit corpus esse? cum venit extrema conclusio: *Quem, quæso, nostrum fefellit, id vos ita esse facturos?* quam Cicero brevissimam putat. Itaque fere incisa et membra mista sunt, et conclusionem utique desiderant. *Periodo* plurima nomina dat Cicero; ambitum, circuitum, comprehensionem, continuationem, circumscriptionem. Genera ejus duo sunt: alterum simplex, cum sensus unus longiore ambitu circumducitur; alterum, quod constat

membris et incisus, quæ plures sensus habent: *Aderat janitor carceris, et carnifex prætoris, et reliqua.* Habet periodus membra minimum duo: medius numerus videtur quatuor: sed recipit frequenter et plura. Modus ei a Cicerone aut quatuor senariis versibus, aut ipsius spiritus modo terminatur. Præstare debet, ut sensum concludat: sit aperta, ut intelligi possit: non immodica, ut memoria contineri.

Membrum longius justo, tardum; brevius instabile est.

Ubiunque acriter erit et instanter pugnaciterque dicendum, *membratim casimque* dicemus: nam hoc in oratione plurimum valet: adeoque rebus accommodanda compositio, ut asperis asperos etiam numeros adhiberi oporteat, et cum dicente æque audientem inhorrescere. Membratim plerumque narrabimus, aut ipsas periodos majoribus intervallis, et velut laxioribus nodis resolvemus: exceptis, quæ non docendi gratia sed ornandi narrantur; ut, in Verrem, *Proserpina raptus*: hæc enim lenis et fluens contextus decet. *Periodus* apta proœmiis majorum causarum, ubi sollicitudine, commendatione, miscratione res eget; item communibus locis, et in omni amplificatione: sed poscitur tum austera, si accuses; tum fusa, si laudes. Multum et in epilogis pollet. Totum autem adhibendum est, quo sit amplius compositionis genus, cum iudex non solum rem tenet, sed etiam captus est oratione, et se credit actori, et voluptate jam ducitur.

Historia non tam finitos numeros, quam orbem quemdam contextumque desiderat. Namque omnia ejus membra connexa sunt, quoniam lubrica est, ac fluit: ut homines, qui manibus invicem apprehensis gradum firman, continent et continentur. Demonstrativum genus omne fusiores habet liberioresque numeros. Judiciale et conzionale, ut materia varium est, sic etiam ipsa collocatione verborum.

Ubi jam nobis pars ex duabus, quas modo fecimus, secunda tractanda est. Nam quis dubitat alia lenius, alia concitatius, alia sublimius, alia pugnacius, alia gravius esse dicenda? gravibus, sublimibus, ornatis, longas magis syllabas convenire? ita ut lenia (1) spatium, sublimia et ornata claritatem quoque vocum poscant, potius quam his contraria. Magis laudarem brevibus argumenta, par-

(1) Spatium longius in pronuntiando. R. Vid. not. prox. seq. O.

titiones, jocos: et quidquid est sermoni magis simile. Itaque componemus *proœmium* varie, atque ut sensus ejus postulabit. . Nam judicis animus varie præparatur: tum miserabiles esse volumus, tum modesti, tum acres, tum graves, tum blandi: tum flectere, tum ad diligentiam hortari. Hæc ut sunt diversa natura, dissimilem componendi quoque rationem desiderant. An similibus Cicero usus est numeris in exordio pro Milone, pro Cluentio, pro Ligario? *Narratio* fere tardiores, atque, ut sic dixerim, modestiores desiderat pedes, et nominibus maxime mistos. Nam et verbis ut sapius pressa est, ita interim insurgit: sed docere et infligere animis res semper cupit: quod minime festinantium opus est. Ac mihi videtur tota narratio constare longioribus membris, brevioribus periodis. *Argumenta* acria et citata pedibus quoque ad hanc naturam accommodatis utentur; non tamen ita ut trochæis, qui celeres quidem, sed sine viribus sunt: verum, quamvis sint brevibus longisque mista, non tamen plures longas quam breves (1) habebunt. Illa lenia et sublimia spatiosas clarasque voces amant, amplitudinem dactyli quoque, ac pæonis, etiamsi majori ex parte syllabis brevibus, temporibus tamen satis pleni. Aspera contra iambis maxime concitantur: non solum quod sint e duabus modo syllabis, eoque frequentiore quasi pulsum habent, quæ res lenitati contraria est; sed etiam quod omnibus partibus insurgunt, et a brevibus in longas nituntur et crescunt. Ideoque meliores choreis, qui a longis in breves cadunt. Submissa, qualia in *epilogis*, lentas et ipsa et minus exclamantes exigunt. . Denique, ut semel finiam, sic fere componendum, quo modo pronuntiandum erit. An non in proœmiis plerumque submissi, nisi cum in accusatione concitandus est iudex, aut aliqua indignatione complendus; in narratione pleni atque expressi; in argumentis citati, atque ipso etiam motu celeres sumus? ut in locis ac descriptionibus fusi ac fluentes, in *epilogis* plerumque dejecti et infracti? Atque corporis quoque motui sua quædam tempora; et ad signa pedum non minus saltationi, quam modula-

(1) Pro *habentia*, legendum putem, *habeant*. Argumenta possunt misceri brevibus et longis syllabis; non tamen plures longas quam breves habeant. *R.* Locus valde, ut videtur, corruptus; a Gesnero tamen silentio prætermisus. Nos, ad compendia respicientes, *håbunt 7a læta l' — — aant*, &c. copiosam errorum suppellectilem ibi latere suspicamur. Qui vero receptam lectionem Fabiano candore satis dignam judicabunt, iis frustra et hic et alias laboramus. O.

tionibus, adhibet musica ratio numeros. Quid? non vox et actus accommodatur naturæ ipsarum de quibus dicimus rerum? Quo minus id mirum in pedibus orationis, cum debeant sublimia ingredi, lenia duci, acria currere, delicata fluere. Itaque, ubi est necesse, affectamus etiam tumorem, qui spondeis atque iambis maxime continetur:

En impero Argis! sceptrâ mi liquit Pelops. .

Asperum vero et maledicum etiam in carmine iambis grassatur:

*Quis hoc potest videre? quis potest pati?
Nisi impudicus, et vorax, et aleo?*

In universum autem, si sit necesse, duram potius atque asperam compositionem malim esse, quam effeminatam et enervem, qualis apud multos: et quotidie magis lascivius, Sybaritarum modis saltitantes. At ne tam bona quidem ulla erit, ut debeat esse continua, et in eisdem semper pedes ire. Nam et versificandi genus est, unam legem omnibus sermonibus dare: et id cum manifesta affectatione, cujus rei maxime cavenda suspicio est, tum etiam similitudine tædium ac satietatem creat: quoque est dulcius, eo magis perdit amittitque et fidem, et affectus, motusque omnes, qui est in hac cura deprehensus: nec potest ei credere, aut propter eum dolere et irasci iudex, cui putat hoc vacare. Ideoque vincita quædam quasi solvenda de industria sunt; et quidem illa maximi laboris, ne laborata videantur. Sed neque longioribus quam oportet hyperbatis compositioni serviamus; ne, quæ ejus gratia fecerimus, propter eam fecisse videamur. Et certe nullum aptum atque idoneum verbum prætermitemus gratia lenitatis: neque enim erit ullum tam difficile, quod non commode inseri possit, nisi quod in evitandis ejusmodi verbis non decorem compositionis quarimus, sed facilitatem. Non tamen mirabor, Latinos magis indulsisse compositioni quam Atticos, quamvis minus in verbis habeant varietatis et gratiæ: nec vitium dixerim, si Cicero a Demosthene paululum in hac parte descivit: sed quæ sit differentia nostri Græcique sermonis, explicabit summus liber.

Compositio, nam finem imponere egresso destinatum modum volumini festino, debet esse honesta, jucunda,

varia. Ejus tres partes, ordo, conjunctio, numerus: ratio, in adjectione, detractio, mutatio: usus, pro natura rerum quas dicimus: cura (1) magna; ut sentiendi atque loquendi prior sit: dissimulatio curæ præcipua, ut numeri sponte fluxisse, non arcessiti et coacti esse videantur,

(1) *Cura magna compositionis debet esse; ita ut tamen cura sentiendi atque loquendi prior sit.* R. Duriuscula interpretatio: et fortasse locus planior et Fabio dignior erit, si legamus *at* pro *ut*, cujus mox repetiti sonus auribus jucundior videri potest. O.

M. FABII QUINTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER X.

I. **S**ED hæc eloquendi præcepta, sicut cognitioni sunt necessaria, ita non satis ad vim dicendi valent, nisi illis firma quædam facilitas, quæ apud Græcos *ῥῆξις* nominatur, accesserit: quam *scribendo* plus, an *legendo*, an *dicendo* consequamur, solere quæri scio. Quod esset diligentius nobis examiuandum, si qualibet earum rerum possemus una esse contenti: verum ita sunt inter se connexa et indiscreta omnia, ut, si quid ex his defuerit, frustra sit in cæteris laboratum. Nam neque solida atque robusta fuerit unquam eloquentia, nisi multo stylo vires acceperit; et citra lectionis exemplum labor ille carens rectore fluit. Qui autem scierit, quo sint quæque modo dicenda, nisi tanquam in procinctu paratam quidem ad omnes casus habuerit eloquentiam, velut clausis thesauris incubabit.

Non autem, ut quidque præcipue necessarium est, sic ad efficiendum oratorem maximi protinus erit momenti. Nam certe, cum sit in eloquendo positum oratoris officium, *dicere* ante omnia est; atque hinc initium ejus artis fuisse manifestum est: proximam deinde *imitationem*: novissimam *scribendi* quoque diligentiam. Sed, ut perveniri ad summa nisi ex principiis non potest, ita, procedente jam opere, minima incipiunt esse quæ prima sunt.

Verum nos, non quo modo sit instituendus orator, hoc loco dicimus; nam id quidem aut satis, aut certe uti potuimus, a nobis dictum est; sed ut athletam, qui omnia jam perdidicerit a præceptore, nimirum, quo genere exercitationis ad certamina præparandus sit; ita eum, qui res invenire et disponere scierit, verba quoque et eligendi

et collocandi rationem perceperit, instruamus qua ratione, quæ didicerit, facere quam optime et quam facillime possit. Num ergo dubium est, quin ei velut opes sint quædam parandæ, quibus uti, ubicunque desideratum erit, possit? Eæ constant *copia rerum ac verborum*. Sed res propriæ sunt cujusque causæ, aut paucis communes: *verba* in univer-as paranda: quæ, si rebus singulis essent singula, minorem curam postularent; nam cuncta sese cum ipsis protinus rebus offerrent; sed, cum sint aliis alia aut magis propria, aut magis ornata, aut plus efficientia, aut melius sonantia, debent esse non solum nota omnia, sed in promptu, atque (ut ita dicam) in conspectu: ut, cum se iudicio dicentis ostenderit, facilis ex his optimorum sit electio.

Equidem scio, quosdam collecta quæ idem significarent vocabula solitos ediscere, quo facilius et occurreret unum ex pluribus, et, cum essent usi aliquo, si breve intra spatium rursus desideraretur, effugiendæ repetitionis gratia sumerent aliud, quo idem intelligi posset: quod cum est puerile, et cujusdam infelicis operæ, tum etiam utile parum; turbam enim modo congregat, ex qua sine discrimine occupet proximum quodque. Nobis autem copia cum iudicio paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus. Id autem consequemur optima legendo atque audiendo: non solum enim nomina ipsa rerum cognoscemus ac cura, sed cui quodque loco sit aptissimum. Omnibus enim fere verbis, præter pauca quæ sunt parum verecunda, in oratione locus est: nam scriptores quidem iamborum, veterisque comædiæ, etiam in illis sæpe laudantur: sed nobis nostrum opus interim tueri satis est. Omnia verba, exceptis de quibus dixi, sunt alicubi optima: nam et humilibus interim et vulgaribus est opus; et, quæ cultiore in parte videntur sordida, ubi res poscit, proprie dicuntur. Hæc ut sciamus, atque eorum non significationem modo sed formas etiam mensurasque norimus, ut ubicunque erunt posita convenient, nisi multa *lectione* atque *auditione* assequi non possumus: cum omnem sermonem auribus primum accipiamus. Propter quod (1) infantes a mutis nutricibus jussu regum in solitudine educati, etiam si verba quædam emisisse traduntur, tamen loquendi facultate caruerunt. Sunt autem alia hujus naturæ, ut idem plu-

(1) Psammetichus rex Ægyptiorum (ut tradit Herodotus initio lib. 2.) quibusdam infantibus, quos in solitudine educabat, nutrices præfecit inutas. Illi post bimatum, cum esurirent, forte *beccos* pronuntiaverunt, quod significat lingua Phrygia panem et cibum. *Turn.*

ribus vocibus declarent, ita ut nihil significationis, quæ potius utaris, intersit; ut *ensis* et *gladius*: alia, quæ etiam si propria rerum aliquarum sint nomina, *ῥεσπιζῶς*; tamen ad eundem intellectum feruntur; ut *ferrum* et *mucro*: nam per abusionem *sicarios* etiam omnes vocamus, qui cædem telo quocunque commiserint: alia circuitu verborum plurium ostendimus; quale est,

————— *Et pressi copia lactis* :

plurima vero mutatione figuramus: *Scio, Non ignoro*; et, *Non me fugit, Non me præterit*, et, *Quis nescit? Nemini dubium est*: sed etiam ex proximo mutuari licet; nam et *intelligo*, et *sentio*, et *video*, sæpe idem valent quod *scio*. Quorum nobis ubertatem ac divitias dabit lectio; ut his non solum cum occurrerint, sed etiam cum oporteat, utamur: non semper enim hæc inter se idem faciunt; nec, sicut de intellectu animi recte dixerim, *video*, ita de visu oculorum, *intelligo*: nec ut *mucro gladium*, sic *mucronem gladius* ostendit.

Sed ut copia verborum sic paratur, ita non verborum tantum gratia legendum vel audiendum est: nam omnium, quæcunque docemus, hoc sunt exempla potentiora etiam ipsis quæ traduntur artibus, cum eo qui discit perductus est, ut ea intelligere sine demonstrante, et sequi jam suis viribus possit; quia, quæ doctor præcipit, orator ostendit. Alia vero *legentes*, alia *audientes* magis adjuvant. Excitat qui *dicit* spiritu ipso, nec imagine et ambitu rerum, sed rebus, incendit. Vivunt enim omnia, et moventur, excipimusque nova illa, velut nascentia, cum favore ac sollicitudine. Nec fortuna modo iudicii, sed etiam ipso- rum qui orant periculo, afficimur. Præter hæc, vox et actio decora, commoda, ut quisque locus postulabit, pronuntiandi vel potentissima in dicendo ratio, et, ut semel dicam, pariter omnia docent.

In *lectione* certius iudicium, quod *audienti* frequenter aut suus cuique favor, aut ille laudantium clamor extorquet. Pudet enim dissentire, et velut tacita quadam verecundia inhibemur plus nobis credere; cum interim et vitiosa pluribus placeant, et a corrogatis laudentur etiam quæ non placent. Sed e contrario quoque accidit, ut optime dictis gratiam prava iudicia non referant. Lectio libera est; nec actionis impetu transcurrit; sed repetere sæpius licet, sive dubites, sive memoriæ penitus affigere velis. Repetamus autem, et tractemus: et ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur;

ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita, et velut confecta, memoriæ imitationique tradatur. Ac diu non nisi optimus quisque, et qui credentem sibi minime fallat, legendus est; sed diligenter, ac pene ad scribendi sollicitudinem: nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber utique ex integro resumendus, præcipueque oratio, cujus virtutes frequenter ex industria quoque occultantur. Sæpe enim præparat, dissimulat, insidiatur orator, eaque in prima parte actionis dicit, quæ sunt in summa profutura. Itaque suo loco minus placent, adhuc nobis quare dicta sint ignorantibus. Ideoque erunt cogitis omnibus repetenda.

Illud vero utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumserimus: et, quoties continget, utrinque habitas legere actiones; ut Demosthenis atque Æschinis inter se contrarias; ut Servii Sulpitii et Messalæ, quorum alter pro Aufidia, contra dixit alter; et Pollionis et Cassii, reo Asprenate; aliasque plurimas: quia, etiam si minus pares videbuntur, aliquæ tamen ad cognoscendam litium quæstionem recte requirentur: ut, contra Ciceronis orationes, Tuberonis in Q. Ligarium, et Hortensii pro Verre. Quin etiam, easdem causas ut quisque egerit, utile erit scire. Nam pro domo Ciceronis dixit Calidius; et pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit; etiamsi egisse eum Cornelius Celsus falso existimat: et Pollio ac Messala defenderunt eosdem: et nobis pueris insignes pro Voluseno Catulo, Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Lælii, orationes ferebantur.

Neque id statim legenti persuasum sit; omnia, quæ magni auctores dixerint utique, esse perfecta. Nam et labuntur aliquando, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum, et nonnunquam fatigantur: cum Ciceroni dormire interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse, videatur. Summi enim sunt, homines tamen; acciditque iis, qui quidquid apud illos repperunt dicendi legem putant, ut deteriora imitentur; id enim est facilius; ac se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur. Modeste tamen et circumspecto iudicio de tantis viris pronuntiandum est; ne, quod plerisque accidit, damnent quæ non intelligunt. Ac, si necesse est in alterutram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quam multa displicere maluerim.

Plurimum dicit oratori conferre Theophrastus lectionem *poetarum*: multique ejus iudicium sequuntur: neque id immerito; namque ab his et in rebus spiritus, et in verbis

sublimitas, et in affectibus motus omnis, et in personis decor petitur, præcipueque veit atrita quotidiano actu forensi ingenia optime rerum talium blanditia reparantur. Ideoque in hac lectione Cicero requiescendum putat. Memnerimus tamen, non per omnia poetas esse oratori sequendos; nec libertate verborum, nec licentia figurarum; totumque illud studiorum genus ostentationi comparatum, præter id quod solam petit voluptatem, eamque, fingendo non falsa modo sed etiam quædam incredibilia, sectatur, patrocínio quoque aliquo juvari; quod, alligati ad certam pedum necessitatem, non semper propriis uti possint, sed depulsi a recta via necessario ad eloquendi quædam deverticula confugiant; nec mutare quædam modo verba, sed extendere, corripere, convertere, dividere cogantur: nos vero armatos stare in acie, et summis de rebus decernere, et ad victoriam niti. Neque ego arma squalere situ ac rubigine velim, sed fulgorem his inesse, qui terreat; qualis est ferri, quo mens simul visusque perstringitur; non qualis auri argentique, imbellis, et potius habenti periculosus.

Historia quoque alere orationem quodam molli jucundoque succo potest: verum et ipsa sit est legenda, ut sciamus plerasque ejus virtutes oratori esse vitandas: est enim proxima poetis, et quodammodo carmen solum; et scribitur ad narrandum, non ad probandum; totumque opus non ad actum rei pugnamque præsentem, sed ad memoriam posteritatis et ingenii famam componitur: ideoque et verbis liberioribus et remotioribus figuris narrandi tædium evitat. Itaque, ut dixi, neque illa Sallustiana brevitaz, qua nihil apud vacuas aures atque eruditaz potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem, et sæpius ineruditum, captanda nobis est; neque illa Livii lactea ubertas satis docebit eum, qui non speciem expositionis, sed fidem quærit. Adde, quod M. Tullius ne Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles oratori putat, quanquam illum bellicum canere, hujus ore Musas esse locutas existimet. Licet tamen nobis in digressionibus uti vel historico nonnunquam nitore, dum in iis, de quibus erit quæstio, meminimus non athletarum toros, sed militum lacertos esse: nec versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem bene ad forenses pulverem facere. Est et alius ex historiis usus, et is quidem maximus, sed non ad præsentem pertinens locum, ex cognitione rerum exemplorumque, quibus imprimis instructus esse debet orator, ne omnia testimonia expetat a litigatore, sed ple-

raquæ ex vetustate diligenter sibi cognita sumat; hoc potentiora, quod ea sola criminibus odii et gratiæ vacant.

A *philosophorum* vero lectione ut essent nobis multa petenda, vitio factum est oratorum, qui quidem illis optima sui operis parte cesserunt. Nam et de justis, honestis, utilibus, quæque sunt his contraria, et de rebus divinis, maxime dicunt et argumentantur acriter: et altercationibus atque interrogationibus oratorem futurum optime Socratici præparant. Sed his quoque adhibendum est simile iudicium, ut etiam cum in rebus versemur iisdem, non tamen eandem esse conditionem sciamus litium ac disputationum, fori et auditorii, præceptorum et periculorum.

Credo exacturos plerosque, cum tantum esse utilitatis in legendo iudicemus, ut id quoque adjungamus operi, qui sint legendi, quæ in quoque auctore præcipua virtus. Sed persequi singulos, infiniti fuerit operis. Quippe, cum in Bruto M. Tullius tot millibus versuum de Romanis tantum oratoribus loquatur, et tamen de omnibus ætatis suæ quidem, quibusque convivebat, exceptis Cæsare atque Marcello, silentium egerit; quis erit modus, si et illos et qui postea fuerunt, et Græcos omnes, et philosophos et poetas, persequi velim? Fuerit igitur brevitatis illa tutissima, quæ est apud Livium in epistola ad filium scripta, *legendos Demosthenem atque Ciceronem: tum ita, ut quisque esset Demostheni et Cicéroni simillimus*. Non est tamen dissimulanda nostri quoque iudicii summa. Paucos enim, vel potius vix ullum ex iis qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri, qui iudicium adhibentibus non allaturus sit utilitatis aliquid: cum se Cicero ab illis quoque vetustissimis auctoribus, ingeniosis quidem, sed arte carentibus, plurimum fateatur adjutum. Nec multo aliter de novis sentio: quotus enim quisque inveniri tam demens potest, qui ne minima quidem alicujus certe fiducia (1) artis memoriam posteritatis speraverit? qui si quis est, intra primos statim versus deprehendetur, et citius nos dimittet, quam ut ejus nobis magno temporis detrimento constet experimentum. Sed non quidquid ad aliquam partem scientiæ pertinet, protinus ad faciendam etiam *φράσιν* (de qua loquimur) accommodatum est. Verum, antequam de singulis loquar, pauca in universum de

(1) Ita legendum hunc locum, levi admodum mutatione facta, statuimus: neque id sine auctoribus. Vid. var. lectt. apud Gesn. aliosque. Cicero a *vetustissimis* illis, *arte omnino carentibus*, sese fatetur adjutum: ecquis igitur e *novis* non *alicujus certe* fiducia artis memoriam—speraverit? ideoque utilis erit iudicium adhibentibus. Q.

varietate opinionum dicenda sunt. Nam quidam solos veteres legendos putant, neque in ullis aliis esse naturalem eloquentiam, et robur viris dignum, arbitrantur. Alios recens hæc lascivia, deliciæque, et omnia ad voluptatem multitudinis imperitæ composita, delectant. Sunt etiam qui rectum dicendi genus sequi volunt. Alii pressa demum et tenuia, et quæ minimum ab usu quotidiano recedant, sana et vere Attica putant. Quosdam elatior ingenii vis, et magis concitata, et plena spiritus capit. Sunt et lenis, et nitidi, et compositi generis non pauci amatores. De qua differentia disseram diligentius, cum de genere dicendi quærendum erit. Interim summam quid a qua lectione petere possint, qui confirmare facultatem dicendi volunt, attingam. Paucos enim, qui sunt eminentissimi, excerpere in animo est. Facile est autem studiosis, qui sint his simillimi judicare: ne quisquam queratur omissos forte aliquos eorum, quos ipse valde probet. Pateor enim plures legendos esse, quam qui a me nominabuntur: sed nunc genera ipsa lectionum, quæ præcipue convenire intendentibus ut oratores fiant existimem, persequar.

17 46 Igitur, ut Arātus (1) ab Jove incipiendum putat, ita nos rite cæpturi ab HOMERO videmur. Hic enim, quemadmodum ex Oceano dicit ipse annuum vim fontiumque cursus initium capere, omnibus eloquentiæ partibus exemplum et ortum dedit. Hunc nemo in magnis sublimitate, in parvis proprietate superavit. Idem lætus ac pressus, jucundus et gravis, tum copia, tum brevitate mirabilis; nec poetica modo, sed oratoria virtute eminentissimus. Nam ut de laudibus, exhortationibus, consolationibus taceam, nonne vel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio continetur; vel in primo, inter duces illa contentio; vel diætæ in secundo sententiæ, omnes litium ac consiliorum explicant artes? Affectus quidem vel illos mites, vel hos concitados, nemo erit tam iudocetus, qui non in sua potestate hunc auctorem habuisse fateatur. Age vero, nonne in utriusque sui operis ingressu paucissimis versibus legem procemiorum non dico servavit, sed constituit? Nam et benevolam auditorem invocatione dearum, quas præsidere vatibus creditum est, et intentum proposita rerum magnitudine, et docilem summa celeriter comprehensa facit. Narrare vero quis brevius,

(1) In notissimo illo Φαινόμενων initio, Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, κ. τ. λ. Eiusdem versus posteriorem partem commemorando sacram fecit Paulus: — τοῦ γὰρ καὶ γένος ἔσμεν Ὁ.

quam qui mortem nuntiat Patroeli; quis significantius potest, quam qui Caretum Ætolorumque prælium exponit? Jam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum et argumenta, cæteraque probandi ac refutandi, sunt ita multa, ut etiam qui de artibus scripserunt, plurima earum rerum testimonia ab hoc poeta petant. Nam epilogus quidem quis unquam poterit illis Priami rogantis Achillem precibus æquari? Quid? in verbis, sentiendi, figuris, dispositione totius operis, nomine humani ingenii modum excedit? Ut magni sit viri, virtutes ejus non æmulatione (quod fieri non potest) sed intellectu sequi. Verum hic omnes sine dubio, et in omni genere eloquentiæ, procul a se reliquit; heroicis tamen præcipue, videlicet quia clarissima in materia simili comparatio est.

Raro assurgit Hesiodus, magnaque pars ejus in nominibus est occupata, tamen utiles circa præcepta sententiæ, lenitasque verborum et compositionis probabilis: daturque ei palma in illo medio dicendi genere. Contra in Antimacho vis et gravitas, et minime vulgare eloquendi genus, habet laudem. Sed, quamvis ei secundas fere Grammaticorum consensus deferat, et affectibus, et jucunditate, et dispositione, et omnino arte deficitur, ut plane manifesto appareat, quanto sit aliud proximum esse, aliud secundum. Panyasin ex utroque mistum putant, in eloquendo neutrius æquare virtutes: alterum tamen ab eo materia, alterum disponendi ratione superari. (1) Apollonius in ordinem a Grammaticis datum non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes, poetarum judices, neminem sui temporis in numerum redegerunt: non tamen contemnendum edidit opus æquali quadam mediocritate. Arati materia motu caret, ut in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona, nulla cujusquam sit oratio: sufficit tamen operi, cui se parem credidit. Admirabilis in suo genere Theocritus, sed Musa illa rustica et pastoralis non foram modo, verum ipsam etiam urbem reformidat.

Audire videor undique congerentes nomina plurimorum poetarum. Quid? Herculis acta non bene Pisandros? Quid? (2) Nicandrum frustra secuti Macer atque Virgilius? Quid? Euphorionem transibimus? quem nisi probasset Virgilius, idem nunquam certe conditorum Chalci-

(1) Apollonius Phodius scripsit *Argonautica*. Vixit autem tempore Aristarchi et Aristophanis Byzantii Grammaticorum, qui severam in auctores critice exercuerunt sub Ptolemæo Philometore.

(2) Nicander poeta Colophonius fuit. Scripsit *Theriaca*, et *Alexipharmaca*: præterea *Georgica*, quæ imitatus est Virgilius. *Turn.*

dico versu carminum fecisset in Bucolicis mentionem. Quid? Horatius frustra Tyrtæum Homero subjungit? Nec sane quisquam est tam procul a cognitione eorum remotus, ut non indicem certe ex bibliotheca sumtum transferre in libros suos possit. Nec ignoro igitur quos transeo, nec utique damno, ut qui dixerim esse in omnibus utilitatis aliquid: sed ad illos jam perfectis constitutisque viribus revertemur: quod etiam in cœnis grandibus sæpe facimus, ut, cum optimis satiati simus, varietas tamen nobis ex vilioribus grata sit. Tunc et *elegiam* vacabit in manus sumere, cujus princeps habetur Callimachus: secundas confessione plurimorum Philetas occupavit. Sed, dum assequimur illam firmam, ut dixi, facilitatem, optimis assuescendum est; et multa magis quam multorum lectione formanda mens, et ducendus est color. Itaque, ex tribus receptis Aristarchi judicio scriptoribus *iamborum*, ad $\frac{1}{2}$ maxime pertinebit unus Archilochus. Summa in hoc vis elocutionis; cum validæ, tum breves vibrantesque sententiæ; plurimum sanguinis atque nervorum: adeo ut videatur quibusdam, quod quoquam minor est, materiæ esse, non ingenii vitium. (1) Novem vero lyricorum longe Pindarus princeps, spiritus magnificentia, sentiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia, et velut quodam eloquentiæ flumine: propter quæ Horatius eum merito credidit nemini imitabilem. Stesichorum, quam sit ingenio validus, materiæ quoque ostendunt, maxima bella et clarissimos canentem duces, et epici carminis onera lyra sustinentem. Reddit enim personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem; ac, si tenuisset modum, videtur æmulari proximus Homerum potuisse: sed redundat, atque effunditur; quod, ut est reprehendendum, ita copię vitium est. Alcæus in parte operis aureo plectro merito donatur, qua tyrannos insecatur: multum etiam moribus confert: in eloquendo quoque brevis, et magnificus, et diligens, plurimumque Homero similis: sed in lusus et amores descendit; majoribus tamen aptior. Simonides tenuis, alioqui sermone proprio et jucunditate quadam commendari potest: præcipua tamen ejus in commovenda miseratione virtus; ut quidam in hac cum parte omnibus ejusdem operis auctoribus præferant. Antiqua *comædia*, cum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimæ

(1) Hi novem lyrici, quorum quatuor modo nominatim recenset Quintilianus, fuerunt, ut accepimus, Alcæus, Sappho, Stesichorus, Ibycus, Bacchylides, Simonides, Alcman, Anacreon, et, longe princeps omnium, Pindarus. O.

libertatis, etsi est in insectandis vitiis præcipua, plurimum tamen virium etiam in cæteris partibus habet. Nam et grandis, et elegans, et venusta, et nescio an ulla, post Homerum tamen, quem ut Achillem semper excipi par est, aut similior sit oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior. Plures ejus auctores; Aristophanes ætatem, et Eupolis, Cratinusque præcipui. *Tragædias* primus in lucem Æschylus protulit; sublimis, et gravis, et grandiloquus sæpe usque ad vitium, sed rudis in plerisque, et incompositus: propter quod correctas ejus fabulas in certamen deferre posterioribus poetis Athenienses permisere, suntque eo modo multi coronati. Sed longe clarius illustraverunt hoc opus Sophocles atque Euripides: quorum in dispari dicendi via uter sit poeta melior, inter plurimos quæritur; idque ego sane, quoniam ad præsentem materiam nihil pertinet, injudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis, qui se ad agendum comparant, utiliorem longe Euripidem fore: namque is et in sermone (quod ipsum reprehendunt, quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophoclis videtur esse sublimior) magis accedit oratorio generi; et sententiis densus, et in iis, quæ a sapientibus tradita sunt, pene ipsis est par; et in dicendo ac respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro disertis, comparandus: in affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis qui miseratione constant facile præcipuus. Hunc et admiratus maxime est (ut sæpe testatur) et secutus, quanquam in opere diverso, Menander: qui vel unus, meo quidem judicio, diligenter lectus, ad cuncta quæ præcipimus effingenda sufficiat: ita omnem vitæ imaginem expressit; tanta in eo inveniendi copia, et eloquendi facultas; ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus. Nec nihil profecto viderunt, qui orationes, quæ Charisii nomine eduntur, a Menandro scriptas putant: sed mihi longe magis orator probari in opere suo videtur; nisi forte aut illa mala judicia, quæ Ἐπιτρέποντες, Ἐπίκλητος, Λοκροὶ habent; aut meditationes in Ἐφοδῆι, et Νομοδέτη, et Ἰπποβοδισμαίω, non omnibus oratoriis numeris sunt absolutæ. Ego tamen plus adhuc quiddam collaturum esse *declamatoribus* puto; quoniam his necesse est secundum conditionem controversiarum plures subire personas; patrum, filiorum, maritorum; militum, rusticorum; divitum, pauperum; irascentium, deprecantium; mitium, asperorum: in quibus omnibus mire custoditur ab hoc poeta decorum. Atque ille quidem omnibus ejusdem operis auctoribus abstulit nomen, et fulgore quodam suæ claritatis tenebras obduxit. Habent tamen alii quo-

que comici, si cum venia legantur, quædam quæ possit decerpere: et præcipue Philemon; qui, ut pravis sui temporis iudicis Menandro sæpe prælatus est, ita consensu omnium meruit credi secundus.

Historiam multi scripsere præclare, sed nemo dubitat duos longe cæteris præferendos, quorum diversa virtus laudem pene est parem consecuta. Densus, et brevis, et semper instans sibi Thucydides; dulcis, et candidus, et fusus Herodotus: ille concitatis, hic remissis affectibus melior; ille concionibus, hic sermonibus; ille vi, hic voluptate. Theopompus his proximus, ut in historia prædictis minor, ita oratori magis similis; ut qui, antequam est ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit orator. Philistus quoque meretur qui turbæ (1) quamvis bonorum post hos auctorum eximatur; imitator Thucydidis; et, ut multo infirmior, ita aliquatenus lucidior. Ephorus, ut Isocrati visum, calcariibus eget. Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur. Longo post intervallo temporis natus Timagenes vel hoc est ipso probabilis, quod intermissam historias scribendi industriam nova laude reparavit. Xenophon non excidit mihi; sed inter *philosophos* reddendus est.

Sequitur *oratorum* ingens manus, cum decem simul Athenis ætas una tulerit: quorum longe princeps Demosthenes, ac pene lex orandi fuit: tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi modus, ut nec quod desit in eo, nec quod redundet, invenias. Plenior Æschines, et magis fusus, et grandiori similis, quo minus strictus est: carnis tamen plus habet, lacertorum minus. Dulcis in primis et acutus Hyperides: sed minoribus causis, ut non dixerim utilior, magis par. His ætate Lysias major, subtilis atque elegans, et quo nihil, si oratori satis sit docere, quæras perfectius: nihil enim est inane, nihil arcesitum: puro tamen fonti, quam magno flumini propior. Isocrates, in diverso (2) genere [dicendi] nitidus et comtus, et palæstræ quam pugnae magis accominodatus, omnes dicendi vices sectatus est: nec immerito; auditoris enim se, non iudicis compararat: in inventione facilis; honesti studiosus; in compositione adeo diligens, ut cura ejus reprehendatur. Neque ego in his, de quibus sum locutus, has solas virtutes, sed has præcipuas

(1) Dignus est qui post tres superiores cæteris præferatur. *Turn.*

(2) Scilicet *eloquentia*; otiosum enim illud *dicendi* ex marginali quadam glossa irrepsisse videtur. *Diversi sibi conscius generis mox Seneca fuisse dicitur. O.*

puto: nec cæteros parum fuisse magnos: quin etiam Phalereum illum Demetrium, quanquam is primus inclinasse eloquentiam dicitur, multum ingenii habuisse et facundiæ fateor, vel ob hoc memoria dignum, quod ultimus est fere ex Atticis, qui dici possit orator: quem tamen in illo medio genere dicendi præfert omnibus Cicero.

Philosophorum, ex quibus plurimum se traxisse eloquentiæ M. Tullius confitetur, quis dubitet Platonem esse præcipuum, sive acumine disserendi, sive eloquendi facultate divina quadam et Homerica? multum enim supra prosam orationem, et quam pedestrem Græci vocant, surgit: ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico videatur oraculo instinctus. Quid ego commemorem Xenophontis jucunditatem illam in affectatam, sed quam nulla possit affectatio consequi? ut ipsæ finixis sermonem Gratiæ videantur; et quod de Pericle veteris comœdiæ testimonium est, in hunc transferri justissime possit, in labris ejus sedisse quandam persuadendi Deam. Quid reliquorum Socraticorum elegantiam? Quid Aristotelem? quem dubito scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acumine, an varietate operum, clariorem putem. Jam in Theophrasto tam est eloquendi nitor ille divinus, ut ex eo (1) nomen quoque traxisse dicatur. Minus indulgere eloquentiæ Stoici veteres: sed cum honesta suaserunt, tum in colligendo probandoque, quæ instituerant, plurimum valuerunt; rebus tamen acuti magis, quam (id quod sane non affectarunt) oratione magnifici.

Idem nobis per Romanos quoque auctores ordo ducendus est. Itaque ut apud illos Homerus, sic apud nos Virgilius auspiciatissimum dederit exordium, omnium ejus generis poetarum, Græcorum nostrorumque, illi haud dubie proximus. Utar enim verbis iisdem, quæ ex Afro Domitio juvenis accepi; qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere: Secundus, inquit, est Virgilius, propior tamen primo quam tertio. Et hercle, ut illi naturæ cœlesti atque immortalis cesserimus, ita curæ et diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum; et, quantum eminentioribus vincimur, fortasse æqualitate pensamus. Cæteri omnes longe sequuntur: nam Macer et Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasin, id est, corpus eloquentiæ faci-

(1) *Tyrtamus* enim huic fuisse nomen dicitur, quem *Theophrastum* vocavit Aristoteles *διὰ τὸ τῆς φράσεως δεσπεσιῶν*, ut narrat Diogenes La. rt. 3, 38. Simili *μετανομα* Chrysostomus postea dictus, et mille alii varia a doctis acceperunt nomina. U.

ant: elegantes in sua quisque materia; sed alter humilis, alter difficilis. Attacinus (1) Varro in iis per quæ nomen est assecutus, interpretis operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples. Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora jam non tantam habent speciem, quantam religionem. Propiores alii, atque ad hanc phrasin, de qua loquimur, magis utiles, Lascivus quidem in heroicis quoque Ovidius, et nimium amator ingenii sui; laudandus tamen in partibus. Cornelius autem Severus, etiam si versificator quam poeta melior, si tamen, ut est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, vindicaret sibi jure secundum locum. Sed eum consummari mors immatura non passa est: puerilia tamen ejus opera et maximam indolem ostendunt, et admirabilem, præcipue in ætate illa, recti generis voluntatem. Multum in Valerio Flacco nuper amisimus. Vehemens et poeticum ingenium Saleii Bassi fuit, nec ipsum senectute maturum. Rabirius ac Pedito non indigni cognitione, si vacet. Lucanus ardens, et concitatus, et sententiis clarissimus, et, ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam poetis adnumerandus. Hos nominavimus, quia (2) GERMANICVM AVGVSTVM ab institutis studiis deflexit cura terrarum, parumque diis visum est, esse eum maximum poetarum. Quid tamen iis ipsis ejus operibus, in quæ donato imperio juvenis secesserat, sublimius, doctius, omnibus denique numeris præstantius? Quis enim caneret bella melius, quam qui sic (3) egerit? Quem præsidentes studiis deæ propius audirent? Cui magis suas artes aperiret familiare numen Mi-

(1) Attacinus Varro vixit tempore Ovidii. Scripsit autem *Argonautica*, ut interpretes Apollonii Rhodii. Appellatus est Attacinus ab Attace, vicæ Gallia Narbonensis, ut vult Eusebius; ut alii, ab Attace fluvio. *Turn.*

(2) Domitianum Imperatorem intelligit, qui *Germanicus* dici voluit, quasi Germaniam domisset. Se quoque Palladis filium appellari jussit, ut testantur ejus numismata, unde paulo post: *Cui magis suas artes aperiret familiare numen Minervæ?* Turnebus (si tamen ille auctor est notarum quæ ei attribuuntur) hunc locum de Germanico Cæsare Drusi filio intelligendum duxit. Miror hoc cuiquam venire in mentem potuisse. *R.* Nimirum Cæsar ille Germanicus Drusi F. et ipse Musarum cultor fuisse traditur; scripsit enim Arateorum interpretationem versibus hexametris. Domitianus vero magnum opus inchoasse dicitur, nempe de Hierosolymorum expugnatione sub fratris sui Titii auspiciis epicum carmen, de quo ita ad Vespasianum Valerius Flaccus:—

—Versam proles tua pangat Idumen,

Namque potest, Solyuo et nigrantem pulvere fratrem. *O.*

(3) Ita Barma. Gesner. alique; æque enim de bello *agendo* ac *gerendo* solet esse sermo. Sumta ex poetis quidem exempla nihil ad Fabium videntur pertinere; verum ita loquitur C. Nepos Hann. 8. V. *Burm.* not. in loc. *O.*

nervæ? Dicent hæc plenius futura sæcula: nunc enim cæterarum fulgore virtutum laus ista præstringitur. Nos tamen sacra literarum colentes feras, Cæsar, si non tacitum hoc præterimus, et Virgiliano certe versu testamur,

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

Elegia Græcos quoque provocamus; cujus mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ovidius utroque lascivior: sicut durior Gallus. *Satyra* quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius; qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis præferre non dubitent. Ego, quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, et, esse aliquid quod tollere possis, putat: nam et eruditio in eo mira, et libertas, atque indè acerbitas, et abunde salis. Multo est tersior ac purus magis Horatius, et ad notandos hominum mores præcipuus. Multum et veræ gloriæ, quamvis uno libro, Persius meruit. Sunt clari hodieque, et qui olim nominabuntur. Alterum illud etiam prius Satyræ genus, quod non sola carminum varietate mistum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros et doctissimos composuit, peritissimus linguæ Latinæ, et omnis antiquitatis, et rerum Græcarum nostrarumque; plus tamen scientiæ collaturus, quam eloquentiæ. *Iambus* non sane a Romanis celebratus est ut proprium opus; a quibusdam interpositus; cujus acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio: quanquam illi (1) epodos intervenire non reperiatur. At *lyricorum* idem Horatius fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando, et plenus est jucunditatis et gratiæ, et variis figuris et verbis felicissime audax. Si quem adjicere velis, is erit Cæsius Bassus, quem nuper vidimus: sed eum longe præcedunt ingenia viventium. *Tragædiæ* scriptores Accius atque Pacuvius clarissimi, gravitate sententiarum, verborumque pondere, et auctoritate per-

(1) *Epodos* vocatur versus minor, qui majori subjungitur, et quasi accinit; ab ἐπιώδῳ *accino*. Horatius autem in libro, qui inde dicitur *Epodon*, versibus trimetris Iambicis præsertim sæpe subjungit dimetros. *R.* Illi tamen, i. e. *Catullo*, epodos intervenire, sicut Horatii libro quarto, non reperiuntur. Vid. Gesn. not. in loc. qui recte negandi particulam *non*, in optimis quibusque libris repertam, restituit. Alii, quibus pronomen *illi* ad Horatium referendum esse videbatur, particulam illam necessario delendam putarunt, *O*,

sonarum. Cæterum nitor, et summa in excolendis operibus manus, magis videri potest temporibus, quam ipsis defuisse. Virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt. Jam Varii Thyestes cuilibet Græcorum comparari potest. Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset. Eorum quos viderim longe princeps Pomponius Secundus: quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore præstare confitebantur. In *comædia* maxime claudicamus: licet Varro Musas, Ælii Stilonis sententia, Plautino dicat sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent: licet Cæcilium veteres laudibus ferant: licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur; quæ tamen sunt in hoc genere elegantissima, et plus adhuc habitura gratiæ, si intra (1) versus trimetros stetissent. Vix levem consequimur umbram, adeo ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem, quando eam ne Græci quidem in alio genere linguæ obtinuerint. (2) Togatis excelsit Afranius.

At *historia* non (3) cesserit Græcis: nec opponere Thucydidi Sallustium verear; nec indignetur sibi Herodotus æquari T. Livium, cum in narrando miræ jucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem: ita dicantur omnia cum rebus tum personis accommodata; sed affectus quidem, præcipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis: ideoque immortalæ illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus, pares eos magis quam similes: qui et ipse a nobis auditus est, clari vir ingenii, et sententiis creber, sed minus pressus, quam historiæ auctoritas postulat: quam, paulum ætate præcedens eum, Bassus Aufidius egregie utique in libris belli Germanici præstitit, genere ipso probabilis in omnibus, sed in quibusdam suis ipse viribus minor. Superest adhuc, et exornat ætatis nostræ

(1) Terentius more Comicorum utitur versibus Iambicis cujuslibet mensuræ, v. g. tetrametris, qui habent octo pedes. Optat Fabius ut trimetros tantum adhibuisset, qui constant sex pedibus.

(2) *Togatiq; comædiæ* sunt totæ Latinæ, scilicet moribus et ritu Romano compositæ; ut *palliata* vocantur, quæ ad imitationem Græcorum sunt compositæ. *Turn.*

(3) Magis placeret *cesserim*; ut antea *cesserimus* de Homero et Virgilio; deinde satis commode sequerentur *Nec—verear* &c. O.

gloriam, (1) vir sæculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec imitatores: ut libertas, quanquam circumcisis quæ dixisset, ei nocuerit. Sed elatum abunde spiritum et audaces sententias deprehendas etiam in iis quæ manent. Sunt et alii scriptores boni: sed nos genera degustamus, non bibliothecas executimus.

Oratores vero vel præcipue Latinam eloquentiam parem facere Græcæ possunt: nam Cicronem cuicumque eorum fortiter opposuerim. Nec ignoro, quantam mihi concitem pugnam, cum præsertim id non sit propositi, ut eum Demostheni comparem hoc tempore: neque enim attinet, cum Demosthenem in primis legendum, vel ediscendum potius putem. Quorum ego virtutes plerasque arbitror similes: consilium; ordinem; dividendi, præparandi, probandi rationem; omnia denique quæ sunt inventionis: in eloquendo est aliqua diversitas: densior ille, hic copiosior; ille concludit astrictius, hic latius pugnat; ille acumine semper, hic frequenter et pondere; illi nihil detrahi potest, huic nihil adjici; curæ plus in illo, in hoc naturæ. Salibus certe, et commiseratione, qui duo plurimum affectus valent, vincimus: et fortasse epilogos illi nos civitatis abstulerit: sed et nobis illa, quæ Attici mirantur, diversa Latini sermonis ratio minus permiserit. In epistolis quidem, quanquam sunt utriusque, nulla contentio est. Cedendum vero in hoc quidem, quod ille et prior fuit, et ex magna parte Cicronem, quantus est, fecit. Nam mihi videtur M. Tullius, cum se totum ad imitationem Græcorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Nec vero, quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum; sed plurimas, vel potius omnes, ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate. Non enim pluvias (ut ait Pindarus) aquas colligit, sed vivo gurgite exundat, dono quodam Providentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentius, movere vehementius potest? Cui tanta unquam jucunditas affuit? ut ipsa illa, quæ extorquet, impetrare eum credas; et, cum transversum vi sua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Jam in omnibus quæ dicit tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat: nec advocati studium, sed testis aut judicis afferat fidem:

(1) Nonnulli Plinium indicari putant; plerique Tacitum: et hoc verisimilius. Et fortasse multa tunc e scriptis suis metu temporum detraxerat, quæ postea restituta sunt. *R.* De loco obscuriusculo obscuriora quædam hic Gesnerus; qui Plinium quoque intelligi vult. *O.*

eum interim hæc omnia, quæ vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata: et illa, qua nihil pulcrius auditu est, oratio præ se fert tamen felicissimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus ætatis suæ *regnare* in judiciis dictus est; apud posteros vero id consecutus, ut Cicero jam non hominis, sed eloquentiæ nomen habeatur. Hunc igitur spectemus: hoc propositum sit nobis exemplum: ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Multa in Asinio Pollione inventio; summa diligentia; adeo ut quibusdam etiam nimia videatur; et consilii et animi satis: a nitore et jucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit sæculo prior. At Messala nitidus, et candidus, et quodammodo præ se ferens in dicendo nobilitatem suam: viribus minor. C. vero Cæsar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur: tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat: exornat tamen hæc omnia mira sermonis, cujus (1) proprie studiosus fuit, elegantia. Multum ingenii in Cælio, et præcipue in accusando multa urbanitas; dignusque vir, cui et mens melior, et vita longior contigisset. Inveni, qui Calvum præferrent omnibus; inveni, qui (2) Ciceroni crederent, eum nimia contra se calumnia verum sanguinem perdidisse: sed est et sancta et gravis oratio, et castigata, et frequenter vehemens quoque: imitator est autem Atticorum: fecitque illi properata mors injuriam, si quid adjecturus, non si quid detracturus fuit. Et Servius Sulpitius insignem non immerito famam tribus orationibus (3) meruit. Multa, si cum judicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Severus; qui, si cæteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter præcipuos foret: nam et ingenii plurimum est in eo, et acerbitas mira, et urbanitas, et vis summa: sed plus stomacho quam consilio dedit: præterea, ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est. Sunt et alii multi discreti, quos persequi longum est. Eorum, quos viderim,

(1) Male conj. Gesn. *proprii*; scilicet *sermonis*; quod nobis quidem durissimum videtur: nimirum in C. Cæsare tanta sermonis plane Latini elegantia, ut eam *proprie*, vel proprio quodam studio, coluisse videatur. O.

(2) *Contra* al. ut Gibsonus, et quos ille secutus est. Vid. Cic. in Brut. c. 82. et Dial. de Oratt. 18. O.

(3) Quid hoc? *immerito-meruit!* Sic antea, Isocrates in diverso genere *dicendi-omnes dicendi* veneres sectatus est. Figurane hæc Fabio in deliciis, ex similitudine aliqua vocum? an mendum aliquod vel glossema in utroque loco suspicari liceat? Hoc nobis in mentem veniebat; sed nihil mutans quod ferri potest. O.

Domitius Afer, et Julius Africanus, longe præstantissimi: verborum arte ille et toto genere dicendi præferendus, et quem in numero veterum locare non timeas; hic concitator, sed in cura verborum nimius, et compositione nonnunquam longior, et translationibus parum modicus. Erant clara et nuper ingenia. Nam et Trachalus plerumque sublimis, et satis apertus fuit, et quem velle optima crederes: auditus tamen major: nam et vocis, quantum in nullo cognovi, felicitas; et pronuntiatio vel scenis sufficientura; et decor; omnia denique ei, quæ sunt extra, superfuerunt: et Vibius Crispus compositus, et jucundus, et delectationi natus; privatis tamen causis quam publicis melior. Julio Secundo si longior contigisset ætas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret: adjecisset enim (1) cæteris virtutibus suis, quod desiderari potest; id est autem, ut esset multo magis pugnax, et sæpius ad curam rerum ab elocutione respiceret. Cæterum interceptus quoque magnum sibi vindicat locum: ea est facundia; tanta in explicando quod velit gratia; tam candidum, et lenè, et speciosum dicendi genus; tanta verborum etiam quæ assumpta sunt proprietates; tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia. Habebunt, qui post nos de oratoribus scribent, magnam eos qui nunc vident materiam vere laudandi: sunt enim summa hodie, vigent illustratur forum, ingenia: namque et consuminati jam patroni veteribus æmulantur, et eos juvenum ad optima tendentium imitatur ac sequitur industria.

Supersunt qui de *Philosophia* scripserunt: quo in genere paucissimos adhuc eloquentes literæ Romanæ tulerunt. Idem igitur M. Tullius, qui ubique, etiam in hoc opere Platonis æmulus extitit. Egregius vero, multoque quam in orationibus præstantior, Brutus suffecit ponderi rerum: scias eum sentire quæ dicit. Scripsit non parum multa Cornelius Celsus, Scepticos secutus, non sine cultu ac nitore. Plancus in Stoicis rerum cognitioni utilis. In Epicureis levis quidem, sed non injucundus tamen auctor est Cælius.

Ex industria Senecam, in omni genere eloquentiæ (2) versatum, distuli, propter vulgatam falso de me opinionem, qua damnare eum, et invisum quoque habere sum creditus: quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora judicia

(1) *Atque adjiciebat* ins. hic omnes; scilicet in margine pr. apposit. ut varietatem lectionis denot. pro *adjecisset!* O.

(2) Illud *versatum*, quod omnes post Aldum omisisse videntur, nos, a Fabio esse rati, ipsi Fabio reddendum judicamus. O.

contendo. Tum autem solus hic fere in manibus adolescentium fuit: quem non equidem omnino conabar excutere; sed potioribus præferri non sinebam, (1) quos ille non destiterat incessere, cum, diversi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse iis, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis, quam imitabantur; tantumque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat: foret enim optandum, pares aut saltem proximos illi viro fieri. Sed placebat propter sola vitia; et ad ea se quisque dirigebat effringenda, quæ poterat; deinde, cum se jactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat. Cujus et multæ alioqui et magnæ virtutes fuerunt; ingenium facile et copiosum, plurimum studii, et multarum rerum cognitio; in qua tamen aliquando ab iis, quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus est. (2) Tractavit etiam omnem fere studiorum materiam: nam et orationes ejus, et poemata, et epistolæ, et dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit. Multæ in eo claræque sententiæ: multa etiam morum gratia legenda: sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno judicio. Nam, si aliqua contempsisset, si parum concupisisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sentiis non fregisset, consensu potius eruditorum quam puerorum amore comprobaretur. Verum sic quoque jam robustis, et severiore genere satis firmatis, legendus vel ideo, quod exercere potest (3) utrinque iudicium. Multa enim, ut dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt: eligere modo curæ sit: quod utinam ipse fecisset; digna enim fuit illa natura quæ meliora vellet, quæ quod voluit effecit.

II. EX his cæterisque lectione dignis auctoribus et verborum sumenda copia est, et varietas figurarum, et componendi ratio; tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda: neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur *imitatione*. Nam, ut invenire primum fuit, estque præcipuum; sic ea, quæ bene in-

(1) Cellius lib. 12. ait Senecam coatum esse vituperare Ciceronem atque Virgilium, ac multis in locis reprehendere. *Turn.*

(2) Hinc lectio nostra, p. 285. n. (2) ex Aldo recuperata, aliquantulum confirmari videtur. *O.*

(3) In virtutibus et vitiis examinandis: male Gesn. alique *utrumque*; quasi *duplex* fuerit cuiquam iudicium; ut ille Genius nescio quis natalis omnibus esse dicitur et bonus et malus. *Utrumque* forte posuerint, qui *judicem* ex MSS. nimis fideliter legerunt. *O.*

venta sunt, utile sequi. Atque omnis vitæ ratio sic constat, ut, quæ probamus in aliis, facere ipsi velimus: sic literarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri sequuntur; sic musici vocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam in exemplum inveniunt: omnis denique disciplinæ initia ad propositum sibi præscriptum formari videmus. Et hercule necesse est, aut similes aut dissimiles bonis simus: similem raro natura præstat, frequenter imitatio. Sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem rerum omnium facit, quam fuit iis qui nihil quod sequerentur habuerunt, nisi cante et cum iudicio apprehenditur, nocet. Ante omnia igitur, imitatio per se ipsa non sufficit; vel quia pigri est ingenii, contentum esse iis quæ sunt ab aliis inventa: quid enim futurum erat temporibus illis, quæ sine exemplo fuerunt, si homines nihil, nisi quod jam cognovissent, faciendum sibi aut cogitandum putassent? nempe, nihil fuisset inventum. Cur igitur nefas est, reperiri aliquid a nobis, quod ante non fuerit? An illi rudes sola uentis natura ducti sunt in hoc, ut tam multa generarent; nos ad querendum non eo ipso concitemur, quod certe scimus invenisse eos qui quæsierunt? Et cum illi, qui nullum cuiusquam rei habuerunt magistrum, plurima in posteros tradiderint, nobis usus (1) illarum rerum ad eruendas alias non proderit; sed nihil habebimus nisi beneficii alieni? Quemadmodum quidam pictores in id solum student, ut describere tabulas mensuris ac lineis sciant. Turpe etiam illud est, contentum esse id consequi, quod imiteris: nam rursus quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo quem sequebatur? nihil in poetis supra Livium Andronicum, nihil in historiis supra Pontificum annales haberemus: ratibus adhuc navigaremus: non esset pictura, nisi quæ lineas modo extremas umbræ, quam corpora in sole fecissent, circumscriberet. Ac, si omnia percenseas, nulla sit ars qualis inventa est, nec intra initium stetit: nisi forte nostra potissimum tempora damnamus hujus infelicitatis, ut nunc demum nihil crescat: nihil enim crescit sola imitatione. Quod si prioribus adjicere fas non est, quomodo sperare possumus illum oratorem perfectum? cum ex iis, quos maximos adhuc novimus, nemo sit inventus, in quo nihil aut desideretur, aut reprehendatur. Sed, etiam qui summa non appetunt, contendere potius quam sequi debent: nam, qui agit ut

(1) *Aliarum* primo leg. videtur ed. Lugdunensis: *illarum* Gibsonus reposuit ex Ald. Siehard. Par. Vasc. Steph. &c. *Aliarum* fortasse malint, qui docti videri volunt. O.

prior sit, forsitan, etiam si non transierit, æquabit; eum vero nemo potest æquare, cujus vestigiis sibi utique insistendum putat: necesse est enim semper sit posterior, qui sequitur. Adde, quod plerumque facilius est plus facere, quam idem: tantam enim difficultatem habet similitudo, ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut non res simplicissimæ, quæ pares maxime videntur utique, discrimine aliquo discernantur. Adde, quod quidquid alteri simile est necesse est minus sit eo quod imitatur, ut umbra corpore, et imago facie, et actus histrionum veris affectibus. Quod in orationibus quoque evenit: namque iis, quæ in exemplum assumimus, subest natura, et vera vis; contra, omnis imitatio ficta est, et ad alienum propositum accommodatur. Quo fit, ut minus sanguinis ac virium declamationes habeant, quam orationes; quod in illis vera, in his assimilata materia est. Adde, quod ea, quæ in oratore maxima sunt, imitabilia non sunt; ingenium, inventio, vis, facilitas, et quidquid arte non traditur: ideoque plerique, cum verba quædam ex orationibus excerpserunt, aut aliquos compositionis certos pedes, mire a se quæ (1) elegerunt effingi arbitrantur: cum et verba intercidant inualescantque temporibus, (ut quorum certissima sit regula in consuetudine, eaque non sua natura sint bona aut mala, nam per se soni tantum sunt, sed prout opportune proprieque aut secus collocata sunt) et compositio cum rebus accommodata sit, tum ipsa varietate gratissima.

Quapropter exactissimo judicio circa hanc partem studiorum examinanda sunt omnia: *primum*, quos imitemur; nam sunt plurimi, qui similitudinem pessimi cujusque et corruptissimi concupierunt: *deinde* in ipsis, quos elegerimus, quid sit, ad quod effingendum nos comparemus; nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa, et a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa: atque utinam tam bona imitantes dicerent melius, quam mala pejus dicunt. Nec vero saltem iis, quibus ad evitanda vitia iudicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere, et solam, ut sic dixerim, cutem, vel potius illas (2) Epicuri figuras, quas e summis corporibus dicit effluere. Hoc autem iis accidit, qui, non introspectis penitus virtutibus,

(1) Male Gibs. Gesn. alique, *legerunt*; neque enim de *legendis* auctoribus jam sermo est, sed de *elegendis* quos imitemur: v. s. prox. seq. O.

(2) Epicurus dicebat, assidue e corporibus simulacra et εἰδωλα, velut ex vias quasdam, effluere, quæ oculos pellerent, atque ita visionem efficerent. Hoc autem duntaxat ex opinione Democriti. Turn. Vid. Lucret. 4, 43. O.

ad primum se velut aspectum orationis aptarunt; et, cum iis felicissime cessit imitatio, verbis (1) quidem atque numeris sunt non multum differentes, vim dicendi atque inventionis non assequuntur; sed plerumque declinant in pejus, et proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii, lætis corrupti, compositis exultantes, simplicibus negligentis. Ideoque, qui horride atque inconspicite quamlibet frigidum illud et inane extulerunt, antiquis se pares credunt: qui carent cultu atque sententiis, Atticis scilicet: qui præcis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant: tristes ac jejum Pollionem æmulantur: otiosi et supini, si quid modo longius circumdlexerunt, jurant Ciceronem ita locuturum fuisse. Novam quosdam, qui se pulcre expressisse genus illud cælestis hujus in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent, *esse videatur!* Ergo primum est, ut quod imitaturus est quisque intelligat; et quare bonum sit sciat: tum in suscipiendo onere consulat suas vires: nam quædam sunt inimitabilia, quibus aut infirmitas naturæ non sufficiat, aut diversitas repugnet: nec, cui tenue ingenium erit, sola velit fortia et abrupta: cui forte quidem, sed indomitum, amore subtilitatis et vim suam perdat, et elegantiam quam cupit non assequatur; nihil est enim tam indecens, quam cum mollia dure fiunt. Atque ego illi præceptor, quem institueram in libro secundo, tradidi, non ea sola docenda esse, ad quæ quemque discipulorum natura compositum videret. Nam is et adjuvare debet, quæ in quoque eorum invenerit bona, et, quantum fieri potest, adjicere quæ desunt, et emendare quædam, et mutare; rector enim est alienorum ingeniorum atque formator: difficilius est naturam suam fingere. Sed ne ille quidem doctor, quanquam omnia, quæ recta sunt, velit esse in suis auditoribus quam plenissima, in eo tamen, cui naturam obstare viderit, laborabit. Id quoque vitandum, in quo magna pars errat, ne in oratione poetas nobis et historicos, in illorum operibus oratores aut declamatores, imitandos putemus. Sua cuique proposita lex; suus cuique decor est: nec comædia in cothurnos assurgit, nec contra tragædia socco ingreditur. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune: id imitemur, quod commune est. Etiam hoc solet incommodi accidere iis,

(1) *Qui* ins. hic omnes editt. præter Jenson. Deesse illud in multis MSS. jam notaverat Rollinus: certe locum tenere justo possessionis titulo non potest; sed, ne cederet omnino, *quidem* suffecimus ex compendio *quid?* quod quasi ignotum alii rejecerunt, alii in *qui* mutaverunt. O.

qui se uni alicui generi dediderunt, ut si asperitas his placuit alicujus, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere non exuant; si tenuitas aut nuditas, in asperis gravibusque causis ponderi rerum parum respondeant: cum sit diversa non causarum modo inter ipsas conditio, sed in singulis etiam causis partium; sintque alia leniter, alia aspere, alia concitate, alia remissee, alia doceudi, alia movendi gratia dicenda: quorum omnium dissimilis atque diversa inter se ratio est. Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui proprie, quem per omnia sequatur, addicere. (1) Longe omnium perfectissimus Græcorum Demosthenes! aliquid tamen aliquo in loco melius alii:—Plurima ille! sed non qui maxime imitandus etiam solus imitandus est:—Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo M. Tullius dixit! mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem: quid tamen noceret, vim Cæsaris, asperitatem Cælii, diligentiam Pollionis, judicium Calvi, quibusdam in locis assumere? nam, præter id quod prudentis est, quod in quoque optimum est, si possit, suum facere; tum, in tanta rei difficultate, unum intuentes vix aliqua pars sequitur: ideoque, cum totum exprimere, quem elegeris, pene sit homini inconcessum, plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio hæreat, et, quo quidque loco conveniat, aptemus.

Imitatio autem, nam sæpius idem dicam, non sit tantum in *verbis*: illuc intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque personis, quod consilium, quæ dispositio; quam omnia, etiam quæ delectationi videantur data, ad victoriam spectent; quid agatur præmio; quæ ratio, et quam varia narrandi; quæ vis probandi ac refellendi; quanta in affectibus omnis generis movendis scientia; quamque laus ipsa popularis utilitatis gratia assumpta, quæ tum est pulcherrima, cum sequitur, non cum arcessitur: hæc si perviderimus, tum vere imitabimur. Qui vero etiam propria his bona adjecerit, ut suppleat quæ deerant, circumcidat si quid redundabit, is erit, quem quærimus, perfectus orator: quem nunc consummari potissimum oportebat, cum tanto plura bene dicendi exempla supersunt, quam illis, qui adhuc summi sunt, contigerunt: nam erit hæc quoque laus eorum, ut priores superasse, posteros docuisse dicantur.

(1) Vim hujusce loci vix satis pervidere possumus, nisi prosopopœiam hic nobis in animo fingamus, qualem ipse videtur finxisse Fabius, et adversariorum assimilatos sermones, qui unum aliquod exemplum ad imitandum sibi proponere velint. O.

III. ET hæc quidem auxilia extrinsecus adhibentur; in his autem quæ nobis ipsis paranda sunt, ut laboris, sic utilitatis etiam longe plurimum affert *stylus*: nec immerito M. Tullius hunc optimum effectorem ac magistrum dicendi vocat: cui sententiæ personam L. Crassi, in disputationibus quæ sunt de Oratore, assignando, iudicium suum cum illius auctoritate conjunxit. Scribendum ergo quam diligentissime, et quam plurimum. Nam, ut terra altius effossa generandis alendisque seminibus fecundior est, sic profectus, non a summo petitus, studiorum fructus et fundit uberius, et fidelius continet: nam sine (1) hoc, conscientia quidem ipsa, illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit, et verba in labris nascentia. Illic radices, illic fundamenta sunt; illic opes velut sanctiore quodam ærario reconditæ, unde ad subitos quoque casus, cum res exiget, proferantur. Vires facianus ante omnia, quæ sufficiant labori certaminum, et usu non exhauriantur. Nihil enim rerum ipsa natura voluit magnum effici cito, præposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem: quæ nascendi quoque hanc fecerit legem, ut majora animalia diutius visceribus parentum continerentur.

Sed cum sit duplex quæstio, *quo modo*, et *quæ* maxime scribi oporteat, jam hinc (2) ordinem sequar.

Sit primo vel tardus, dum diligens, *stylus*: quæramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus: adhibeatur iudicium inventis, dispositio probatis: delectus enim rerum verborumque (3) habendus est, et pondera singulorum examinanda. Postea subeat ratio collocandi; versenturque omni modo numeri: non, ut quodque se proferet verbum, occupet locum. Quæ quidem ut diligentius exequamur, repetenda sæpius erunt scriptorum proxima: nam præter id, quod sic melius junguntur prioribus sequentia, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrigit, recipit ex integro vires, et velut repetito spatio sumit impetum: quod in certamine saliendi fieri videmus, ut conatum longius petant, et ad illud quo

(1) Sine hoc *profectu*, non a summo utique petito, sed altis radicibus in nixo, illa ex tempore dicendi facultas conscientia quidem ipsa, et nimia facilitatis fiducia, inanem modo loquacitatem dabit &c. Vid. mox. c. 7. Huic loco obscuro aliquantulum lucis levissima mutatione attulisse videmur. O.

(2) Primam quæstionem, nempe quis sit modus et ordo scribendi, tractat hoc capite: quinto alteram, nempe quæ maxime scribi oporteat.

(3) *Agendus* Lugd. unde omnes fere idem habent; et probant fortasse, qui cæteris doctiores videri volunt. *Habendus* Gibs. ex Ald. Par. Vasc. Steph. &c. Ita quoque Jens. Pari auctoritate infra fuerit, pro *feret*, *prohibeamus*, pro *providemus*, et *ferocientes* pro *effertes*, &c. O.

contenditur spatium cursu ferantur; utque in jaculandis brachia reducimus, et, expulsuri tela, nervos retro tendimus. Interim tamen, si fuerit flatus, danda sunt vela; dum nos indulgentia illa non fallat: omnia enim nostra, dum nascuntur, placent; alioqui nec scriberentur: sed redeamus ad iudicium, et retractemus suspectam facilitatem. Sic scripsisse Sallustium accepimus: et sane manifestus est etiam ex opere ipso labor: Virgilium quoque paucissimos die composuisse versus, auctor est Varus. Oratoris quidem alia conditio est: itaque hanc moram et sollicitudinem initiis impero. Nam primum hoc constituendum, hoc obtinendum est, ut quam optime scribamus: celeritatem dabit consuetudo. Paulatim res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio sequetur; cuncta denique, ut in familia bene instituta, in officio erunt. Summa hæc est rei: cito scribendo non fit ut bene scribatur; bene scribendo fit ut cito. Sed tum maxime, cum facultas illa contigerit, resistamus, ac prohibeamus, et ferocientes equos frænis quibusdam coercemus: quod non tam moram faciet, quam novos impetus dabit. Nec enim rursus eos, qui robur aliquod in stylo fecerint, ad infelicem calumniandi se pœnam alligandos puto: nam quo modo sufficere civilibus officiis possit, qui singulis actionum partibus insenescat? Sunt autem, quibus nihil sit satis; omnia mutare, omnia aliter dicere, quam occurrit, velint: increduli quidem, et de ingenio suo pessime meriti, qui diligentiam putant, facere sibi scribendi difficultatem! Nec promptum est dicere, utros peccare validius putem, quibus omnia sua placent, an quibus nihil. Accidit enim etiam ingeniosis adolescentibus frequenter, ut labore consumantur, et in silentium usque descendant nimia bene dicendi cupiditate. Quæ de re memini narrasse mihi Julium Secundum, illum æqualem meum, atque a me, ut notum est, familiariter amatum, miræ faciendæ virum, infinitæ tamen curæ, quid esset sibi a patruo suo dictum. Is fuit Julius Florus, in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam) princeps; alioqui inter paucos disertus, et dignus illa propinquitate. Is cum Secundum, scholæ adhuc operatum, tristem forte vidisset, interrogavit, Quæ causa frontis tam adductæ? nec dissimulavit adolescens, tertium jam diem esse, ex quo omni labore materiæ ad scribendum destinatæ non inveniret exordium: quo sibi non præsens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens, *Nunquid tu, inquit, melius dicere vis, quam potes?* Ita se res habet: curandum est,

ut quam optime dicamus; dicendum tamen pro facultate: ad profectum enim opus est studio, non indignatione. Ut possimus autem scribere etiam plura, et celerius, non exercitatio modo præstabit, in qua sine dubio multum est, sed etiam ratio; si non resupini, spectantesque tectum, et cogitationem immurmure agitantés, expectaverimus quid obveniat; sed, quid res poscat, quid personam deceat, quod sit tempus, qui iudicis animus, intuiti, humano quodam modo ad scribendam accesserimus. Sic nobis et initia, et quæ sequuntur, natura ipsa præstabit. Certa sunt enim pleraque, et, nisi conviveamus, in oculos incurrant: ideoque nec indocti nec rustici diu quærunt unde incipiant: quo pudendum est magis, si difficultatem facit doctrina. Non ergo putemus semper optimam esse, quod latet: (1) nec immutescamus alioqui, si nihil dicendum videntur, nisi quod non invenimus. Diversum est huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stylo quam velocissimo volunt, et sequentes calorem atque impetum, ex tempore scribunt; hanc sylvam vocant: repetunt deinde, et consponunt quæ effuderant: sed verba emendantur et numeri; manet in rebus temere congestis quæ fuit levitas. Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio sic opus ducere, ut (2) exalandum, non ex integro fabricandum sit. Aliquando tamen affectus sequemur, in quibus fere plus calor quam diligentia valet.

Satis apparet ex eo, quod hanc scribentium negligentiam damno, quid de illis *dictandi* deliciis sentiam. Nam in stylo quidem, quamlibet properato, dat aliquam cogitationi moram non consequens celeritatem ejus manus: ille, cui dictamus, urget; atque interim pudet etiam dubitare, aut resistere, aut mutare, quasi conscium infirmitatis nostræ timentes. Quo fit, ut non rudia tantum, et fortuita, sed impropria interim, dum sola est connectendi sermonis cupiditas, effluant; quæ nec scribentium curam, nec dicentium impetum consequantur. At idem ille, qui excipit, si tardior in scribendo, aut inertior in legendo velut offensator fuerit, inhibetur cursus; atque omnis, quæ erat concepta, mentis intentio mora et interdum ira-

(1) Illud nec, ut mox non, retineamus: neque id sine auctoribus: Non ut *immutescamus* necesse est, si nihil *novum*, nihil nisi quod non invenimus ipsi, dici potest. Genus alteram lectionem quo modo confirmat, non facile est dictu; quippe ad notam refert quæ nusquam apparet, dum longius persequitur questionem, Num *Carolus Magnus potuerit scribere*? O.

(2) Metaphora est ducta a cælatoribus aut vasculariis. Nam vasculariis confiare solent optime opus, deinde illud exsculpere et expolire. *Turn.*

cundia excutitur. Tum illa, quæ apertiorem animi motum sequuntur, quæque ipsa animum quodammodo concitant, quorum est jactare manum, torquere vultum, simul vertere latus, et interim objurgare, quæque Persius notat, cum leviter dicendi genus significat, *Nec pluteum*, (1) *cædit*, *nec demorsos sapit ungues*, etiam ridicula sunt, nisi cum soli sumus. Denique, ut semel quod est potentissimum dicam, secretum, quod dictando perit, atque liberum arbitris locum, et quam altissimum silentium, scribentibus maxime convenire nemo dubitaverit. Non tamen protinus audiendi, qui credunt aptissima in hoc nemora, sylvasque. Quid? illa cæli libertas, locorumque amœnitas, sublinem animum, et beatiorem spiritum parant? mihi certe jucundus hic magis, quam studiorum hortator, videtur esse secessus: namque illa ipsa, quæ delectant, necesse est avocent ab intentione operis destinati. Neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest: et, quocumque respexerit, desinit intueri quod propositum fuerat. Quare sylvarum amœnitas, et præterlabentia flumina, et inspirantes ranis arborum auræ, volucrumque cantus, et ipsa late circumspiciendi libertas, ad se trahunt: ut mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationem, quam intendere. Demosthenes melius, qui se in locum ex quo nulla exaudiri vox, nihilque prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogere oculi. Ideoque lucubrantes silentium noctis, et clausum cubiculum, et lumen unum velut tectos maxime teneat. Sed cum in omni studiorum genere, tum in hoc præcipue, bona valetudo, quæque eam maxime præstat, frugalitas, necessaria est: cum tempora, ab ipsa rerum natura ad quietem refectionemque nobis data, in acerrimum laborem convertimus. Cui tamen non plus irrogandum est, quam quod somno supererit hand deerit: obstat enim diligentia scribendi etiam fatigatio; et abunde, si vacet, lucis spatia sufficiunt, occupatos in noctem necessitas agit. Est tamen lucubratio, quoties ad eam integri ac refecti venimus, optimum secreti genus. Sed silentium, et secessus, et undique liber animus, ut sunt maxime optanda, ita non possunt semper contingere: ideoque non statim, si quid obstrepet, abjiciendi codices erunt, et deplorandus dies: verum incommodis repugnandum, et hic faciendus usus, ut omnia

(1) *Inquit* hic ins. omnes: quod tamen aut omittendum videtur, aut certe legendum *significans*; sed duriusculum erat *ὀμοιοτελεστον* verborum, *inquit, cædit*. O.

quæ impediunt vincat intentio, quam si tota mente in opus ipsum direxeris, nihil eorum, quæ vel oculis vel auribus incursant, ad animum perveniet. An vero, si frequenter etiam fortuita hoc cogitatio præstat, ut obvios non videamus, et itinere deerremus, non consequemur idem si et voluerimus? Non est indulgendum causis desidie: nam si non nisi refecti, non nisi hilares, non nisi omnibus aliis curis vacantes, studendum existimaverimas, semper erit propter quod nobis ignoscamus. Quare in turba, itinere, convivii, vel concione etiam, faciat sibi cogitatio ipsa secretum. Quid alioqui fiet, cum in medio foro, (1) tot circumstantibus judiciis, jurgiis, fortuitis etiam clamoribus, erit subito continua oratione dicendum, si particulas, quas ceris mandamus, nisi in solitudine reperire non possumus? Propter quæ idem ille tantus amator secreti Demosthenes, in litore, in quod maximo cum sono fluctus illiderentur, meditans, consuescebat concionum fremitus non expavescere.

Ille quoque minora (sed nihil in studiis parvum est) non sunt transeunda, scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget; quæ ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, et cogitationis impetum frangunt. Relinquendæ autem in utrolibet genere contra vacuæ tabellæ, in quibus libera adjicienti sit excursio. Nam interim pigritiam cavendandæ angustie faciunt, aut certe novorum interpositione priora confundunt. Ne latas quidem ultra modum esse ceras velim; expertus juvenem (studiosum alioqui) prælongos habuisse sermones, quia illos numero versum inieiebatur; idque vitium, quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus esse sublatum. Debet vacare etiam locus, in quo notentur quæ scribentibus solent extra ordinem, id est ex aliis, quam qui sunt in manibus, locis occurrere. Irrumpunt enim optimi nunquam sensus, quos neque inserere oportet, neque differre tutum est: quia interim elabuntur; interim memoriæ sui intentos ab alia inventionem declinant; ideoque optime sunt in deposito.

IV. SEQUITUR *emendatio*, pars studiorum longe

(1) Romanis enim moris fuit, tempore Quinctiliani, ut quatuor judicia, seu judicum tribunalia, in una basilica cogerentur; unde Plinius junior judicum *clxxx* meminit. Vide mox 12, 6, sub finem, de Trachali voce per magna. O.

utilissima: neque enim sine causa creditum est, (1) stylum non minus agere cum delet. Hujus autem operis est adjicere, detrahere, mutare. Sed facilius in his simpliciusque judicium, quæ replenda vel dejicienda sunt: premere vero tumentia, humilia extollere, luxuriantia adstringere, inordinata dirigere, soluta componere, exultantia coercere, duplicis operæ. Nam et damnanda sunt quæ placuerant, et inveniendi quæ fugerant. Nec dubium est, optimum esse emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea post intervallum velut nova atque aliena redeamus, ne nobis scripta nostra, tanquam recentes fœtus, blandiantur. Sed neque hoc contingere semper potest, præsertim oratori, cui sæpius scribere ad præsentem usum necesse est: et ipsa emendatio finem habet: sunt enim qui ad omnia scripta tanquam vitiosa redeant, et, quasi nihil fas sit rectum esse quod primum est, melius existiment quidquid est aliud; idque faciant quoties librum in manus resumerint, similes medicis etiam integra secantibus: accidit itaque ut cicatrix sint, et exanguia, et cura pejora. Sit igitur aliquando quod placeat, aut certe quod sufficiat: ut opus poliat lima, non exerat. Temporis quoque esse debet modus: nam quod (2) Cinnæ Smyrnam novem annis accepimus scriptam, et Panegyricum Isocratis, qui parcissime, decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet; cujus nullum erit, si tam tardum fuerit, auxilium.

V. PROXIMUM est ut dicamus, (3) quæ præcipue scribenda sint. Nec exuberantia quidem est opus, ut explicemus, quæ sint materiæ; quæ prima, aut secunda, aut deinceps tractanda sint; nam id factum est etiam primo libro, quo puerorum, et secundo, quo jam robustorum

(1) Styli pars altera est acuminata, qua scribimus; altera obtusa et laetior, qua delemus. Hinc illud Horatianum: *Sape stylum vertas, iterum quæ digna legi sint Scripturus.* Turn.

(2) Smyrna mei Cinnæ nonam post denique messem, Quam cœpta est, nonamque edita post hyemem, &c.

Catull. Epig. p. 319, ed. Voss. unde Horatius alique idem suadent poetis, ut opus scilicet, quod diuturnum esse velint, domi contineatur, Nonumque prematur in annum. Hoc tamen nihil ad oratorem; nec quod Plutarchus quoque de Isocrate commemorat, *Τὸν πανηγυρικὸν ἔτισι δέκα συνεδραμεν, οἱ δὲ δεκαπεντε λεγουσι.* Vid. vitam Isocratis inter Opera Moralia. O.

(3) Initio, tertii capitis duo proposuerat; quo modo, et quæ scribi oporteret: secundam partem nunc aggreditur. R. Mox nec ex Goth. rest. O.

studiis ordinem dedimus; sed, de quo nunc agitur, *unde copia ac facilitas maxime veniat?*

Vertere Græca in Latinum veteres nostri oratores optimum judicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de Oratore libris dicit factitasse, Id Cicero sua ipse persona frequentissime præcipit: quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos. Id Messalæ placuit; multæque sunt ab eo scriptæ ad hunc modum orationes: adeo ut (1) etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis subtilitate contenderet. Et manifesta est exercitationis hujusce ratio: nam et rerum copia Græci auctores abundant, et plurimum artis in eloquentiam intulerunt; et hos transferentibus, verbis uti optimis licet: omnibus enim utimur nostris: figuras vero, quibus maxime ornatur oratio, multas ac varias excogitandi etiam necessitas quædam est; quia plerumque a Græcis Romana dissentiunt.

Sed et illa ex Latinis conversio, multum et ipsa conlulerit. Ac de carminibus quidem neminem credo dubitare, quo solo genere exercitationis dicitur usus esse Sulpitius. Nam et sublimis spiritus attollere orationem potest, et (2) verba, poetica libertate audaciora, præsumunt eadem proprie dicendi facultatem. Sed et ipsis sententiis adjicere licet oratorum robur, et omissa supplere, et effusa substringere. Neque ego *παρόφραση* esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque æmulationem. Ideoque ab illis dissentio, qui vertere orationes Latinas vetant, quia optimis occupatis, quidquid aliter dixerimus, necesse sit esse deterius: nam neque semper est desperandum, aliquid illis, quæ dicta sunt, melius posse reperiri; neque adeo jejunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici nisi semel non possit: nisi forte histrionum multa circa voces easdem variare gestus potest; orandi minor vis, ut dicatur aliquid, præter quod in eadem materia nihil dicendum sit. Sed esto, neque melius quod invenimus sit, neque par: est certe proximus locus. An non ipsi nos bis ac sæpius de eadem re dicimus, et quidem continuas nunquam sententias? nisi forte contendere nobiscum possumus, cum aliis non possumus. Nam, si uno tantum genere bene diceretur, fas erat existimari, præclusam

(1) Adeo ut subtilitate, quam Atticæ linguæ propriam difficile est Romanis assequi, contenderet etiam cum illa celebri oratione Hyperidis pro Phryne.

(2) Libertas, qua utuntur poetæ in quibusdam verbis audacioribus, indicat easdem res posse ab oratoribus verbis propriis exprimi.

nobis a prioribus viam: nunc vero innumerabiles sunt modi, plurimæque eodem viæ ducunt. Sua brevitati gratia, sua copiæ: alia translatis virtus, alia propriis: hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. Ipsa denique utilissima est exercitationi difficultas. Quid? quod auctores maximi sic diligentius cognoscuntur? non enim scripta lectione secura transcurrimus: sed tractamus singula, et necessario introspicimus; et, quantum virtutis habeant, vel hoc ipso cognoscimus, quod imitari non possumus.

Nec aliena tantum transferre, sed etiam nostra pluribus modis tractare proderit: ut ex industria sumamus sententias quasdam, easque versemus quam numerosissime, velut eadem cera aliæ atque aliæ formæ duci solent.

Plurimum autem parari facultatis existimo ex simplicissima quoque materia. Nam in illa multiplici personarum, causarum, temporum, locorum, dictionum, factorum diversitate, facile delitescet infirmitas, tot se undique rebus, ex quibus aliquam apprehendas, offerentibus. Illud virtutis indicium est, fundere quæ natura contracta sunt; angere parva; varietatem similibus, voluptatem expositis dare; et bene dicere multa de paucis. In hoc optime facient infinitæ quæstiones, quas vocari *θέσεις* diximus: quibus Cicero jam princeps in republica exerceri solebat. His confinis est (1) destructio et confirmatio sententiarum: nam cum sit sententia decretum quoddam atque præceptum, quod de re, idem de iudicio rei quæri potest. Tum loci communes, quos etiam scriptos ab oratoribus scimus. Nam qui hæc recta tantum, et in nullos flexus recedentia, copiose tractaverit, utique in illis plures excursus recipientibus magis abundabit, eritque in omnes causas (2) paratus: omnes enim generalibus quæstionibus constant. Nam quid interest, . Milo Clodium rectene occiderit? veniat in iudicium; an, Oporteatne insidiatorem interfici, vel perniciosum reipublicæ civem, etiam si non insidiatur? Cato Marciam honestene tradiderit Hortensio? an, Conveniatne res talis bono viro? De personis iudicatur, sed de rebus contenditur. Declamationes vero, quales in scholis rhetorum dicuntur, si modo sunt ad veritatem accommodatæ, et orationibus similes, non tantum dum adolescit profectus, sunt utilissimæ, quia inventionem et dispositionem pariter exercent; sed etiam cum est con-

(1) Scilicet *ἀνασκευή* et *κατάσκευή* apud Græcos rhetores. O.

(2) Illud *gratus*, quod tolerandum sane non erat, quanquam in omnibus fere editt. locum teneret, ortum ex compendio *prætus*, pro *paratus*, vitiosum esse jam conj. Rollinus, non tamen, quod licuit, exulare iussit. O.

summatus, ac jam in foro clarus: alitur enim atque enitescit velut pabulo lætiore facundia; et assidua contentionum asperitate fatigata renovatur. Quapropter historiarum nonnunquam ubertas in aliqua exercendi styli parte ponenda; et dialogorum libertate gesticendum. Ne carmine quidem ludere contrarium fuerit: sicut athletæ, remissa quibusdam temporibus ciborum atque exercitiorum certa necessitate, otio et jucundioribus epulis reficiuntur. Ideoque mihi videtur M. Tullius tantum intulisse eloquentiæ lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit. Nam si nobis sola materia fuerit ex litibus, necesse est deteratur fulgor, et durescat articulus, et ipse ille mucro ingenii quotidiana pugna retundatur. Sed, quemadmodum forensibus certaminibus exercitatos, et quasi militantes, reficit ac reparat hæc velut sagina dicendi, sic adolescentes non debent nimium in falsa rerum imagine detineri, et inanibus simulacris, usque adeo, ut difficile ab his digressos sit assuefacere, ne, ab illa in qua prope consenuerint umbra, vera discrimina velut quendam solem reformident: quod accidisse etiam Porcio Latroni, qui primus clari nominis professor fuit, traditur; ut, cum ei summam in *scholis* opinionem obtinenti causa in *foro* esset oranda, impense petierit uti subsellia in basilicam transferrentur: ita illi cælum novum fuit, ut omnis ejus eloquentia contineri tecto ac parietibus videretur. Quare juvenis, qui rationem inveniendi eloquendi que a præceptoribus diligenter acceperit, (quod non est infiniti operis, si docere sciant et velint) exercitationem quoque modicam fuerit consecutus, oratorem sibi aliquem (quod apud majores fieri solebat) deligat, quem sequatur, quem imitetur: judiciis intersit quam plurimis, et sit certaminis, cui destinatur, frequens spectator: tum causas, vel easdem quas agi audierit, stylo et ipse componat, vel etiam alias, veras modo, et utrinque tractet; et, quod in gladiatoribus fieri videmus, in rebus actis exerceatur: ut fecisse Brutum diximus pro Milone. Melius hoc, quam rescribere veteribus orationibus; ut fecit Cestius contra Ciceronis actionem habitam pro eodem, cum alteram partem satis nosse non posset ex sola defensione. Citius autem sic idoneus erit juvenis, quem præceptor coegerit in declamando quam simillimum esse veritati, et per totas ire materias: quarum nunc facillima et maxime favorabilia decerpunt. Obstat huic, quod secundo libro posui, frequens turba discipulorum; et consuetudo classium certis diebus audiendarum: nonnihil etiam persuasio patrum, numerantium potius declamationes, quam æstimantium.

Sed (quod dixi primo, ut arbitror, libro) nec ille se bonus præceptor maiore numero, quam sustinere possit, onerabit; et nimiam loquacitatem recidet, ut omnia quæ sunt in controversia, non, ut quidam volunt, quæ in rerum patura, dicantur; et (1) vel longiore potius diurnum spatio laxabit dicendi necessitatem, vel materias dividere permittet: una enim diligenter effecta plus proderit, quam plures inchoatae, et quasi degustatae. Propter quod accidit, ut nec suo loco quidquam ponatur, nec illa, quæ prima sunt, servent suam legem, juvenibus foscas omniunz partium in ea quæ sunt dicturi congerentibus: quo fit, ut, timentes ne sequentia perdant, priora confundant.

VI. PROXIMA *stylus cogitatio* est; quæ et ipsa vires ab hoc accipit, et est inter scribendi laborem extemporalemque fortunam media quaedam, et nescio an usus frequentissimi. Nam scribere nec ubique nec semper possumus; cogitationi temporis ac loci plurimum est. Hæc paucis admodum horis magnas etiam causas complectitur; hæc, quoties intermissus est somnus, ipsis noctis tenebris adjuvatur: hæc inter medios rerum actus aliquid invenit vacui, nec otium patitur. Neque vero rerum ordienu modo, quod ipsum satis erat, intra se ipsa disponit; sed verba etiam copulat, totamque ita contextit orationem, ut nihil ei præter manum desit: nam memoriæ quoque plerumque inhæret fidelius, quia nulla scribendi securitate laxatur. Sed ne ad hanc quidem vim cogitandi perveniri potest aut subito aut cito. Nam primum facienda multo *stylus* forma est, quæ nos etiam cogitantes sequatur: tum assumendus usus paulatim, ut pauca primum complectamur animo, quæ reddi fideliter possint: mox per incrementa tam modica, ut onerari se labor ille non sentiat, augenda; usu et exercitatione multa continenda est: quæ quidem maxima ex parte *memoria* constat; ideoque aliqua mihi in illum locum differenda sunt. Eo tamen pervenit, ut is, cui non refragetur ingenium, acris studio aditus tantum consequatur, ut ea etiam quæ cogitarit, quæque scripserit, atque edidicerit, in dicendo fidem servent. Cicero certe Græcorum Metrodororum Scopsium et Eriphylum Rhodium, nostrorumque Hortensium tradidit, quæ cogitaverant, ad verbum in agendo retulisse. Sed, si forte aliquis inter dicendum effulserit extemporalis color, non superstitione excogitatis demum est inhærendum: neque enim tantum habent curæ, ut

(1) Vel longius spatium dabit, ad mediā scribendamque totam materiam; vel permittet, ut materiæ ad scribendum destinatae partes modo aliquam intra certum quoddam tempus afferant.

non sit dandus et fortunæ locus; cum sæpe etiam scriptis ea, quæ subito nata sunt, inserantur. Ideoque totum hoc exercitationis genus ita instituendum est, ut et digredi ex eo, et redire in id, facile possimus. Nam, ut primum est domo afferre paratam dicendi copiam, et certam; ita refutare temporis munera, longe stultissimum est. Quare cogitatio in hoc præparetur, ut nos fortuna decipere non possit, adjuvare possit. Id autem fiet *memoriæ* viribus, ut ea, quæ complexi animo suimus, fluant secunda; ne sollicitos, et respicientes, et una spe suspensos recordationis, non sinant prævidere: alioqui vel extemporalem temeritatem malo, quam male coherentem cogitationem. Pejus enim quæritur retrorsus: quia, cum alia desideramus, ab aliis avertimur; et ex memoria potius res petimus, quam ex materia: plura sunt autem, si (1) utrinque quærendum est, quæ inveniri possunt, quam quæ inventa sunt.

VII. MAXIMUS vero studiorum fructus est, et velut præmium quoddam amplissimum longi laboris, *ex tempore dicendi* facultas: quam qui non erit consecutus, mea quidem sententia, civilibus officiis renuntiabit, et solam *scribendi* facultatem potius ad alia opera convertet. Vix enim bonæ fidei viro convenit, auxilium in publicum polliceri, quod in præsentissimis quibusque periculis desit: ut indicare portum, ad quem navis accedere, nisi lenibus ventis vecta, non possit. Siquidem innumera-biles accidunt subitæ necessitates, vel apud magistratus, vel repræsentatis judiciis, continuo agendi: quarum si qua, non dico cuiusque innocentium civium, sed amicorum ac propinquorum alieni evenerit, stabitne mutus, et salutarem petentibus vocem, statim, si non succurratur, perituris, moras et secessum et silentium quæret, dum illa verba fabricentur, et memoriæ insidant, et vox ælatus præparetur? Quæ vero patitur hoc ratio, ut quisquam sit orator imparatus ad casus? Quid, cum adversario respondendum erit, fiet? Nam sæpe ea quæ opinati sumus, et contra quæ scripsimus, fallunt, ac tota subito causa mutatur. Atque, ut gubernatori ad incursus tem-

(1) Cum illud *utrumque*, quod habent editi quique libri, sententiam et elocutionem vix Fabio dignam proferre videretur, Gesn. conj. leg. *utcumque*; nos, ad superiora respicientes, *utrinque* reposuimus: certe, ut recordari et prævidere, ita quærere aliquando et quæ cogitarit quæque postea dicturus sit, oratori quodam modo necesse est: pejus tamen quæritur retrorsus; quia, cum alia (nempe quæ a nobis inventa sunt) desideramus, ab aliis (scilicet quæ inveniri possunt) avertimur. Jam sub finem c. 1. hujusce libri *utrumque* pro *utrinque* manifesto errore Gesnerus et quos secutus est, quique illum secuti sunt, edidit. O.

pestatum, sic agenti ad varietatem causarum ratio mutanda est. Quid porro multus stylus, et assidua lectio, et longa studiorum ætas facit, si manet eadem quæ fuit incipientibus difficultas? Periisse profecto confitendum est præteritum laborem, cui semper idem laborandum est. Neque ego hoc ago, ut ex tempore dicere malit, sed ut possit.

Id autem maxime hoc modo consequemur. Nota sit, primum, dicendi via: neque enim prius contingere cursus potest, quam scierimus, quo sit et qua perveniendum. Nec satis est non ignorare, quæ sunt causarum judicialium partes, aut quæstionum ordinem recte disponere, quantum ista sunt præcipua; sed, quid quoque loco primum sit, quid secundum, ac deinceps; quæ ita sunt natura copulata, ut mutari aut intervelli sine confusione non possint. Quisquis autem viam qua sit ingrediendum discet, ducetur ante omnia rerum ipsa serie velut duce: propter quod homines etiam modice exercitati, facillime tenorem in narrationibus servant. Deinde, quid quoque loco quærant, scient; nec circumspectabunt, nec offerentibus se aliunde sensibus turbabuntur, nec confundentur ex diversis orationem, velut salientes huc illuc, nec usquam insistentes. Postremo, habebunt modum et finem, qui esse citra divisionem nullus potest. Expletis pro facultate omnibus quæ proposuerint, pervenisse se ad ultimum sentient. Et hæc quidem ex *arte*: illa vero ex *studio*; ut copiam sermonis optini, quemadmodum præceptum est, comparemus; multo ac fideli stylo sic formetur oratio, ut scriptorum colorem ea, quæ subito effusa sunt, reddant; et, cum multa scripserimus, etiam (1) plura dicamus. Nam consuetudo, et exercitatio, facilitatem maxime parit; quæ si paululum intermissa fuerit, non velocitas illa modo tardatur, sed ipsum (2) os quoque concurrit. Quanquam enim opus est naturali quadam mobilitate animi, ut, dum proxima dicimus, struere ulteriora possimus, semperque nostram vocem provisam et formata cogitatio excipiat; vix tamen aut natura aut ratio in tam multiplex officium diducere animum queat, ut inventioni, dispositioni, elocutioni, ordini verborum rerumque, tum iis quæ dicit, quæ

(1) *Paulum* hic G. Jens. *paulum* Goth. 2. unde illud *plura* defendi posse videtur. *Ea* pro etiam paulo ante leg. auct. Gothana. Vid. c. 6. hujus libri: —*ea*, quæ subito nata sunt, inserantur. Multa illa, quæ scripserimus, ad verbum in agendo referre, non ex studio, sed memoria est. *O.*

(2) Ita restituimus hunc locum, probante Gesnero; q. vid. omnino; illud *ταχρῆτα*, glossema utique recentioris ævi, ab omnibus MSS. et edit. antiquissimis abesse, certum est. *O.*

subjuncturus est, quæ ultra spectanda sunt, adhibita vocis, pronuntiationis, gestus observatione, una sufficiat. Longe enim præcedat oportet intentio, ac præ se res agat; quantumque dicendo consumitur, tantum ex ultimo prorogetur: ut, donec perveniamus ad finem, non minus prospectu procedamus quam gradu, si non intersistentes offensantesque brevia illa atque concisa singultantium modo ejecturi sumus. Est igitur quidam usus irrationabilis, quem Græci *ἄλογον τρέψην* vocant, quo manus in scribendo decurrit, quo oculi totos simul in lectione versus, flexusque eorum et transitus intuentur, et ante sequentia vident, quam priora dixerunt. Quo constant miracula illa in scenis pilariorum (1) ac ventilatorum, ut ea, quæ emiserint, ultro venire in manus credas, et qua jubentur decurrere. Sed hic usus ita proderit, si ea, de qua locuti sumus, ars antecesserit, ut ipsum illud, quod in se rationem non habet, in ratione versetur: nam mihi ne dicere quidem videtur, nisi qui disposite, ornate, copioseque dicit. Sed nec tumultuarii, nec fortuiti sermonis contextum mirabor unquam; quem jurgantibus etiam mulierculis superfluere video; quanquam, cum quidem si calor ac spiritus tulit, frequenter etiam accidit, ut successum extemporalem consequi cura non possit. *Deum* tunc *affuisse*, cum id evenisset, veteres oratores, ut Cicero dicit, aiebant. Sed ratio manifesta est: nam bene concepti affectus, et recentes rerum imagines continuo impetu feruntur, quæ nonnunquam mora styli refrigescunt, et dilatæ non revertuntur utique: cum vero infelix illa verborum cavillatio accessit, et cursus ad singula vestigia restitit, non potest ferri contorta vis; sed, ut optime vocum singularum cedat electio, non continua, sed composita est. Quare capiendæ sunt illæ, de quibus dixi, rerum imagines, quas vocari *φαντασίας* indicavimus; omniaque, de quibus dicturi erimus, personæ, quæstiones, spes, metus, habenda in oculis, in affectus recipienda: pectus est enim quod disertos facit, et vis mentis; ideoque imperitis quoque, si modo sunt aliquo affectu concitati, verba non desunt: tum intendendus animus, non in aliquam rem unam, sed in plures simul continuas: ut, si per aliquam rectam viam mittamus oculos, simul omnia quæ sunt in ea circaque intueimur; non ultimum tantum videmus, sed

(1) *Pilarii*, sunt præstigiatores, qui adhibitis pilulis et spherulis miracula efficiunt. At *ventilatores* sunt qui tanta arte præstigiis utuntur, ut ea, quæ in manibus habent, dispareant, et in ventum abire videantur. *Turn.*

usque ad ultimum. (1) Ad dicendum etiam pudor stimulos adhibet, et dicendorum expectata laus: mirumque videri potest, quod, cum stylus secreto gaudeat, atque omnes arbitros reformidet, extemporalis actio auditorum frequentia, ut miles congestu signorum, excitatur. Namque et difficiliorem cogitationem exprimit et expellit dicendi necessitas, et secundos impetus auget placendi cupido. Adeo præmium omnia spectant, ut eloquentia quoque, quanquam plurimum habeat in se voluptatis, maxime tamen præsentis fructu laudis opinionisque ducatur. Nec quisquam tantum fidat ingenio, ut id sibi spectet incipienti statim posse contingere; sed, sicut in cogitatione præcepimus, ita facultatem, quoque extemporalem a parvis initiis paulatim perducemus ad summam; quæ nec perfici nec contineri nisi usu potest. Cæterum pervenire eo debet, ut cogitatio non utique melior sit ea, sed tutior: cum hanc felicitatem non in prosa modo multi sint consecuti, sed etiam in carmine, ut Antipater Sidonius, et Licinius Archias. Credendum enim Ciceroni est: non quia nostris quoque temporibus non et fecerint quidam hoc, et faciant: quod tamen ipsum non tam probabile puto (neque enim habet aut usum res, aut necessitatem) quam exhortandis in hanc spem, qui foro præparantur, utile exemplum. Neque vero tantam esse unquam fiduciam facilitatis velim, ut non breve saltem tempus, quod nusquam fere deerit, ad ea quæ dicturi sumus dispicienda sumamus: quod quidem in judiciis ac foro datur semper; neque enim quisquam est qui causam quam non didicerit agat. Declamatores quosdam perversa ducit ambitio, ut exposita controversia protinus dicere velint; quin etiam, quod est in primis frivolum ac scenicum, verbum petant quo incipiant: sed tam contumeliosos in se ridet invicem eloquentia; et, qui stultis eruditi videri volunt, stulti eruditis videntur. Si qua tamen fortuna tam subitam fecerit agendi necessitatem, mobiliore quodam opus erit ingenio, et vis omnis intendenda rebus, et in præsentia remittendum aliquid ex cura verborum, si utrumque sequi non dabitur. Tum et tardior pronuntiatio moras habet, et suspensa ac velut dubitans oratio, ut tamen deliberare, non hæsitare, videamur. Hoc, dum egredimur e portu, si nos nondum aptatis satis armamentis aget ventus: deinde paulatim simul euntes aptabimus

(1) Ita ex Goth. leg. nisi quod *adhibet* ex contrariis illis *addit et habet* contici posse putavimus. O.

vela, et disponemus rudentes, et impleri sinus optabimus. Id potius, quam se inani verborum torrenti dare quasi tempestatibus quo volent auferendum.

Sed non minore studio continetur hæc facultas, quam paratur. Ars enim semel percepta non labitur: stylus quoque intermissione paulum admodum de celeritate perdit: promptum hoc, et in expedito positum, exercitatione sola continetur. Hac uti sic optimum est, ut quotidie dicamus audientibus pluribus, maxime de quorum sumus iudicio ac opinione solliciti: rarum est enim ut satis se quisquam vereatur: vel soli tamen dicamus potius, quam non omnino dicamus. Est alia exercitatio cogitandi, totasque materias vel silentio (dum tamen quasi dicat intra se ipsum) persequendi, quæ nullo non et tempore et loco, quando non aliud agimus, explicari potest: et est in parte utilior quam hæc proxima: diligentius enim componitur, quam illa, in qua contextum dicendi intermittere veremur: rursus ad alia prior plus confert, vocis firmitatem, oris facilitatem, motum corporis, qui et ipse, ut dixi, excitat oratorem, et jactatione manus, pedis suppositione, sicut cauda leones facere dicuntur, hortatur. Studendum vero semper, et ubique. Neque enim fere tam est ullus dies occupatus, ut nihil (1) lucrativæ, ut Cicero Brutum facere tradit, operæ ad scribendum, aut ad legendum, aut ad dicendum, rapi aliquo momento temporis possit. Siquidem C. Carbo etiam in tabernaculo solebat hac uti exercitatione dicendi. Ne id quidem tacendum est, quod eidem Ciceroni placet nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem: quidquid loquemur, ubicunque, sit pro sua scilicet portione perfectum. Scribendum certe nunquam est magis, quam cum multa dicemus ex tempore. Ita enim servabitur pondus, et (2) innatans illa verborum facilitas in altum reducetur: sicut rustici proximas vitis radices amputant, quæ illam (3) in summum solum ducunt, ut inferiores penitus descendendo firmentur. Ac nescio an utrumque, cum cura et studio fecerimus, invicem prosit, ut scribendo dicamus diligentius, dicendo scribamus facilius. Scribendum ergo, quoties licebit; si id non dabitur, cogitandum: ab utroque exclusi debent tamen adniti, ut neque deprehensus orator, neque litigator destitutus esse videatur. Plerumque autem multa agentibus accidit, ut maxime

(1) Ita leg. ex Goth. ubi *lucrative* scriptum est: illud *lucris vel*, ex compendio *lucrive* ortum, monstrum est. O.

(2) Levior et quasi in superficie natans, gravior et profundior fiet,

(3) Quæ illam in superficiem terræ adducunt.

necessaria, et utique initia, scribant; cætera, quæ domo afferunt, cogitatione complectantur; subitis ex tempore occurrant. Quod fecisse M. Tullium (1) commentariis ipsius apparet: sed feruntur aliorum quoque, et inventi forte, ut eos dicturus quisque composuerat, et in libros digesti; ut caesarum quæ sunt actæ a Servio Sulpitio, ejus tres orationes extant. Sed hi, de quibus loquer, commentarii ita sunt exacti, ut ab ipso mihi in memoriam posteritatis videantur esse compositi. Nam Ciceronis ad præsens modo tempus aptatos libertus Tyro contraxit: quos non ideo excuso, quia non probem, sed ut sint magis admirabiles. In hoc genere prorsus recipio hanc brevem annotationem, libellosque, qui vel manu teneantur, et ad quos interim respicere fas sit. Illud, quod Lenas præcipit, displicet mihi; quæ scripserimus, in summas, sive commentarios et capita, conferre: facit enim ediscendi negligentiam hæc ipsa fiducia, et lacerat ac deformat orationem. Ego autem ne scribendum quidem puto, quod simus memoria (2) persecuturi: nam hic quoque accidit, ut revocet nos cogitatio ad illa elaborata, nec sinat præsentem fortunam experiri: sic anceps inter utrumque animus æstuat, cum et scripta perdidit, et non quærit nova. Sed de *memoria* destinatus est libro proximo locus, nec huic parti subjungendus, quia sunt alia prius nobis dicenda.

(1) *Commentarii*, libri sunt, qui summas rerum complectuntur. Illi conficiebantur ab oratoribus ad causæ dispositionem et memoriam. *Idem*.

(2) Ita jam Gibs. aliique; non *prosecuturi*. Ne scribendum esse putat Fabius, quod superstitiose et fideliter nimis per totam orationem repetere et ad finem persequi memoria studeamus: præsentem utique fortunam experiri fas est; et, cum multa scripserimus, plura tamen dicenda sunt. *Perperam* igitur non contra omnes libros MSS. ins. aliqui. O.

M. FABII QUINTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER XI.

1. **P**ARATA, sicut superiore libro continetur, facultate scribendi, cogitandique, et ex tempore etiam, cum res poscet, orandi; proxima est cura, ut *dicamus apte*: quam virtutem elocutionis (1) quartam Cicero demonstrat; quæque est meo quidem iudicio maxime necessaria: nam, cum sit ornatus orationis varius et multiplex, conveniatque aliis aliis; nisi fuerit accommodatus rebus atque personis, non modo non illustrabit eam, sed etiam destruet, et vim rerum in contrarium vertet. Quid enim prodest, esse verba et Latina, et significantia, et nitida, figuris etiam numerisque elaborata, nisi cum iis, in quæ iudicem duci formarique volumus, consentiant? si genus sublime dicendi parvis in causis; parvum limatumque grandibus, lætum tristibus, lene asperis, minax supplicibus, submissum concitatis, trux atque violentum jucundis adhibeamus? ut monilibus et margaritis, ac veste longa, quæ sunt ornamenta feminarum, deformentur viri; nec habitus triumphalis, quo nihil cogitari potest augustius, feminas deceat. Hunc locum Cicero breviter in tertio de Oratore libro perstringit (neque tamen quidquam videri potest omisisse) dicendo; *non omni causæ, nec auditori, nec personæ, nec tempori, congruere orationis unum genus; nec fere pluribus in Oratore eadem: sed illic L. Crassus, cum apud summos oratores hominesque eruditissimos dicat,*

(1) Scilicet in libro De Oratore 3, 10. "Quinam igitur dicendi est modus melior, quam ut *Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodeunque agetur, apte congruenterque dicamus?*" O.

satis habet partem hanc velut notare inter agnoscentes; et hic Cicero, alloquens Brutum, testatur esse hæc ei nota, ideoque brevius a se dici, quanquam sit fusus locus, tracteturque a philosophis latius: nos, *institutionem* professi, non solum scientibus ista, sed etiam discantibus tradimus; ideoque paulo pluribus verbis debet haberi venia.

Quare notum sit nobis ante omnia, quid conciliando, docendo, movendo judici conveniat; quid quaque parte orationis petamus. Ita, neque vetera, aut translata, aut ficta verba incipiendo, narrando, argumentando tractabimus; neque (1) decurrentes contexto nitore circuitus, ubi dividenda erit causa, et in partes suas dirigenda; neque humile atque quotidianum sermonis genus, et compositione ipsa dissolutum, epilogis dabimus; nec jocis lacrymas, ubi opus erit miseratione, siccabimus. Nam ornatus omnis non tam sua, quam rei cui adhibetur, conditione constat; nec plus refert quid dicas, quam quo loco. Sed totum hoc, *apte dicere*, non elocutionis tantum genere constat, sed est eum inventione commune: nam, si tantum habent etiam verba momentum, quanto res ipsæ majus? quarum quæ esset observatio, suis locis subinde subjecimus. Illud est diligentius docendum, eum demum dicere *apte*, qui non solum quid expediat, sed etiam quid deceat, inspexerit. Nec me fugit, plerumque hæc esse conjuncta: nam quod decet, fere prodest; neque alio magis animi iudicium conciliari, aut, si res in contrarium tulit, alienari solent. Aliquando tamen et hæc dissentiant: quoties autem pugnabunt, ipsam utilitatem vincet quod decet. Nam quis nescit, nihil magis profuturum ad absolutionem Socrati fuisse, quam si esset usus illo judiciali genere defensionis, et oratione submissa conciliasset iudicum animos sibi, crimenque ipsum sollicite redarguisset? verum id eum minime decebat; ideoque sic egit, ut qui pœnam suam honoribus summis esset aestimaturus. Maluit enim vir sapientissimus, quod superesset ex vita sibi perire, quam quod præterisset; et, quando ab hominibus sui temporis parum intelligebatur, posterorum se judiciis reservavit, brevi detrimento jam ultimæ senectutis ævum sæculorum omnium consecutus. Itaque, quamvis Lysias, qui tum in dicendo præstantissimus habebatur, defensionem illi scriptam attulisset, uti ea noluit, eum bonam quidem, sed parum sibi convenientem judicasset. Quo vel solo patet, non persuadendi,

(1) Sic postea, *decurrentibus periodis* &c. O.

sed bene dicendi finem in oratore servandum, cum interim persuadere deformis sit. Non fuit hoc utile absolutioni; sed, quod est majus, homini fuit. Et nos, secundum communem potius loquendi consuetudinem, quam ipsam veritatis regulam, divisione hac utimur; ut ab eo, quod deceat, utilitatem separemus: nisi forte prior ille Africanus, qui patriam cedere cum tribano plebis humillimo contendere de innocentia sua maluit, inutiliter sibi videtur consuluisse; aut P. Rutilius, vel cum illo pene Socratico genere defensionis est usus, vel cum, revocante eum P. Sylla, manere in exilio maluit, quid sibi maxime conduceret, nesciebat. Hi vero parva illa, quæ abjectissimus quisque animus utilia credit, si cum virtute conferantur, despicienda judicaverunt; ideoque perpetua sæculorum admiratione celebrantur. Neque nos simus tam humiles, ut, quæ laudamus, inutilia credamus. Sed hoc qualecunque discrimen raro admodum evenit: cæterum idem fere, ut dixi, in omni genere causarum et proderit et decebit: est autem, quod omnes et semper et ubique—suadere ac dicere honeste; contraque neminem unquam ullo in loco turpiter. Minora vero, quæque sunt ex mediis, plerumque sunt talia, ut aliis sint concedenda, aliis non sint; aut pro persona, tempore, loco, causa, magis ac minus vel excusanda debeant videri, vel reprehendenda: cum dicamus autem de rebus aut alienis, aut nostris, dividenda est ratio eorum; dum sciamus, pleraque neutro loco convenire.

In primis igitur omnis sui vitiosa jactatio est, eloquentiæ tamen in oratore præcipue: affertque audientibus non fastidium modo, sed plerumque etiam odium. Habet enim mens nostra natura sublime quiddam et erectum, et impatiens superioris: ideoque abjectos, aut submittentes se, libenter allevamus, quia hoc facere tanquam majores videmur; et, quoties discessit æmulatio, succedit humanitas; at, qui se supra modum extollit, alios premere ac despiciere creditur, nec tam se majorem, quam minores cæteros, facere: inde invident humiliores; nam hoc vitium est eorum, qui nec cedere volunt, nec possunt contendere; rident superiores; improbant boni. Plerumque vero deprehendas arrogantium fallacem de se opinionem: sed in veris quoque sufficit conscientia. Reprehensus est in hac parte non mediocriter Cicero: quanquam is quidem rerum a se gestarum major, quam eloquentiæ, fuit in orationibus (1) utique jactator. Ac plerumque illud quo-

(1) Vel uno hoc loco satis patet, qualem sæpe vim habeat illud *utique*;

que non sine aliqua ratione fecit: aut enim tuebatur eos, quibus erat usus adjutoribus in opprimenda conjuratione; aut respondebat invidiæ, cui tamen non fuit par, servatæ patriæ prænam passus exilium: ut illorum, quæ egerat in consulatu, frequens commemoratio possit videri non gloriæ magis quam defensionis data. Eloquentiam quidem cum plenissimam diversæ partis advocatis concederet, sibi nunquam in agendo immodice arrogavit: illius sunt enim,—Si quid est in me ingenii, judices, quod sentio quam sit exiguum: et, Nam quo minus ingenio possum, subsidium mihi diligentia comparavi:—quin etiam contra Q. Cæcilium de accusatore in Verrem constituendo, quamvis multum esset in hoc quoque momenti, uter ad agendum magis idoneus veniret, dicendi tamen facultatem magis illi detraxit, quam arrogavit sibi; seque non consecutum, sed omnia fecisse ut posset eam consequi, dixit. In epistolis aliquando familiariter apud amicos, nonnunquam in dialogis, aliena tamen persona, verum de eloquentia sua dicit. Et aperte tamen gloriari nescio an sit magis tolerabile, vel ipsa vitii hujus simplicitate, quam illa jactatione perversa, si abundans opibus pauperem se, nobilis obscurum, et potens infirmum, et disertus imperitum plane et infantem vocet. Ambitiosissimum gloriandi genus est etiam (1) deridere. Ab aliis ergo laudemur: nam ipsos, ut Demosthenes ait, erubescere etiam, cum ab aliis laudemur, decet. Neque hoc dico, non aliquando de rebus a se gestis oratori esse dicendum; sicut eidem Demostheni pro Ctesiphonte: quod tamen ita emendavit, ut necessitatem id faciendi ostenderet, invidiamque omnem in eum regeret, qui hoc se coegisset: et M. Tullius sæpè dicit de oppressa conjuratione Catilinæ, sed modo id virtuti senatus, modo providentiæ deorum immortalium assignat. Plerumque contra inimicos atque obtrectatores plus vindicat sibi: erant enim tuenda cum objicerentur. In carminibus utinam (2) pepercisset, quæ non desierunt carpere maligni,

quod Fabio in deliciis fuisse videtur. Nimirum apud Græcos cum particulam *γῆ* eleganter æque ac significanter usurpatum vidisset, Latinam *utique* eodem sensu accipi voluit. In *orationibus* utique, *ἐν τοῖς λόγοις γῆ*, &c; mox, quasi e d-verticulo in viam rediens, addit, In *epistolis* aliquando,—nonnunquam in *dialogis*,—verum de eloquentia sua dicit. *O.*

(1) Deridere alios, quasi inferiores, eosque subsannando in contemptum adducere. *R.* Vid. Gesn. not. in locum. *O.*

(2) Cicero carmine scripserat tres libros de temporibus suis, ut scribit ad Lentulum epist. 9. l. 1. sub finem. In his autem non parcebat suis ipse laudibus. *Tern.*

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ: Et,
O fortunatam natam me Consule Roman!

et Jovem illum, a quo in consilium deorum advocatur; et Minervam, quæ omnes eum artes edocuit: quæ sibi ille, secutus quædam Græcorum exempla, permiserat. Verum eloquentiæ ut indecora jactatio, sic nonnunquam concedenda fiducia est: nam quis reprehendat hæc?— Quid putem? contentumne me? non video, nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quid despiciere possit Antonius:—et paulo post apertius,—An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est: quid enim plenius, quid uberius, quam mihi pro me, et contra Antonium dicere?— . Arrogantes et illi, qui se judicasse de causa, nec aliter affuturos fuisse, proponunt: nam et inviti iudices audiunt præsumptam partes suas; nec hoc oratori contingere inter adversarios, quod Pythagoræ inter discipulos contigit, potest, *Ipse dixit*. Sed istud magis minusve vitiosum est pro personis dicentium: defenditur enim aliquatenus ætate, dignitate, auctoritate: quæ tamen vix in ullo tanta fuerint, ut non hoc affirmationis genus temperandum sit aliqua moderatione, sicut omnia in quibus patronus argumentum ex se ipso petet. (1) Quid fuisset tumidius, si criminis loco esse negasset Cicero, equitis Romani esse filium, *se defendente*? at ille fecit hoc etiam favorabile, conjungendo cum iudicibus dignitatem suam:—Equitis autem Romani esse filium, criminis loco poni ab accensatoribus, neque his judicantibus oportuit, neque defendentibus nobis.—Impudens, tumultuosa, iracunda actio, omnibus indecora; sed, ut quisque ætate, dignitate, usu præcedit, magis in ea reprehendendus. Videas autem rixatores quosdam neque iudicium reverentia, neque agendi more ac modo, contineri, quos ipso mentis habitu manifestum sit, tam in suscipiendis quam in agendis causis, nihil pensi habere. Profert enim mores plerumque oratio, et animi secreta detegit: nec sine causa Græci prodiderunt; *ut vivat, quemque etiam dicere*. Humiliora illa vitia; submissa adulatio, affectata scurrilitas, in rebus ac verbis parum modestis ac pudicis vilis pudor, in omni negotio neglecta auctoritas: quæ fere accidunt iis, qui nimium aut blandi esse aut risiculi volunt.

Ipsam etiam eloquentiæ genus alios aliud decet. Nam

(1) Quod omnes hic legunt, neglecta interrogandi formula; unde sententia, alioqui clarissima, tenebras obducere videntur. O.

neque tam plenum, et erectum, et audax, et (1) petulcum, senibus convenerit, quam pressum, et mite, et limatum, et quale intelligi vult Cicero, cum dicit, orationem suam cœpisse *canescere*: sicut vestibus quoque non purpura coccoque fulgentibus illa ætas satis apta sit: in juvenibus et uberiora paulo, et pene periclitantia feruntur; at in iisdem siccum, et sollicitum, et contractum dicendi propositum, plerumque affectatione ipsa severitatis invisum est: quando etiam morum senilis auctoritas immatura in adolescentibus creditur. Simpliciora militares decet. Philosophiam ex professo (ut quidam faciunt) ostentantibus parum decori sunt plerique orationis ornatus, maximeque ex affectibus, quos illi vitia dicunt. Verba quoque exquisitiora, et compositio numerosa tali proposito diversa: non enim solum illa lætiora, qualia a Cicerone dicuntur, — Saxa atque solitudines voci respondent; — sed etiam illa, quanquam plena sanguinis, — Vos enim jam, Albani tumuli atque luci, vos inquam imploro atque testor, vosque, Albanorum obruta aræ, sacrorum Populi Romani sociæ et æquales; — non conveniunt barbæ illi atque tristitiæ. At vir civilis vereque sapiens, qui se non otiosis disputationibus sed administrationi reipublicæ dediderit, a quæ longissime isti qui philosophi vocantur recesserunt, omnia, quæ ad efficiendum oratione quod proposuerit valent, libenter adhibebit; cum prius, quod honestum sit, effingere in animo suo constituerit. Est quod principes deceat; aliis non concesseris. Imperatorum ac triumphalium separata est aliqua ex parte ratio eloquentiæ: sicut Pompeius abunde disertus rerum suarum narrator: et hic, qui bello civili se interfecit, Cato eloquens senator fuit. Idem dictum, sæpe in alio liberum, in alio furiosum, in alio superbum est. Verba adversus Agamemnonem a Thersite habita ridentur: da illa Diomedæ, aliive cui pari, magnum animum ferre præ se videbantur. — Ego te Consulem putem, (inquit L. Crassus Philippo) cum tu me non putes Senatorem? — vox honestissimæ libertatis: non tamen ferres quemcunque dicentem. Negat se magni facere aliquis (2) poetarum, — utrum Cæsar ater an albus

(1) Ita ex Goth. *Præcultum*, quod omnes tamen legunt, idem fere quod *limatum* significare videtur. *Petulcum*, elegantissime de audaci illo genere eloquentiæ dictum, quod non senibus sed juvenibus potius convenerit, vere Fabianum eum sit, quidni Fabio restituatur? O.

(2) *Aliquis poetarum* cum contemptu quodam in hominem, Fabio iudice nimis liberum, haud inconsulto dici videtur. Cæterum, inter epigrammata Catulli hodie leguntur ista; Ep. xc.

Nil nimium studeo, Cæsar, tibi velle placere;
Nec scire, utrum sis albus an ater homo. O.

homo sit:—insania! Verte, ut idem Cæsar de illo dixerit; arrogantia est. Major in personis observatio est apud comicos tragicosque: multis enim utuntur, et variis. Eadem et eorum, qui orationes aliis scribebant, fuit ratio, et declamantium est: non enim semper ut advocati, sed plerumque ut litigatores dicimus: verum etiam in his causis quibus advocamur, eadem differentia diligenter est custodienda; utimur enim fictione personarum, et velut ore alieno loquimur; dandique sunt iis, quibus vocem accommodamus, sui mores: aliter enim P. Clodius, aliter Appius Cæcus, aliter Cæcilianus ille, aliter Terentianus pater fingitur. Quid asperius lictore Verris:—Ut aideas, tantum dabis?—quid fortius illo, cujus inter ipsa verberum supplicia una vox audiebatur:—Civis Romanus sum!—Quam dignæ Milonis in peroratione ipsa voces eo viro, qui pro republica seditiosum civem toties compecuisset, quique insidias virtute superasset! Denique, non modo quot in causa, totidem in prosopopœia sunt varietates; sed hoc etiam plures, quod in his puerorum, feminarum, populorum, mutarum etiam rerum assimilamus affectus, quibus omnibus debetur suus decor.

Eadem in iis, pro quibus agemus, observanda sunt. Aliter enim pro alio sæpe dicendum est, ut quisque honestus, humilis, invidiosus, favorabilis erit, adjecta propositorum quoque et anteactæ vitæ differentia. Jucundissima vero in oratore humanitas, facilitas, moderatio, benevolentia. Sed illa quoque diversa bonum virum decent, malos odisse, publica vice commoveri, ultum ire cœclera et injurias: et omnia, ut initio dixi, honesta.

Nec tantum, quis, et pro quo, sed etiam apud quem dicas, interest: facit enim et fortuna discrimen, et potestas; nec eadem apud principem, magistratum, senatorem, privatum tantum, liberum, ratio est; nec eodem sono publica judicia et arbitrorum disceptationes aguntur: nam, ut orantem pro capite sollicitudo deceat, et cura, et omnes ad amplificandum orationem quasi machinæ, ita in parvis rebus judiciisque vana sint eadem; rideaturque merito, qui, apud disceptatorem de re levissima sedens dicturus, utatur illa Ciceronis confessione,—Non modo se animo commoveri, sed etiam corpore ipso perhorrescere.—Quis vero nesciat, quin aliud dicendi genus poscat gravitas senatoria, aliud aura popularis? cum, etiam singulis judicantibus, non idem apud graves viros, quod leviores, non idem apud eruditum, quod militarem ac rusticum, deceat; sitque nonnunquam submittenda et con-

trahenda oratio, ne iudex eam vel intelligere vel capere non possit.

Tempus quoque ac locus egent observatione propria: nam et *tempus* tum lætum, tum triste, tum liberum, tum angustum est; atqui ad hæc omnia componendus orator: et *loco* publico privato, celebri an secreto, aliena civitate an tua, in castris denique an foro dicas, interest plurimum: ac suam quidque formam, et proprium quemdam modum eloquentiæ, pascit: cum etiam in cæteris actibus vitæ non idem in foro, curia, campo, theatro, domi, facere conveniat; et pleraque, quæ natura non sunt reprehendenda, atque ideo interim sunt necessaria, alibi quam mos permiserit turpia habeantur.

Illud jam diximus, quanto plus nitoris et cultus *demonstrative* materiæ, ut ad delectationem audientium compositæ, quam, quæ sunt in actu et contentione, *suasorie* *judicialesque* permittant. Hoc adhuc adjiciendum, aliquas etiam quæ sunt egregiæ dicendi virtutes, quo minus deceant, effici conditione causarum. An quisquam tulerit reum in discrimine capitis, præcipue qui apud victorem et principem pro se ipse dicat, frequenti translatione, fictis ac repetitis ex vetustate verbis, compositione quæ sit maxime a vulgari usu remota, decurrentibus periodis, quam lætissimis locis sententiisque, dicentem? Non perdant hæc omnia necessariam periclitanti sollicitudinis colorem, petendumque etiam innocentibus misericordiæ auxilium? Commoveaturne quisquam ejus fortuna, quem tumidum, ac sui jactantem, et ambitiosum iustitorem eloquentiæ, in ancipiti sorte videat? Non: imo oderit reum verba aucupantem, et auxilium de fama ingenii, et cui esse disertio vacet. Quod mire M. Cælius in defensione causæ, quæ reus de vi fuit, comprehendisse mihi videtur: — Ne cui vestrum, atque etiam omnium qui ad rem agenda adsunt, (1) meus aut vultus molestior, aut vox immoderatio aliqua, aut denique (quod minimum est) jactantior gestus fuisse videatur. — Atqui sunt quædam actiones in satisfactione, deprecatione, confessione positæ: sententiosisne flendum erit? epiphonemata aut enthymemata exorabunt? non quidquid meris adjicietur affectibus omnes eorum diluet vires, et miseracionum securitate laxabit?

(1) Ita MS. Bodl. ut not. Gibs. non male. Mox *minimum* conj. Roll. præ *minum*; cui obsequimur. Sic variant libri in illo Catulli loco, quem utique hoc modo legimus,

Salve, nec *nimis* puella naso, &c; ut alias,
Ista turpiculo puella naso. O.

Age, si de morte filii sui, vel injuria, quæ morte sit gravior, dicendum patri fuerit, aut in narrando gratiam illam expositionis, quæ continget ex sermone puro atque dilucido, quæret, breviter ac significanter ordinem rei protulisse contentus? aut argumentum diducet in digitos, et propositionum ac partitionum captabit leporem? et, ut plerumque in hoc genere moris est, intentione omni remissa loquetur? Quo fugerit interim dolor ille? ubi lacrymæ substituerint? unde se in medium tam securo observatio *Artium* emiserit? Non ab exordio usque ad ultimam vocem continuus quidam gemitus, et idem tristitiæ vultus servabitur, si quidem volet dolorem suum etiam in audientes transfundere? quem si usquam remiserit, in animam judicantium non reducet. Quod præcipue declamantibus (neque enim me pœnitent ad hoc quoque opus meum, et curam susceptorum semel adolescentium, respicere) custodiendum est, quo plures in schola finguntur affectus, quos non ut advocati, sed ut passi, subimus. Cum etiam hoc genus simulari litium soleat, cum jus mortis a senatu quidam, vel ob aliquam magnam infelicitatem, vel etiam pœnitentiam, petunt; in quibus non solum non cantare, quod vitium pervasit, aut lascivire, sed ne argumentari quidem nisi mistis, et quidem ita ut in ipsa probatione magis emineant, affectibus decet. Nam qui intermittere in agendo dolorem potest, videtur postea etiam deponere.

Nescio tamen an hujus, de quo loquimur, decoris custodia maxime circa eos, contra quos dicimus, examinanda sit. Nam sine dubio in omnibus statim accusationibus hoc agendum est, ne ad eas libenter descendisse videamur: ideoque mihi illud Cassii Severi non mediocriter displicet,—Dii boni, vivo; et, quo me vivere juvet, Asprenatem reum video!—non enim justa ex causa vel necessaria videri potest postulasse eum, sed quadam accusandi voluptate. Præter hoc tamen, quod est commune, propriam moderationem quædam causæ desiderant. Quapropter, et qui curationem bonorum patris persequatur, doleat ejus valetudine; et quamlibet gravia filio pater objecturus, miserrimam sibi ostendat esse hanc ipsam necessitatem, nec hoc paucis modo verbis, sed toto colore actionis, ut id eum non dicere modo, sed etiam vere dicere appareat; nec causanti pupillo sic tutor irascatur unquam, ut non remaneant amoris vestigia, et sacra quædam patris ejus memoria.

Unum huic loco, quod est sane summæ difficultatis, adjiciendum videtur; quibus modis ea, quæ sunt

natura parum speciosa, quæque non dicere, si utrumlibet esset liberum, maluissemus, non tamen sint indecora dicentibus. Quid asperiores habere frontem potest, aut quid aures hominum magis respuunt, quam cum est filio filiivæ advocatis in matrem perorandum? Aliquando tamen necesse est, ut in causa Cluentii Habiti, sed non semper illa via qua contra Sassiam Cicero usus est: non quia non ille optime, sed quia plurimum refert, qua in re et quo modo lædat. Itaque illa, cum filii caput palam impugnaret, fortiter fuit repellenda. Duo tamen, quæ sola supererant, divine Cicero servavit: primum, ne oblivisceretur reverentiæ quæ parentibus debetur; deinde, ut repetitis aliis causis diligentissime ostenderet, quam id, quod erat in matrem dicturus, non oporteret modo fieri, sed etiam necesse esset: primaque hæc expositio fuit, quanquam ad præsentem quæstionem nihil pertinebat. Adeo in causa difficili atque perplexa nihil prius intuendum credidit, quam quid deceret: fecit itaque nomen parentis non filio invidiosum, sed ipsi in quam dicebatur. Potest tamen aliquando mater et in re leviore, aut minus infesta, contra filium stare: tum lenior atque submissior decebit oratio; nam et satisfaciendo aut nostram minuemus invidiam, aut etiam in diversum eam transferemus, et, si graviter dolere filium palam fuerit, credetur abesse ab eo culpa, fietque ultro miserabilis. Avertere quoque in alios crimen decet, ut fraude aliquorum concita credatur: et omnia nos passuros, nihil aspere dicturos, testandum; ut, etiam si non possumus non conviciari, nolle videamur. Etiam, si quid objiciendum erit, officium est patroni, ut id filio invito, sed fide cogente, facere credatur: ita poterit uterque laudari. Quod de matre dixi, de utroque parente accipiendum est: nam inter patres etiam filiosque, cum intervenisset emancipatio, litigatum scio. In aliis quoque propinquitatibus custodiendum est, ut inviti, et necessario, et parce judicemur dixisse: magis autem aut minus, ut cuique personæ debetur reverentia. Eadem pro libertis adversus patronos observantia. Et, ut semel plura complectar, nunquam decebit sic adversus alios agere, (1) quo modo contra nos agi ab hominibus conditionis ejusdem iniquo animo tulissemus. Præstatur hoc aliquando etiam dignitatibus, ut libertatis nostræ ratio reddatur, ne quis nos aut petulantes

(1) *Personas* ins. al. Nos, auctoritate Goth. omisimus. Porro, *alios* reposuimus pro *tales*: unde sententia, ut decuit, facta est *universalis*; nec longe abest a divino illo præcepto, Πάντα οὐν ὅσα ἐν θελήσει ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν εἰ ἀδελφοί, ὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς. O.

in lædendis his, aut etiam ambitiosos putet. Itaque Cicero, quanquam erat in Cottam gravissime dicturus, neque aliter agi P. Oppii causa poterat, longa tamen præfatione excusavit officii sui necessitatem. Aliquando etiam inferioribus, præcipueque adolescentulis, parcere aut (1) revereri decet. Utitur hac moderatione Cicero pro Cœlio contra Atratinum, ut eum non iniucie corripere, sed pene patrie monere videatur. Nam et juvenis, et nobilis, et non injusto dolore venerat ad accusandum. Sed in iis quidem, in quibus vel iudici, vel etiam assistentibus, ratio nostræ moderationis probari debet, minor est labor: illic plus difficultatis, ubi ipsos, contra quos dicimus, veremur offendere. Duæ simul hujusmodi personæ Ciceroni pro Muræna dicenti obstiterunt, M. Catonis, Serviique Sulpitii. Quam decenter tamen Sulpitio, cum omnes concessisset virtutes, scientiam petendi Consulatus ademit! quid enim aliud esset, quo se victum homo nobilis et juris antistes magis ferret? Ut vero rationem defensionis suæ reddidit, cum se studuisse petitioni Sulpitii contra honorem Murænæ, non idem debere accusationi contra caput, diceret! Quam molli autem articulo tractavit Catonem! cujus naturam, summe admiratus, non ipsius vitio sed Stoicæ sectæ quibusdam in rebus factam duriores videri volebat: ut inter eos non forensis contentionem, sed studiosam disputationem, credere incidisse! Hæc est profecto ratio, et certissimum præceptorum genus, illius viri observatio, ut, cum aliquid detrudere salva gratia velis, concedas alia omnia; in hoc solo vel minus peritum quam in cæteris; adjecta, si poterit fieri, etiam causa cur ita sit; vel paulo pertinacior, vel credulum, vel iratum, vel impulsam ab aliis. Hoc illis commune remedium est, si in tota actione æqualiter appareat non honor modo, sed etiam charitas; præterea causa sit nobis justa sic dicendi: neque id moderate tantum faciamus, sed etiam necessario.

Diversum ab hoc, sed facilius, cum hominum aut aliqui turpium, aut nobis invisorum, quædam facta laudanda sunt: decet enim rem ipsam probare in qualicumque persona. Dixit Cicero pro Gabinio, et P. Vatino, inimicissimis antea sibi hominibus, et in quos orationes etiam scripserat: causam vero justam fecit, fatendo, non se de

(1) *Al. mederi!* quod ex eadem fortasse *medica* manu est qua alio in loco *μαρτυρία*. Nos utrumque loco non jure occupato deturbare non dubitamus. Vid. jam antea, Ut cuique personæ debetur *reverentia*. Notam illud quoque apud Juvenalem:

Maxima debetur pueris reverentia, &c. O. .

ingenii fama, sed de fide esse sollicitum. Difficilior ei ratio in iudicio Cluentiano fuit, cum Scamandrum necesse haberet dicere nocentem, cuius egerat causam: verum illud elegantissime, cum eorum, a quibus ipse productus esset, precibus, tum etiam adolescentia sua, excusat: detracturus alioqui plus auctoritatis, si in causa, praesertim suspecta, se cum esse, qui temere nocentes reos susceperet, fateretur.

Apud iudicem vero, quando aut proponitur alienum commodum in causa, quam susceperimus, aut suum, ut persuadendi ardua ratio, ita dicendi expeditissima: fiducia enim iustitiae ejus, non causae mehercle, nihil nos timere simulabimus. Ipse erit gloria inflandus, ut tanto clarior futura sit fides ac religio in pronuntiando, quanto minus vel offensae vel utilitati suae indulerit. Hoc modo et apud eos, a quibus appellatum erit, si forte ad eosdem revertemur, adjicienda ratio vel necessitatis alicujus, si id causae cedit, vel erroris, vel suspicionis. Tutissimum ergo paenitentiae confessio, et satisfactio culpae: perdudendusque omni modo iudex ad irae pudorem. Accidit etiam nonnunquam, ut eandem causam, de qua pronuntiavit, cognoscat iterum: tum illud quidem commune, apud alium nos iudicem disputaturos de illius sententia non fuisse; neque enim emendari ab alio quam ab ipso fas esse; caeterum ex causa, ut quaeque permittet, aut ignorata quaedam, aut defuisse testes, aut (quod timidissime, et si nihil aliud plane fuerit, dicendum est) patronos non satis fecisse. . . Potest evenire, ut in aliis reprehendenda sint, quae ipsi fecerimus; ut objicit Tubero Ligario, quod in Africa fuerit. . . Id quam decenter fieri possit, equidem non invenio, nisi aliquid reperiat quod intersit: persona, aetas, tempus, causa, locus, animus. Tubero, juvenem se patri haesisse, illum a senatu missum non ad bellum, sed ad frumentum coemendum, ait; ut primum licuerit, a partibus recessisse: Ligarium et perseverasse, et non pro Cn. Pompeio, inter quem et Caesarem dignitatis fuerit contentio, cum salvam uterque rempublicam vellet, sed pro Juba atque Afris inimicissimis populo Romano, stetisse. Caeterum, vel facillimum est ibi alienam culpam (1) excusare, ubi fateris tuam: verum id jam iudicis est, non actoris: quod si nulla contingit excusatio, sola colorem habet paenitentia; potest enim videri satis emendatus, qui

(1) Ita legere ausi sumus, cum tantum variant libri; *recusare* Jens. fortasse ex compendio *excusare*. Difficile putat Fabius, reprehendere in aliis quae ipsi fecerimus: id tamen facillimum, *excusare* &c. quod si nulla *contingit excusatio* &c. O.

in odium eorum, in quibus erraverat, ipse conversus est. . . Illud etiam in (1) jocis monui, quam turpis esset fortunæ insectatio; et ne in totos ordines, aut gentes, aut populos, petulantia incurreret. Sed interim fides patrocini cogit, quædam de universo genere aliorum hominum dicere; ut libertinorum, vel militum, vel publicanorum, vel similiter aliorum. In quibus omnibus commune remedium est; ut ea, quæ lædunt, non libenter tractare videaris; nec in omnia impetum facias, sed in id, quod expugnandum est; et, (2) quæ reprehenderis, aliqua laude compenses. Si milites cupidos dicas esse; non mirum, quod periculorum ac sanguinis majora sibi debere præmia putent: eosdem petulantes; et hoc fieri, quod bellis magis quam paci assueverint. Libertinis detrahenda est auctoritas? licet his testimonium reddere industriæ, per quam exierint de servitute. Quod ad nationes externas pertinet, Cicero varie: detracturus Græcis testibus fidem, doctrinam his concedit ac literas; seque ejus gentis amatorem esse profitetur: Sardos contemnit; Allobrogas ut hostes insectatur: quorum nihil tunc, cum diceretur, parum aptum aut remotum a cura decoris fuit. Verborum etiam moderatione detrahi solet, si qua est rei invidia, si *asperum* dicas nimium severum, *injustum* persuasione labi, *pertinacem* ultra modum tenacem esse propositi; plerumque velut ipsa coneris ratione vincere, quod est mollissimum. Indecorum est, super hæc, omne *nimium*: ideoque etiam quod natura rei satis aptum est, nisi modo quoque temperetur, gratiam perdit. Cujus rei observatio judicio magis quodam sentiri, quam præceptis tradi potest, quantum satis sit, et quantum recipiant aures. Non habet hæc res mensuram et quasi pondus; quia, ut in cibis, alia aliis magis complent. Adjiciendum etiam breviter videtur, quod fere dicendi virtutes diversissimæ non solum suos amatores habeant, sed ab eisdem sæpe laudentur. Nam Cicero quodam loco scribit, Id esse optimum, quod cum facile credideris consequi imitatione, non possis: alio vero, Non se id egisse, ut ita diceret, quo modo se quilibet posse confideret, sed quo modo nemo. Quod potest pugnare inter se videri: verum utrumque, ac merito, laudatur;

(1) Scilicet, in lib. 6. c. 2. de *risu* judicis movendo. O.

(2) Ita legendum, si diis placet. Conj. Rollinus, *Quadam* reprehendens aliqua laude &c. quod nostra utique conjectura durius videtur. Cæterum, quæ in hoc uno capite emendavius vitia, plura sunt quam ut ea commemorando tædium quidem lectoribus, nobis vero frivoiæ in parvis jactantia reprehensionem, pariamus. Docti, ut speramus, quæ reprehenderint, aliqua laude compensabunt. O.

causa enim modo distat: quia simplicitas illa et velut securitas inaffectedatæ orationis mire tenues causas decet; majoribus illud admirabile dicendi genus magis convenit. In utroque, eminet Cicero: ex quibus alterum imperiti se posse consequi credent, neutrum qui intelligunt.

II. MEMORIAM quidam naturæ modo esse munus existimaverunt: estque in ea non dubie plurimum: sed ipsa excolendo, sicut alia omnia, augetur; et totus, de quo diximus adhuc, inanis est labor, nisi cæteræ partes hoc velut spiritu continentur. Nam et omnis disciplina memoria constat, frustra que docemur, si quidquid audimus præterfluat: et exemplorum, legum, responsorum, dictorum, bene factorum quæque, velut quasdam copias quibus abundare quasque in promptu semper habere debet orator, eadem illa vis repræsentat. Neque immerito *thesaurus hic eloquentiæ* dicitur. Sed non firme tantum continere, verum etiam cito percipere, multa acturos oportet: nec quæ scripseris modo iterata lectione complecti, sed in cogitatis quoque rerum ac verborum contextum sequi, et quæ sint ab adversa parte dicta meminisse, nec nique eo, quo dicta sunt, ordine refutare, sed opportunis locis ponere. Quid? extemporalis oratio non alio mihi videtur mentis vigore constare: nam, dum alia dicimus, quæ dicturi sumus, intuenda sunt: ita, cum semper cogitatio ultra id quod est longius quaerit, quidquid interim reperit quodammodo apud memoriam deponit, quod illa quasi media quædam manus acceptum ab inventione tradit elocutioni. Non arbitror autem mihi in hoc immorandum, Quid sit quod memoriam faciat? quantum plerique imprimi quædam vestigia nostro animo, quæ velut in ceris annulorum signa serventur, existimant: neque ero tam credulus, ut *corporis* (1) habitu tardio rem firmiorememque memoriam fieri putem; ejus autem, quod ad *animum* pertinet, magis admirer naturam, subito res vetustas tanto ex intervallo repetitas reddere se et offerre, nec tantum requirentibus sed etiam sponte interim; nec vigilantibus, sed etiam quiete compositis magis: eoque illa quoque animalia, quæ carere intellectu videmus, meminerrunt, et agnoscunt, et, quamlibet longo itinere ducta, ad assuetas sibi sedes revertuntur. Quid? non hæc varietas mira est, excidere proxima, vetera inhærere?

(1) Philosophi quidam pro corporis constitutione, quam Fabius *habitum* forte vocat, nunc meliorem, nunc deterio rem esse memoriam aiunt. *Turn.* Illud *corporis* ex conjectura certe modesta restituendum proposuit Gesnerus; cui quidem nobis consentire placet, cum *ἀντιθέτον* illud *animum* vix alioqui satis intelligere, et sententiam Fabii amplecti videamur. *O.*

hesternorum inmemores, acta pueritiæ recordari? Quid? quod quædam requisita se occultant, et eadem forte succurrunt? nec manet semper memoria, sed aliquando etiam redit? Nesciretur tamen, quanta vis esset ejus, quanta divinitas illa, nisi (1) id hoc lumen illi extulisset! non enim rerum modo, sed etiam verborum, ordinem præstat; nec ea pauca contextit, sed durat prope in infinitum; et in longissimis actionibus prius audiendi patientia, quam memoriæ fides deficit. Quod et ipsum argumentum est, subesse artem aliquam, juvari que ratione naturam: cum iidem docti facere illud, indocti et inexercitati non possimus. Quanquam invenio apud Platonem, obstare memoriæ usum literarum; videlicet quod illa, quæ scriptis reposuimus, velut custodire desinimus, et ipsa securitate dimittimus. Nec dubium est, quin plurimum in hac parte valeat mentis intentio, et velut acies luminum a prospectu rerum, quas intuetur, non aversa. Unde accidit, ut quæ per plures dies scribimus, ediscendi causa, cogitatione ipsa contineat.

Artem autem memoriæ primus ostendisse dicitur Simonides; cujus vulgata fabula est: Cum pugili coronato earmen, quale componi victoribus solet, mercede pacta scripsisset, abnegata ei pecuniæ pars est, quod, more poetis frequentissimo digressus, in laudes Castoris et Pollucis exierat; quapropter partem ab iis petere, quorum facta celebrasset, jubebatur: et persolverunt, ut traditum est; nam, cum esset grande convivium in honorem ejusdem victoriæ, atque adhibitus ei cœnæ Simonides, nuntio est excitus, quod eum duo juvenes equis advecti desiderare majorem in modum dicebantur. Et illos quidem non invenit, fuisse tamen gratos erga se, exitu comperit. Nam vix eo limen egresso, triclinium illud supra convivas corruit, atque ita contudit, ut non ora modo oppressorum, sed membra etiam omnia requirentes ad sepulturam propinqui, nulla nota possent discernere. Tum Simonides dicitur, memor ordinis quo quisque discubuerat, corpora suis reddidisse. Est autem magna inter auctores dissensio, Glaucone Carystio, an Leocrati, an Agatharcho, an Scopæ scriptum, sit id carmen: et Pharsali fuerit hæc domus, ut ipse quodam loco significare Simonides videtur, utque Apollodorus, et Eratosthenes, et Euphorion, et Larissæus Eurypylus tradide-

(1) Hunc locum ab aliis tentatum levissima mutatione pristino candori restituisse videmur. *Id* et in frequentissimo librorum lapsu inter se invicem commutantur; quod hodieque typographicæ patiuntur operæ. Sed in talibus inmorari piget; cum tanta præsertim magnorum quoque vitiorum moles premat. O.

runt: an Cranone, ut Apollas Callimachus, quem secutus Cicero hanc famam latius fudit. Scopam nobilem Thesalum perisse in eo convivio constat: adjicitur sororis filius: putant et ortos plerosque ab illo Scopæ, qui major ætate fuerit. Quanquam mihi totum de Tyndaridis fabulosum videtur: neque omnino hujus rei meminisse usquam poeta ipse, profecto non taciturus de tanta sua gloria. Ex hoc Simonidis facto notatum videtur, juvare memoriam signatis animo sedibus, idque credere suo quisque experimento. Nam, cum in loca aliqua post tempus reversi sumus, non ipsa agnoscimus tantum, sed etiam quæ in his fecerimus reminiscimur, personæque subeunt, nonnunquam tacitæ quoque cogitationes in mentem revertuntur. Nata est igitur, ut in plerisque, ars ab experimento. Loca discunt quam maxime spatiosa, multa varietate signata; domum forte magnam, et in multos ductam recessus: in ea quidquid notabile est, animo diligenter affigitur, ut sine cunctatione ac mora partes ejus omnes cogitatio possit percurrere. Et primus hic labor est, non hæere in occurso: plus enim quam firma debet esse memoria, quæ aliam memoriam adjuvet. Tum, quæ scripserunt vel cogitatione complectuntur, et alio signo, quo moneantur, notant: quod esse vel ex re tota potest, ut de navigatione, militia, vel (1) ex verbo aliquo: nam etiam excidentibus unius admonitione verbi in memoriam reponuntur: sit autem signum navigationis, ut ancora; militiæ, ut aliquid ex armis. Hæc ita digerunt: primum sensum vel locum vestibulo quasi assignant, secundum atrio, tum (2) impluvia circumvenit, nec cubiculis modo, aut exedris, sed stratis etiam similibusque per ordinem committunt. Hoc facto, cum est repetenda memoria, incipiunt ab initio loca hæc recensere, et, quod cuique crediderint, repositum, et eorum imagine admonentur: ut quamlibet multa sint quorum meminisse oporteat, sint singula connexa quodam choro, ne errent conjungentes prioribus sequentia solo (3) ediscendi labore. Quod de domo dixi, et in operibus publicis, et in itinere longo, et urbium ambitu, et picturis fieri potest. Etiam fingere sibi has imagines licet. Opus est ergo locis, quæ vel finguntur, vel sumuntur: imaginibus, vel simulacris, quæ utique fingenda

(1) Signum illud vel ex re tota assumitur, ut ancora, si de navigatione agitur; vel ex verbo aliquo, ut, si periodus incipit a verbo *solet*, poterit *sol* esse signum.

(2) *Impluvium*, pars est in ædibus sub dio ad lumen admittendum, quo pluvia ex tectis decedit. *Exedra*, aula est magna, a frequentia sedium appellata. *Turn*.

(3) Conjungentes ea solo ediscendi labore, non ordine quo inter se connexa sunt et coherent.

sunt. Imagines notæ sunt, quibus ea, quæ ediscenda sunt, notamus: ut, quomodo Cicero dicit,—locis pro cera, simulacris pro literis utamur.—Illud quoque ad verbum ponere, optimum fuerit:—Locis est utendum multis, illustribus, explicatis, modicis intervallis: imaginibus autem agentibus, acribus, insignitis, quæ occurrere, celeriterque percutere animum possint.—Quo magis miror quomodo Metrodorus in XII signis, per quæ Sol meat, trecenos et sexagenos invenerit locos. Vanitas nimirum fuit, atque jactatio circa memoriam suam potius arte quam natura gloriantis. Equidem hæc ad quædam prodesse non negaverim, ut si rerum nomina multa, per ordinem audita, reddenda sint. Namque in iis, quæ didicerunt, locis reponunt res illas: mensam, ut hoc utar, in vestibulo: in atrio, pulvinum, et sic cætera: deinde relegentes, inveniunt ubi posuerint. Et forsitan in hoc sunt adjuti, qui, auctione dimissa, quid cuique vendidissent, testibus argentariorum tabulis reddiderunt. Quod præstitisse Hortensium dicunt. Minus idem proderit in ediscendis quæ orationis perpetuæ erunt. Nam et sensus non eandem imaginem quam res habent, cum alterum fingendum sit, et horum tamen utrumque commonet. Sed cum sermonis alicujus habitu verborum contextus eadem arte quomodo comprehendetur? Mitto quod quædam nullis simulacris significari possunt, ut certæ conjunctiones. Habeamus enim sane, ut qui (1) notis scribunt, certas imagines omnium, et loca scilicet infinita, per quæ verba, quæ sunt in quinque contra Verrem secundæ actionis libris, explicentur, ut meminerimus etiam omnium quasi depositorum: nonne impediri quidem eorum, quæ dicit, decursum necesse est duplici memoriæ cura? Nam quomodo poterunt copulata fluere, si propter singula verba ad singulas formas respiciendum erit? Quare et Charmadas, et Scepsius (de quo modo dixi) Metrodorus, quos Cicero dicit usos hac exercitatione, sibi habeant sua; nos simpliciora tradamus.

Si longior complectenda memoria fuerit oratio, proderit per partes ediscere; laborat enim maxime onere; et hæc partes non sint perexiguæ; alioqui nimis multæ erunt, et eam distinguunt atque concident. Nec utique certum imperaverim modum, sed maxime, ut quisque finietur locus: nisi forte tam sit numerosus, ut ipse quoque dividi debeat. Dandi sunt certi quidam termini, ut contextum verborum, qui est difficillimus, continuet crebra medita-

(1) Exceptores ad compendia scripturæ infinitas prope notas habebant, quibus significabantur vocabula: et hæc de causa dicebantur *notarii*. Turn.

tio, partes deinceps ipsas repetitus ordo conjungat. Non est inutile, quo facilius hæreant, aliquas apponere notas, quarum recordatio commoneat, et quasi excitet memoriam. Nemo enim fere tam infelix est, ut, quod cuique loco signum destinaverit, nesciat: aut, si erit tardus ad hoc, eo quoque adhuc remedio utatur, ut ipsæ excitent notæ. Hinc est ex illa arte non inutile, attendere signa ad eos qui exciderint sensus: ancoram, ut supra posui, si de nave dicendum esset; spiculum, si de prælio. Multum enim signa faciunt, et ex alia memoria venit alia: ut cum translatus annulus vel alligatus commoneat nos, cur id fecerimus. Hæc magis adhuc adstringunt, quæ memoriam ab aliquo simili transferunt ad id quod continendum est: ut in nominibus, si Fabius forte sit tenendus, referamus ad illum Cunctatorem, qui excidere non potest: aut ad aliquem amicum, qui idem vocetur. Quod est facilius in Apris, et Ursis, et Nasone, aut Crispo, ut id memoriæ affigatur, unde sunt nomina. Origo quoque aliquando declinatorum tenendi magis causa est, ut in Cicerone, Verrio, Aurelio. .

Illud neminem non juvabit, iisdem quibus scripserit ceris ediscere. Sequitur enim vestigiis quibusdam memoriam, et velut oculis intuetur non paginas modo, sed versus prope ipsos, qui tum dicit, similis legenti. Jam vero si litura aut adjectio aliqua aut mutatio interveniat, signa sunt quædam, quæ intuentes errare non possumus. Hæc ratio, ut est illi, de qua primam locutus sum, arti non dissimilis, ita, si quid me experimenta docuerunt, et expeditior et potentior. Ediscere tacite (nam id quoque est quæsitum) erat optimum, si non subirent velut otiosum animum plerumque aliæ cogitationes; propter quas excitandus est voce, ut duplici motu juvetur memoria, dicendi et audiendi. Sed hæc vox sit modica, et magis murmur. Qui autem legente alio ediscit, in parte tardatur, quod acrior est oculorum quam aurium sensus; in parte juvari potest, quod, cum semel aut bis audierit, continuo illi memoriam suam experiri licet, et cum legente contendere. Nam et alioqui id maxime faciendum est, ut nos subinde tentemus: quia continua lectio, et quæ magis, et quæ minus hærent, æqualiter transit. In experiendo, teneasne, et major intentio est, et nihil supervacui temporis perit, quo etiam quæ tenemus repeti solent: ita sola quæ exciderunt retractantur, ut crebra reiteratione firmentur: quanquam solent hoc ipso maxime hære, quod exciderunt. Illud ediscendo scribendoque commune est, utrique plurimum conferre bonam valetudinem, digestam cibum, animam cogitationibus aliis liberam.

Verum et in his, quæ scripsimus, complectendis multum valent, et in iis, quæ cogitamus, continendis prope solæ, excepta, quæ potissima est, exercitatione, divisio et compositio. Nam, qui recte diviserit, nunquam poterit in rerum ordine errare. Certa sunt enim, non solum in digerendis quæstionibus, sed etiam in exequendis, si modo recte dicimus, prima ac secunda, et deinceps: cohæretque omnis rerum copulatio, ut ei nihil nec subtrahi sine manifesto intellectu, nec inseri possit. An vero Scævola in lusu duodecim scriptorum, cum prior calculum promovisset, essetque victus, dum rus tendit, repetito totius certaminis ordine, quo dato errasset, recordatus, rediit ad eum quicum luserat, isque ita factum esse confessus est; minus idem ordo valebit in oratione, præsertim totus nostro arbitrio constitutus, cum tantum ille valeat alternus? Etiam quæ bene composita erunt, memoriam serie sua ducent: nam, sicut facilius versus ediscimus quam prosam orationem, ita prosam vinctam, quam dissolutam. Sic contingit, ut etiam quæ ex tempore videbantur effusa, ad verbum repetita reddantur: quod meæ quoque mediocritatem memoriæ sequebatur, si quando interventus aliquorum, qui hunc honorem mererentur, iterare declamationis partem coegisset. Nec est mendacio locus, salvis qui interfuerunt.

Si quis tamen uanam maximamque a me artem memoriæ quærat, exercitatio est, et labor: multa ediscere, multa cogitare, et, si fieri potest, quotidie, potentissimum est. Nihil æque vel angetur cura, vel negligentia intercidit. Quare et pueri statim, ut præcepi, quam plurima ediscant: et quæcunque ætas operam juvandæ studio memoriæ dabit, devoret initio tædium illud et scripta et lecta sæpius revolvendi, et quasi eundem cibum remandendi. Quod ipsum hoc fieri potest levius, si pauca primum, et quæ tædium non afferant, cœperimus ediscere: tum quotidie adjicere singulos versus, quorum accessio labori sensum incrementi non afferat, in summam ad infinitum usque perveniat: et poetica prius, tum oratorum, novissime etiam solutiora numeris, et magis ab usu dicendi remota, qualia sunt jurisconsultorum; difficiliora enim debent esse quæ exercent, quo sit levius ipsum illud in quod exercent: ut athleteæ ponderibus plumbeis assuefaciant manus, quibus vacuis et nudis in certamine utendum est. Non omittam etiam, quod quotidianis experimentisprehenditur, minime fidelem esse paulo tardioribus ingenii recentem memoriam. Mirum dictu est, nec in promptu ratio, quantum nox interposita afferat firmitatis:

sive quiescit labor ille, cujus sibi ipsa fatigatio obstabat, sive maturatur atque concoquitur, seu firmissima ejus pars est recordatio: quæ statim referri non poterant, contextuntur postero die; confirmatque memoriam idem illud tempus, quod esse in causa solet oblivionis. Etiam illa prævelox fere cito effluit, et, velut præsentis officio functa nihil in posterum debeat, tanquam dimissa discedit. Nec est mirum, magis hæere animo, quæ diutius affixa sint. Ex hac ingeniorum diversitate nata dubitatio est, Ad verbum sit ediscendum dicturis, an vim modo rerum atque ordinem complecti satis sit? de quo sine dubio non potest in universum pronuntiari. Nam si memoria suffragatur, tempus non desit, nulla me velim syllaba effugiat: alioqui etiam scribere sit supervacuum. Idque præcipue a pueris obtinendum, atque in hanc consuetudinem memoria exercitatione redigenda, ne nobis discamus ignoscere. Ideoque et admoneri, et ad libellum respicere, vitiosum; quod libertatem negligentiam facit: (1) nec quisquam se parum tenere judicat, quod ne sibi excidat non timet. Inde interruptus actionis impetus, et resistens ac salebrosa oratio, et qui dicit, ediscenti similis, etiam omnem bene scriptorum gratiam perdit vel hoc ipso, quod scripsisse se confitetur. Memoria autem facit etiam prompti ingenii famam; ut illa, quæ dicimus, non domo attulisse, sed ibi protinus sumissee videamur: quod et oratori et ipsi causæ plurimum confert; nam et magis miratur, et minus timet judex, quæ non putat adversus se præparata. Idque in actionibus inter præcipua servandum est, ut quædam etiam, quæ optime viximus, velut soluta enuntiemus; et, cogitantibus nonnunquam et dubitantibus similes, quærere videamur quæ attulimus. Ergo, quid sit optimum, neminem fugit. Si vero aut memoria natura durior erit, aut non suffragabitur tempus, etiam inutile erit ad omnia se verba alligare, cum oblivio unius eorum cujuslibet, aut deformem hæsitacionem, aut etiam silentium inducat: tutiusque multo, comprehensis animo rebus ipsis, libertatem sibi eloquendi relinquere. Nam et invitus perdit quisque id quod elegerat verbum, nec facile reponit aliud, dum id, quod scripserat, quærat. Sed ne hoc quidem infirmæ memoriæ remedium est, nisi in iis qui sibi facultatem aliquam dicendi ex tempore paraverunt. Quod si cui utrumque defuerit, huic omittere

(1) Qui non timet ne, quod dicturus est, sibi excidat, is judicat se id satis accurate memoria tenere. Inde oritur negligentia et securitas eorum, qui vel adhibent admonitorem, vel ad libellum respicere sibi permittunt: nihil enim timendum habent.

totum omnino actionum laborem, ac, si quid in literis vallet, ad scribendum potius suadebo convertere: sed hæc rara infelicitas erit. Cæterum, quantum natura studioque valeat memoria, vel Themistocles testis, quem unum intra annum (1) optime locutum esse Persice constat: vel Mithridates, cui duas et viginti linguas, quot nationibus imperabat, traditur notas fuisse: vel Crassus ille dives, qui, cum Asiæ præesset, quinque Græci sermonis differentias sic tenuit, ut qua quisque apud eum lingua postulasset, eadem sibi jus redditum ferret: vel Cyrus, quem omnium militum tenuisse creditum est nomina. Quis semel auditos quamlibet multos versus protinus dicitur reddidisse Theodectes: dicebantur etiam esse nunc qui facerent, sed mihi nunquam ut ipse interesset contigit; habenda tamen fides est vel in hoc, ut, qui crediderit, et speret.

III. PRONUNTIATIO a plerisque *actio* dicitur: sed prius nomen a voce, sequens a gestu videtur accipere. Namque actionem Cicero alias quasi sermonem, alias eloquentiam quandam corporis dicit. Idem tamen duas ejus partes facit; quæ sunt eadem pronuntiationis, vocem, atque motum. Quapropter utraque appellatione indifferenter uti licet. Habet autem res ipsa miram quandam in orationibus vim ac potestatem. Neque enim tam refert, qualia sint quæ intra nosmet ipsos composuimus, quam quo modo efferantur: nam ita quisque, ut audit, movetur. Quare neque probatio ulla, quæ modo venit ab oratore, tam firma est, ut non perdat vires suas, nisi adjuvetur asseveratione dicentis. Affectus omnes languescant necesse est, nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardescant. Nam, cum hæc omnia fecerimus, felices, si tamen nostrum illum ignem judex conceperit; nedum eum supini securique moveamus, ac non et ipse nostra oscitatione solvatur. Documento sunt vel scenici actores, qui et optimis poetarum tantum adjiciunt gratiæ, ut nos infinite magis eadem illa audita quam lecta delectent, et vilissimis etiam quibusdam impetrent aures, ut, quibus nullus est in bibliothecis locus, sit etiam frequens in theatris. Quod si in rebus, quas fictas esse scimus et inanes, tantum pronuntiatio potest, ut iram, lacrymas,

(1) Της Περσίδος γλωσσης ὅσα ἐδύνατο κατενοήσει—Thucyd. 1. 37. Την Περσίδα γλωσσαν ἀποχρῶντως ἐμάδων—Plutarch p. 229. H. Steph. Eundem virum, Corn. Nepos narrat, multo commodius verba apud regem fecisse, quam hi poterant, qui in Perside erant nati! Similis postea de Cyro hyperbole, qui re vera *ducum* nomina, non *militum*, tenuit. O.

solicitudinem afferat, quanto plus valeat necesse est, ubi et credimus? Equidem vel mediocrem orationem commendatam viribus actionis affirmaverim plus habituram esse momenti, quam optimam eadem illa destitutam: siquidem et Demosthenes, quid esset in toto dicendi opere primum, interrogatus, pronuntiationi palmam dedit, eidemque secundum ac tertium locum, donec ab eo quæri desineret: ut eam videri possit non præcipuam, sed solam judicasse: ideoque ipse tam diligenter apud Andronicum hypocriten studuit, ut admirantibus ejus orationem Rhodiis non immerito Æschines dixisse videatur.—Quid, si ipsum audissetis?—et M. Cicero in dicendo actionem dominari putat: hæc Cn. Lentulum plus opinionis consecutum, quam eloquentia, tradit; eadem C. Gracchum, in deflenda fratris nece, totius populi Romani lacrymas concitasse: Antonium et Crassum multum valuisse, plurimum vero Q. Hortensium: cujus rei fides est, quod ejus scripta tantum intra famam sunt, qui, diu princeps oratorum, aliquando æmulus Ciceronis existimatus est, novissime, quoad vixit, secundus: ut appareat, placuisse aliquid eo dicente, quod legentes non invenimus. Et hercle, cum valeant multum verba per se, et vox propria vim adjiciat rebus, et gestus motusque significet aliquid, profecto perfectum quiddam fieri, cum omnia coierint, necesse est. Sunt tamen, qui rudem illam, et qualem impetus cujusque animi tulit, actionem judicent fortio rem, et solam viris dignam: sed non alii fere, quam qui etiam in dicendo curam, et artem, et nitorem, et quidquid studio paratur, ut affectata et parum naturalia solent improbare, vel qui verborum atque ipsius etiam soni rusticitate, ut L. Cottam dicit Cicero fecisse, imitationem antiquitatis affectant. Verum illi persuasionem suam fruuntur, qui hominibus, ut sint oratores, satis putant nasci: nostro labori dent veniam, qui nihil credimus esse perfectum, nisi ubi natura cura juvetur. In hoc igitur non contumaciter consentio, primas partes esse naturæ: nam certe bene pronuntiare non poterit, cui aut in scriptis memoria, aut in iis, quæ subito dicenda erunt, facilitas prompta defuerit: nec si inemendabilia oris incommoda obstabunt. Corporis etiam potest esse aliqua tanta deformitas, ut nulla arte vincatur. Sed ne vox quidem, nisi liberalis, actionem habere optimam potest: bona enim firmaque, ut volumus, uti licet; mala vel imbecilla et inhibet multa, ut insurgere, exclamare, et aliqua cogit, ut submittere, deflectere, et raucas fauces ac latus fatigatum deformi cantico reficere. Sed nos de eo nunc loquimur, cui non frustra præcipitur. Cum

sit autem omnis actio, ut dixi, in duas divisa partes, vocem, gestumque; quorum alter oculos, altera aures movet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus; prius est de voce dicere, cui etiam *gestus* accommodatur. In ea prima observatio est, qualem habeas; secunda, quo modo utaris.

Natura vocis spectatur quantitate et qualitate. *Quantitas* est simplicior: in summa enim, grandis aut exigua est; sed inter has extremitates mediæ sunt species, et ab ima ad summam, ac retro, multi sunt gradus. *Qualitas* magis varia est: nam est et candida et fusca, et plena et exilis, et lenis et aspera, et contracta et fusa, et dura et flexibilis, et clara et obtusa. Spiritus etiam longior, breviorque. . *Utendi* voce multiplex ratio: nam, præter illam differentiam, quæ est tripartita, acutæ, gravis, flexæ; tum intentis, tum remissis, tum elatis, tum inferioribus modis est opus, spatiis quoque lentioribus aut citatoribus: sed iis ipsis mediæ interjacent multa: et ut facies, quanquam ex paucissimis constat, infinitam habet differentiam; ita vox, etsi paucas, quæ nominari possint, continet species, propria cuique est: et non hæc minus auribus, quam oculis illa dignoscitur.

Argentur autem, sicut omnium, ita vocis quoque bona, cura; et negligentia minuuntur. . Humor quoque vocem ut nimius impedit, ita consumtus destituit. Nam et fatigatio corpora non ad præsens modo tempus, sed etiam in futurum afficit. Sed ut communiter et phonascis et oratoribus necessaria est exercitatio, qua omnia convalescunt: ita curæ non idem genus. Nam neque certa tempora ad spatiandum dari possunt tot civilibus officiis occupato; nec præparare ab imis sonis vocem ad summos: nec semper a contentione concedere licet, cum pluribus judiciis sæpe dicendum sit. Ne ciborum quidem est eadem observatio. Non enim tam molli teneraque voce, quam forti ac durabili opus est: cum omnes illi etiam altissimos sonos leniant cantu oris, nobis pleraque aspere sint concitateque dicenda, et vigilandæ noctes, et fuligo lucubrationum bibenda, et in sudata veste durandum. Quare vocem delicis non molliamus, nec imbuatur ea consuetudine, quæ duratura non sit: sed exercitatio ejus talis sit, qualis usus: nec silentio subsidat, sed firmetur consuetudine, qua difficultas omnis levatur. Ediscere autem quo exercearis erit optimum, nam ex tempore dicenti avocatur cura vocis ille qui ex rebus ipsis concipitur affectus, et ediscere quam maxime varia, quæ et clamorem, et disputationem, et sermonem, et flexus habeant, ut simul in

omnia paremur. Hoc satis est: alioqui nitida illa et curata vox insolitum laborem recensabit, ut assneta gymnasiis et oleo corpora, quamlibet sint in suis certaminibus speciosa atque robusta, si militare iter, fascisque, et vigiliis imperes, deficient, et quærant unctores suos, nudumque sudorem. Illa tamen in hoc opere præcipi quis ferat, Vitandos soles atque ventos, et nubila etiam ac siccitates? Ita, si dicendum in sole, aut ventoso, humido, calidove die fuerit, reos deseremus! . Sed, ut ad propositum redeam, jam confirmatæ constitutæque vocis genus exercitationis optimum duco, quod est operi simillimum, dicere quotidie sicut agimus. Namque hoc modo non vox tantum confirmatur et latus, sed etiam corporis decens et accommodatus orationi motus componitur.

Non alia est autem ratio *pronuntiationis*, quam ipsius orationis: nam ut illa *emendata, dilucida, ornata, apta* esse debet; ita hæc quoque.

Emendata erit, id est vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum; id est in quo nulla neque rusticitas, neque peregrinitas resonet: non enim sine causa dicitur,—(1) Barbarum, Græcunve;—nam sonis homines, ut æra tinnitu, dignoscimus. Ita fiet illud quod Ennius probat, cum dicit *sunviloquenti ore* Cethegum fuisse; non quod Cicero in iis reprehendit, quos ait latrare, non agere. Sunt enim multa vitia, de quibus dixi, cum in quadam primi libri parte puerorum ora formarem, opportunius ratus in ea ætate facere illorum mentionem, in qua emendari possunt. Itaque sit ipsa vox primum (ut sic dicam) sana, id est nullum eorum de quibus nunc dixi, patiatur incommodum: deinde non subsurda, rudis, immanis, dura, rigida, vana, præpinguis, aut tenuis, inanis, acerba, pusilla, mollis, effeminata: spiritus nec brevis, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis.

Dilucida vero erit pronuntiatio, primum, si verba tota exegerit, quorum pars devorari, pars destitui solet, plerisque extremas syllabas non proferentibus, dum priorum sono indulgent. Ut est autem necessaria verborum explanatio, ita omnes computare et velut annumerare literas, molestam, et odiosum: nam et vocales frequentissime cocunt, et consonantium quædam insequente vocali dissimulantur. Utriusque exemplum posuimus,—Multum ille et terris—Vitatur etiam duriorum inter se congressus, unde *pellexit* et *collegit*, et quæ alio loco dicta sunt.

(1) Facile est Barbarum a Græco distinguere sono ipso pronuntiationis.

Ideoque laudatur in Catulo suavis appellatio literarum. Secundum est, ut sit oratio *distincta*, id est, ut qui dicit, et incipiat ubi oportet, et desinat. Observandum etiam, quo loco sustinendus, et quasi suspendendus sermo sit, quam Græci *ὑποδιαστολήν*, vel *ὑποσημίαν* vocant, quo deponendus.

Sunt (1) aliquando et sine respiratione quædam moræ etiam in periodis, ut in illa—In cætu vero populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum, &c.— Multa (2) habent membra: sensus enim sunt alii atque alii; et sicut una circumductio est, ita paulum morandum in his intervallis: non interrompendus est contextus. Et e contrario spiritum interim recipere sine intellectu moræ necesse est; quo loco quasi surripiendus est: alioqui, si in scite recipiatur, non minus afferat obscuritatis, quam vitiosa distinctio. Virtus autem distinguendi fortasse sit parva, sine qua tamen esse nulla alia in agendo potest.

Ornata est pronuntiatio, cui suffragatur vox facilis, magna, beata, flexiblis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, secans aëra, auribus sedens. Est enim quædam ad auditum accommodata, non magnitudine, sed proprietate, ad hoc velut tractabilis, utique habens omnes in se, qui desiderantur, sonos, intentionesque, et toto, ut aiunt, organo instructa: cui aderit lateris firmitas, spiritus cum spatio pertinax, tum labori non facile cessurus. Neque gravissimus, ut in musica, sonus, nec acutissimus orationibus convenit. Nam et hic parum clarus, nimiumque plenus, nullum afferre animis motum potest: et ille prætennis, et immodicæ claritatis, cum est ultra verum, tum neque pronuntiatione flecti, neque diutius intentionem ferre potest. Nam vox, ut nervi, quo remissior, hoc et gravior et plenior: quo tensior, hoc tenuis et acuta magis est. Sic ima vin non habet, summa rumpi periclitatur. Mediis igitur utendum sonis: hique, cum augenda intentio est, excitandi; cum submittenda, sunt temperandi. Nam prima est observatio recte pronuntiandi, *æqualitas*; ne sermo subsultet imparibus spatiis ac sonis, miscens longa brevibus, gravia acutis, elata submissis; et inæqualitate horum omnium, sicut pedum, claudicet sermo: secunda, varietas est, quod solum est pronuntiatio. Ac ne quis pugnare inter se putet æqualitatem et varietatem: cum illi virtuti contrarium sit vitium inæqualitas;

(1) Finita periodo spiritus est recipiendus. Aliis in locis, ut in membris et incisio, debet esse mora sine respiratione; aut si sit respiratio, non recipiatur. *Turn.*

(2) Hæc periodus multa habet membra.

huic, qui dicitur *μορσειδής*, quasi quidam unts aspectus. Ars porro variandi cum gratiam præbet, ac renovat aures, tum dicentem ipsa laboris mutatione reficit, ut standi, ambulandi, sedendi, jacendi vices sunt, nihilque horum pati unum diu possumus. Illud vero maximum (sed id paulo post tractabimus) quod secundum rationem rerum de quibus dicimus, animorumque habitus, conformanda vox est, ne ab oratione discordet. Vitemus igitur illam quæ Græcè *μορσολία* vocatur, una quædam spiritus ac soni intentio, non solum ne dicamus omnia clamose, quod insanum est; aut intra loquendi modum, quod motu caret; aut submisso murmure, quo etiam debilitatur omnis intentio: sed ut in iisdem partibus, iisdemque affectibus, sint tamen quædam non ita magnæ vocis declinationes, prout aut verborum dignitas, aut sententiarum natura, aut depositio, aut inceptio, aut transitus postulat: ut qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, sine quo ne membris quidem suas lineas dedissent. Proponamus enim nobis illud Ciceronis in oratione nobilissima pro Milone principium, nonne ad singulas pene distinctiones, quamvis in eadem facie, tamen quasi vultus mutandus est?—Etsi vereor, Judices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere—Etiam si est toto proposito contractum atque submissum, quia et exordium est, et solliciti exordium, tamen fuerit necesse est aliquid plenius et erectius dum dicit,—pro fortissimo viro,—quam cum,—Etsi vereor:—et,—turpe sit:—et—timere.—Jam secunda respiratio inrescat oportet, et naturali quodam conatu, quo minus pavide dicimus quæ sequuntur, et quo magnitudo animi Milonis ostenditur:—Minimeque deceat, cum T. Annius ipse magis de reipublicæ salute, quam de sua perturbetur.—Deinde, quasi objurgatio sui est,—Me ad ejus causam patrem animi magnitudinem afferre non posse.—Tum invidiosiora:—Tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos.—Illa vero jam pene apertis, ut aiunt, tibiis:—Qui, quocumque inciderunt, veterem consuetudinem fori, et pristinum inorem judiciorum requirunt.—Nam sequens latum etiam atque fuscum est:—Non enim corona consensus vester cinctus est, ut solebat.—Quod notavi, ut appareret, non solum in membris causæ, sed etiam in articulis esse aliquam pronuntiandi varietatem: sine qua nihil nec minus nec majus est. Vox autem ultra vires urgenda non est: nam et suffocata sæpe, et majore nisu minus clara est, et interim elisa in illum sonum erumpit, cui Græci *στυγμὴ* nomen ab immaturo gallorum cantu dederunt. Nec

volubilitate nimia confundenda quæ dicimus: qua et distinctio perit, et affectus, et nonnunquam etiam verba aliqua sui parte fraudantur. Cui contrarium est vitium nimie tarditatis: nam et difficultatem inveniendi fatetur, et segnitia solvit animos, et, in quo est aliquid, temporibus præfinitis (1) aquam perdit. Promptum sit os, non præceps: moderatum, non lentum. Spiritus quoque nec crebro receptus concidat sententiam; nec eo usque trahatur, donec deficiat. Nam et deformis est consuetudo illius sonus, et respiratio sub aqua diu pressi similis, et receptus longior, et non opportunus: ut qui fiat non ubi volumus, sed ubi necesse est. Quare longiorem dicturum periodum colligendus est spiritus: ita tamen, ut id neque diu, neque cum sono faciamus, neque omnino ut manifestum sit: reliquis partibus optime inter juncturas sermonis revoçabitur. Exercendus autem est, ut sit quam longissimus: quod Demosthenes ut efficeret, scandens in adversum continuabat quam posset plurimos versus. Idem quo facilius verba ore libero exprimeret, calculos lingua volvens dicere domi solebat. Est interim et longus, et plenus, et clarus satis spiritus, non tamen firmæ intentionis, ideoque tremulus: ut corpora quæ aspectu integra, nervis parum sustinentur. Id *βράχυν* Græci vocant. Sunt qui spiritum cum stridore per raritatem dentium non recipiunt, sed resorbent. Sunt qui crebro anhelitu, et in trorsum etiam clare sonante, imitantur jumenta onere et jugo laborantia: quod affectant quoque, tanquam inventionis copia urgeantur, majorque vis eloquentiæ ingruat, quam quæ emitti faucibus possit. Est et aliis concursus oris, et cum verbis suis colluctatio. Sed quodcumque ex his vitium magis tulerim, quam quo nunc maxime laboratur in causis omnibus scholisque, cantandi: quod inutilius sit an fœdus nescio. Quid enim minus oratori convenit, quam modulatio scenica, et nonnunquam ebriorum aut comessantium licentiæ similis? Quid vero movendis affectibus contrarium magis, quam cum dolendum, irascendum, indignandum, commiserandum sit, non solum ab iis affectibus, in quos inducendus est iudex, recedere, sed ipsam fori sanctitatem (2) ludorum talarium licentia solvere? Nam Cicero illos ex Lycia et Caria rhetores pene cantare in epilogis dixit. Nos etiam cantandi

(1) Alludit ad clepsydras, quæ dabantur oratoribus. Nam aquæ effusione intervallo temporis notabantur. Hinc illud est: *dicere ad clepsydram*. Turn.

(2) Idcirco id ait, quia post epulas frequenter lusitur astragalus, quo in lusu cantillatur. Turn. Daniel legit *Lyciorum et Carum*. Pit.

severiolem paulo modum excessimus. Quisquamne, non dico de homicidio, sacrilegio, parricidio, sed de calculis certe atque rationibus, quisquam denique (ut semel finiam) in lite cantat? Quod si omnino recipiendum est, nihil causæ est cur non illam vocis modulationem fidibus ac tibiis, ino mehercule, quod est huic deformitati propius, cymbalis adjuvemus. Facimus tamen hoc libenter. Nam nec cuiquam sunt injucunda, quæ cantat ipse: et laboris in hoc, quam in agendo, minus est. Et sunt quidam, qui, secundum alia vitæ vitia, etiam hac, ubique audiendi quod aures mulceat, voluptate ducantur. Quid ergo? non et Cicero dicit esse aliquem in oratione cantum obscuriorem? Et hoc quodam naturali initio venit. Ostendam non multo post, ubi, et quatenus recipiendus sit hic flexus, et cantus quidem, sed (quod plerique intelligere nolunt) obscurior.

Jam enim tempus est dicendi, quæ sit *apta* pronuntiatio: quæ certe ea est, quæ iis, de quibus dicimus, accommodatur: quod quidem maxima ex parte præstant ipsi motus animorum, sonatque vox ut feritur. Sed cum sint alii veri affectus, alii ficti et imitati: veri naturaliter erumpunt, ut dolentium, irascentium, indignantium: sed carent arte, ideoque non sunt disciplinæ traditione formandi. Contra, qui effinguntur imitatione, artem habent: sed hi carent natura, ideoque in his primum est bene affici, et concipere imagines rerum, et tanquam veris moveri: sic velut media vox, quem habitum a nobis acceperit, hunc judicium animis dabit. Est enim mentis index, et velut exemplar, ac totidem, quot illa, mutationes habet. Itaque lætis in rebus plena, simplex, et ipsa quodammodo hilaris fluit: at in certamine erecta totis viribus, et velut omnibus nervis intenditur. Atrox in ira, et aspera ac densa, et respiratione crebra: neque enim potest esse longus spiritus, cum immoderate effunditur. Paululum in invidia facienda lentior, quia non fere ad hanc nisi inferiores confugiunt: at in blandiendo, fatendo, satisfaciendo, rogando, lenis et submissa. Suadentium, et monentium, et pollicentium, et consolantium gravis, in metu et verecundia contracta, adhortationibus fortis, disputationibus teres, miseratione flexa et flebilis, et consulto quasi obscurior: at in egressionibus fusa, et securæ claritatis, in expositione ac sermonibus recta, et inter acutum sonum et gravem media. Attolitur autem concitatis affectibus, compositis descendit, pro utriusque rei modo, altius vel inferius.

Quid autem quisque in dicendo postulet locus, paulum

differam, ut de *gestu* prius dicam: qui et ipse *roci* consentit, et animo cum ea simul paret. Is quantum habeat in oratore momenti, satis vel ex eo patet, quod pleraque etiam citra verba significat. Quippe non manus solum, sed intus etiam declarant nostram voluntatem, et in mutis pro sermone sunt; et saltatio frequenter sine voce intelligitur atque afficit; et ex vultu ingressuque perspicitur habitus animorum; et animalium quoque sermone carentium ira, lætitia, adulatio, et oculis et quibusdam aliis corporis signis deprehenditur. Nec mirum si ista, quæ tamen in aliquo posita sunt motu, tantum in animis valent, cum pictura, tacens opus, et habitus semper ejusdem, sic in intimos penetret affectus, ut ipsam viam dicendi nonnunquam superare videatur. Contra, si *gestus* ac *vultus* ab oratione dissentiant, tristia dicamus hilares, affirmemus aliqua renuentes; non auctoritas modo verbis, sed etiam fides desit. Decor quoque a *gestu* atque a motu venit: ideoque Demosthenes grande quoddam intuens speculum componere actionem solebat; adeo, quamvis fulgor ille sinistras imagines redderet, suis demum oculis credidit quod efficeret. Præcipuum vero in actione, sicut in corpore ipso, *caput* est, cum ad illum de quo dixi decorem, tum etiam ad significationem decoris. Illa sunt, ut sit primo rectum et secundum naturam: nam et dejecto humilitas, et supino arrogancia, et in latus inclinato languor, et prædaro ac rigente barbaria quædam mentis ostenditur: tum accipiat aptos ex ipsa actione motus, ut cum *gestu* concordet, et manibus ac lateribus obsequatur. Aspectus enim semper eodem vertitur quo *gestus*, exceptis quæ aut damnare, aut non concedere, aut a nobis remove oportebit; ut idem illud vultu videamur aversari, manu repellere: *Dii talem terris avertite pestem: et, Haud equidem tali me dignor honore*: Significat vero plurimis modis: nam, præter annuendi, renuendi, confirmandique motus, sunt et verecundiæ, et dubitationis, et admirationis, et indignationis noti et communes omnibus. Solo tamen eo facere *gestum* scenici quoque doctores vitiosum putaverunt. Etiam frequens ejus nutus non caret vitio: adeo jactare id, et comas excipientem rotare, fanaticum est. Domiuatur autem maxime *vultus*: hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc submissi sumus: hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant etiam ante quam dicamus: hoc quosdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus: hic est sæpe pro omnibus verbis. Itaque in iis quæ ad scenam componuntur fabulis,

artifices pronuntiandi a (1) personis quoque affectus mutuantur: ut sit Niobe in tragœdia tristis, atrox Medea, attonitus Ajax, truculentus Hercules: in comœdiis vero, præter aliam observationem, qua servi, lenones, parasiti, rustici, milites, vetulæ, meretriculæ, ancillæ, senes austeri ac mites, juvenes severi ac luxuriosi, matronæ, puellæ, inter se discernuntur; (2) pater ille, cujus præcipuæ partes sunt, quia interim concitatus, interim lenis est, altero erecto, altero composito est supercilio: atque (3) id ostendere maxime latus, actoribus moris est, quod cum iis quas agunt partibus congruat. Sed in ipso vultu plurimum valent *oculi*, per quos maxime animus emanat, ut citra motum quoque et hilaritate enitescant, et tristitia quoddam nubilum ducant. Quinetiam lacrymas his natura mentis indices dedit: quæ aut erumpunt dolore, aut lætitia manant. Motu vero intenti, remissi, superbi, torvi, mites, asperi fiunt: quæ ut actus poposcerit, fingentur. Rigidi vero et extenti, aut languidi et torpentes, aut stupentes, aut lascivi et mobiles, aut natantes, et quadam voluptate suffusi, aut limi, et (ut sic dicam) veneri, aut poscentes aliquid, pollicentesve nonnunquam esse debent. Nam opertos compressosve eos in dicendo, quis nisi plane rudis et stultus habeat? Et ad hæc omnia exprimentia, in palpebris etiam et in genis est quoddam deserviens his ministerium. Multum et *superciliis* agitur: nam et oculos formant aliquatenus, et fronti imperant. His contrahitur, attollitur, demittitur: ut una res in ea plus valeat, sanguis ille, qui mentis habitu movetur; et cum infirmam verecundia contem accipit, effunditur in ruborem; cum metu refugit, abit omnis, et pallore frigescit; temperatus, medium quoddam serenum efficit. Vitium in superciliis, si aut immota sunt omnino, aut nimium mobilia, aut inæqualitate (ut modo de persona comica dixeram) dissident, aut contra id quod dicimus finguntur. Etenim contractis tristitia, diductis hilaritas, remissis pudor ostenditur. Annuendi quoque renuendive ratione demittuntur, aut allevantur. *Naribus labrisque* non fere quidquam decenter ostendimus, tametsi derisus, contemptus, fastidium, significari solet. Nam et corrugare nares, (ut Horatius ait) et inflare, et movere, et digito inquie-

(1) Per *personam* hic intelligit larvam, seu confictam faciem, qua in theatris actores utebantur.

(2) Designat patrem aliquem tunc procul dubio maxime notum in aliqua comœdia.

(3) Id *larva* latus maxime ostendere, quod congruat &c. Male *Latinis* legitur in quibusdam editis libris, ex conj. Regii, ut suspicatur Gesnerus. O

tare, et impulsu subito spiritum excutere, et diducere sæpius, et plana manu resupinare, indecorum est: cum emunctio etiam frequentior non sine causa reprehendatur. Labra et porriguntur male, et scinduntur, et adstringuntur, et diducuntur, et dentes nudant, et in latus ac pene ad aurem trahuntur, et velut quodam fastidio replicantur, et pendent, et vocem tantum altera parte dimittunt. Lambere quoque ea et mordere, deforme est: cum etiam in efferendis verbis modicus eorum esse debeat motus. Ore enim magis quam labris loquendum est. *Cervicem* rectam oportet esse, non rigidam aut supinam. Collum diversa quidem sed pari deformitate et contrahitur et tenditur: sed tenso subest et labor, tenuaturque vox ac fatigatur. Affixum pectori mentum minus clarum, et quasi latiore presso gutture facit. *Humerorum* raro decens allevatio atque contractio est: breviatur enim cervix, et gestum quemdam humilem atque servilem et quasi fraudulentum facit, cum se in habitum adulationis, admirationis, metus, fingunt. *Brachii* moderata projectio remissis humeris, atque explicantibus se in proferenda manu digitis, continuos et decurrentes locos maxime decet. At cum speciosius quid uberiusque dicendum est, ut illud, *Saxa atque solitudines voci respondent*: expatiatur in latus, et ipsa quodammodo se cum gestu fundit oratio. *Manus* vero, sine quibus trunca esset actio ac debilis, vix dici potest quot motus habeant, cum pene ipsam verborum copiam persequantur. Nam cæteræ partes loquentem adjuvant, hæ (prope est ut dicam) ipsæ loquuntur. An non his poscimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? supplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus? Non eædem concitant? supplicant? inhihent? probant? admirantur? verrecundantur? Non in demonstrandis locis atque personis adverbiorum atque pronominum obtinent vicem? ut in tanta per omnes gentes nationesque linguæ diversitate hic mihi omnium hominum communis sermo videatur. Et ii quidem, de quibus sum locutus, cum ipsis vocibus naturaliter exeunt gestus. Alii sunt, qui res imitatione significant; ut si ægrum tentantis venas medici similitudine, aut citharædum formatis ad modum percutientis nervos manibus ostendas: quod genus quam longissime in actione est fugiendum. Abesse enim plurimum a saltatore debet orator, ut sit gestus ad sensus magis quam ad verba accommodatus: quod etiam histrionibus paulo gravioribus

facere moris fuit. Ergo, ut ad se manum referre, cum de se ipso loquatur, et in eum quem demonstret intendere, et aliqua his similia permiserim; ita non effingere status quosdam, et, quidquid dicet, ostendere. Neque id in manibus solum, sed in omni gestu ac voce servandum est. Non enim aut in illa periodo,—Stetit soleatus prætor populi Romani,—inclinatio incumbens in mulierculam Verris effingenda est: aut in illa,—Cædebatur in medio foro Messaenæ,—motus laterum, qualis esse ad verbera solet, torquendus; aut vox, qualis dolore exprimitur, cruenda: cum mihi comædi quoque pessime facere videantur, qui, etiam si juvenem agant, cum tamen in expositione aut senis sermo, ut in Hydriæ prologo, aut mulieris, ut in Georgo, incidit, tremula vel effeminata voce pronunciant. Adeo in illis quoque est aliqua vitiosa imitatio, quorum ars omnis constat imitatione. . . Optime autem manus a sinistra parte incipât, in dextra deponitur; sed ut deponi, non ut ferire videatur: quantum et in fine interim cadit, ut cito tamen redeat; et nonnunquam resilit, vel negantibus nobis, vel admirantibus. Hic veteres artifices illud recte adjecerunt, ut manus cum sensu et inciperet, et deponeretur. Alioqui enim aut ante vocem erit gestus, aut post vocem: quod est utrumque deformis. In illo lapsi nimia subtilitate sunt, quod intervallum motus tria verba esse voluerunt; quod nec observatur, nec fieri potest: sed illi quasi mensuram tarditatis celeritatisque aliquam esse voluerunt, nec immerito, ne aut diu otiosa esset manus, aut (quod multi faciunt) actionem continuo motu conciderent. . . Tolli manum artifices supra oculos, demitti infra pectus vetant: adeo a capite eam petere, aut ad inum ventrem deducere vitiosum habetur. . . Manus sinistra nunquam sola recte gestum facit: dextræ se frequenter accommodat, sive in digitos argumenta digerimus, sive aversis in sinistram palpalis abominamur, sive objicimus adversas, sive in latus utrumque distendimus, sive satisfacientes, aut supplicantes, jungimus. . . Pectus ac venter ne projiciantur observandum. Pandant enim posteriora, et est odiosa omnis supinitas. Latera cum gestu consentiant. Facit enim aliquid et totius corporis motus: adeo ut Cicero plus illo agi, quam manibus ipsis putet. Ita enim dicit in Oratore:—Nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto se ipse moderans, et virili laterum flexione.—Femur ferire, quod Athenis primus fecisse creditur Cleon, et usitatum est, et indignantes decet, et excitat auditorem. Idque in Callidio Cicero desiderat;—

Non frons (inquit) percussa, non femur; pedum, quod minimum est, nulla suppositio:—quanquam, si licet, de fronte dissentio: nam et complodere manus, scenicum est, et pectus cedere. . . Pedis suppositio, ut loco est opportuna, ut ait Cicero—in contentionibus aut incipientibus aut finiendis—ita crebra et inepti est hominis, et desinit iudicem in se convertere. Est et illa indecora in dextrum ac lævum latus vacillatio, alternis pedibus insistentium. . . Jactantur et humeri, quod vitium Demosthenes ita dicitur emendasse, ut cum in angusto quodam pulpito stans diceret, hasta humero dependens immineret: ut, si calore dicendi vitare id excidisset, offensatione illa commoneretur. . . Cultus non est proprius oratoris aliquis, sed magis in oratore conspicitur. Quare sit, ut in omnibus honestis debet esse, splendidus et virilis. Nam et toga, et calceus, et capillus, tam nimia cura, quam negligentia, sunt reprehendenda. . .

Hæc sunt vel illustramenta pronuntiationis, vel vitia: quibus propositis, multa cogitare debet orator: primum, quid, apud quos, quibus præsentibus, sit acturus: nam, ut dicere alia aliis et apud alios magis convenit, sic etiam facere: neque eadem in voce, gestu, incessu, apud principem, senatum, populum, magistratum, privato, publico iudicio, (1) postulatione, actione similiter decent: quam differentiam subjicere sibi quisque, qui animum intenderit, potest: tum qua de re dicat, et efficere quid velit. Rei quadruplex observatio est: una in tota causa: sunt enim tristes, hilares, sollicitæ, securæ, grandes, pusillæ, ut vix unquam ita sollicitari partibus earum debeamus, ut non summæ meminerimus: altera, quæ est in differentia partium, ut in proœmio, narratione, argumentatione, epilogo: tertia in sententiis ipsis, in quibus secundum res et affectus variantur omnia: quarta in verbis; quorum ut est vitiosa, si efficere omnia velimus, imitatio; ita quibusdam, nisi sua natura redditur, vis omnis auferitur.

Igitur in laudationibus, nisi si funebres erunt, gratiarum actione, exhortatione, similibusque, læta et magnifica et sublimis est actio. Funebres conciones, consolationes, plerumque causæ reorum, tristes ac submissæ: in senatu, conservanda auctoritas; apud populum, dignitas; in privatis, modus.

De partibus causæ, et sententiis, et verbis, quæ sunt

(1) *Postulatio* est, ut inquit Ulpianus, cum apud eum qui Jurisdictioni præest, vel nostrum, vel alicujus desiderium exponimus, vel etiam alterius desiderio refragamur. *Turn.*

multiplicia, pluribus dicendum. Tria autem præstare debet pronuntiatio; conciliet, persuadeat, moveat: quibus natura cohæret, ut etiam delectet. *Conciliatio* fere aut commendatione morum, qui nescio quo modo ex voce etiam atque actione pellucet, aut orationis suavitate constat: *persuadendi* vis asseveratione, quæ interim plus ipsis probationibus valet.—An ista (inquit Callidio Cicero) si vera essent, sic a te dicerentur?—et,—Tantum abest, ut inflammares nostros animos; somnum isto loco vix tenebamus.—Fiducia igitur appareat, et constantia, utique si auctoritas subest. *Movendi* autem ratio aut in repræsentandis est aut imitandis affectibus. Ergo, cum iudex in privatis, aut præco in publicis dicere causam jusserit, leniter consurgendum: tum in componenda toga, vel (si necesse erit) etiam ex integro injicienda, duntaxat in iudiciis (apud principem enim et magistratus ac tribunalia non licebit) paulum est commorandum, ut et amictus sit decentior, et protinus aliquid spatii ad cogitandum. Etiam cum ad iudicem nos converterimus, et consultus prætor permiserit dicere, non protinus est erumpendum, sed danda brevis cogitationi mora. Mire enim auditorum dicturi cura delectat, et iudex se ipse componit. Hoc præcipit Homerus Ulyssis exemplo, quem stetisse oculis in terram defixis, immotoque sceptro, prius quam illam eloquentiæ procellam effunderet, dicit. In hac cunctatione sunt quædam non indecentes, ut appellant sceniei, moræ; caput mulcere, manum intueri, infringere articulos, simulare conatum, suspiratione sollicitudinem fateri, aut quod quemque magis decet: eoque diutius, si iudex nondum intendit animum. Status sit rectus: æqui et diducti paululum pedes, vel procedens minimo momento sinister: genua recta, sic tamen ut non extendantur. Humeri remissi, vultus severus, non mœstus, nec stupens, nec languidus: brachia a latere modice remota: manus sinistra, qualem supra demonstravi: dextra, cum jam incipiendum erit, paulum prolata ultra sinum, gestu quam modestissimo, velut expectans quando incipiendum sit. Vitiosa enim sunt illa, intueri lacunaria, perfricare faciem, et quasi improbam facere: tendere confidentia vultum, aut, quo sit magis torvus, superciliis adstringere: eapillos a fronte contra naturam retroagere, ut sit horror ille terribilis: tum, id quod Græci frequentissime faciunt, crebro digitorum labiorumque motu commentari: clare excreare: pedem alterum longe proferre: partem togæ sinistra tenere: stare diductum, vel rigidum, vel supinum, vel incurvum, vel humeris, ut luctaturi solent, ad occi-

pitium ductis. *Proæmio* frequentissime lenis convenit pronuntiatio: nihil est enim ad conciliandum gratius ve-recundia: non tamen semper; nec enim uno modo dicuntur exordia, ut docui: plerumque tamen et vox temperata, ac gestus modestus, et sedens humero toga, et laterum lenis in utramque partem motus, eodem spectantibus oculis, decebit. *Narratio* magis prolatam manum, amictum recidentem, gestum distinctum, vocem sermoni proximam, ac tantum apertio-rem, sonum simplicem, frequentissime postulabit, ut in his duntaxat;—Quintus igitur Ligarius, cum esset adhuc belli suspicio.—et,—A. Cluentius Habitus pater hujusce—Aliud in eadem poscunt affectus vel concitati,—Nubit genero socrus—vel fiebiles,—Constituitur in foro Laodiceæ spectaculum acerbum et miserum toti Asiæ provinciæ.—Maxime varia et multiplex actio est *probationum*; nam et proponere, partiri, interrogare, sermoni sunt proxima, et (1) contradictionem sumere: nam ea quoque diversa propositio est. Sed hæc tamen aliquando irridentes, aliquando imitantes, pronuntiamus. *Argumentatio* plerumque agilior, et acrior, et instantior, consentientem orationi postulat etiam gestum, id est, fortem celeritatem. Instandum quibusdam in partibus, et densanda oratio. *Egressiones* fere lenes, et dulces, et remissæ; ut, raptus Proserpinæ,—Siciliæ descriptio,—Cn. Pompeii laus;—neque est mirum, minus habere contentionis ea, quæ sunt extra quæstionem. Mollior nonnunquam cum reprehensione diversæ partis imitatio,—Videbar videre alios intrantes, alios autem exeuntes, quosdam ex vino vacillantes:—ubi non dissidens a voce permittitur gestus: quo fit in utramque partem tempera quædam, sed intra manus tamen, et sine motu laterum, translatio. Accendendi iudicis plures sunt gradus: summus ille, et quo nullus est in oratore acutior,—Suscepto bello, Cæsar, gesto jam etiam ex parte magna:—prædixit enim,—Quantum potero, voce contendam, ut populus hæc Romanus exaudiat.—Paulum inferior, et habens aliquid etiam jucunditatis,—Quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharsalica gladius agebat?—Pleniùs adhuc, et lenius, ideoque dulcius;—In cœtu vero populû Romani, negotium publicum gerens.—Producenda omnia, trahendæque tum vocales, aperiendæque sunt fauces. Pleniore tamen hæc canali fluunt,—Vos, Albani tumuli,

(1) *Contradictiones*, sunt propositiones quibus adversarius suam causam fulcit, et nostram subvertit. Itaque, quia nobis obsunt, sumendæ sunt, ut refellantur. *Turn.*

atque luci:—nam cantici quiddam habent, sensimque resupina sunt,—Saxa atque solitudines voci respondent.— Tales sunt illæ inclinationes vocis, quas invicem Demosthenes atque Æschines exprobrant, non ideo improbandæ: cum enim uterque alteri objiciat, palam est, utrumque fecisse: nam neque ille per Marathonis, et Platearum, et Salaminis propugnatores recto sono juravit, nec hic Thebas (1) sermone deflevit. Est (2) his diversa vox, et pene extra organum, cui Græci nomen amaritudinis dederunt, supra modum ac pene naturam vocis humanæ acerba:— Quin compescitis vocem istam indicem stultitiæ, testem paucitatis?—Sed id quod excedere modum dixi, in illa parte prima est:—Quin compescitis.—*Epilogus*, si enumerationem rerum habet, desiderat quandam concisionum continuationem: si ad concitandos judices est accommodatus, aliquid ex iis quæ supra dixi: si placandos, inclinatum quandam lenitatem: si misericordia commovendos, flexum vocis, et flebilem suavitatem, qua præcipue franguntur animi, quæque est maxime naturalis. Nam etiam orbos viduasque videas in ipsis funeribus canoro quodam modo proclamantes. Hic etiam fusca illa vox, qualem Cicero fuisse in Antonio dicit, mire facit: habet enim in se, quod imitetur. Duplex est tamen miseria: altera cum invidia, qualis modo dicta de damnatione Philodami; altera cum deprecatione demissior. Quare, etiam si est in illis quoque cantus obscurior,—In cœtu vero populi Romani,—non enim hæc rixantis modo dixit, et,—Vos Albani tumuli—neque enim, quasi inclamaret aut testaretur, locutus est; tamen infinito magis illa flexa et circumducta sunt,—Me miserum, me infelicem!—et,—Quid respondebo liberis meis?—et,—Revocare tu me in patriam potuisti, Milo, per hos; ego te in eadem patria per eodem retinere non potero?—et, cum bona C. Rabirii uno sestertio addicit,—O meum miserum, acerbumque præconium!— Illa quoque mire facit in peroratione velut deficientis dolore et fatigatione confessio; ut, pro eodem Milone,—Sed finis sit, neque enim præ lacrymis jam loqui possum.—Quæ similem verbis habere debent etiam pronuntiationem. Possunt videri alia quoque hujus partis atque officii, reos excitare, pueros attollere, propinquos producere, vestes laniare; sed suo loco dicta sunt: et, quia in partibus causæ etiam aliis est varietas, satis

(1) Leni et simplici vocis sono, quali in sermone quotidiano utimur.

(2) Significat eam vocem, quam appellant *πικροφωνία* Græci; id est acerbam vocem. Eam dixit esse *extra organum* Fabius, quia est extra legitimum tonum ex nimia contentione reprehensionis. *Turn.*

apparet, accommodandam sententiis ipsis pronuntiationem, sicut ostendimus: sed verbis quoque, quod novissime dixeram, non semper, sed aliquando. An non hæc, *misellus* et *pauperculus*, submissa atque contracta; *fortis*, et *vehemens*, et *latro*, erecta et concitata voce dicenda sunt? Accedit enim vis et proprietas rebus tali adstipulatione; quæ nisi adsit, aliud vox, aliud animus ostendat. Quid? quod eadem verba mutata pronuntiatione indicant, affirmant, exprobrant, negant, mirantur, indignantur, interrogant, irident, elevant? Aliter enim dicitur,

Tu mihi quodcumque hoc regni—et,

Cantando tu illum?—et,

Tunc ille Æneas?—et,

—— *Meque timoris*
Argue tu, Dræce,——

et, ne morer, intra se quisque vel hoc, vel aliud, quod volet, per omnes affectus verset; verum esse, quod dicimus, sciet.

Unum jam his adjiciendum est, cum præcipue in actione spectetur decorum, sæpe aliud alios decere: est enim latens quædam in hoc ratio, et inenarrabilis: et, ut vere dictum est, caput esse artis, decere quod facias; ita id neque sine arte esse, neque totum arte tradi, potest. In quibusdam virtutes non habent gratiam, in quibusdam vitia ipsa delectant. Maximos actores comædiarum, Demetrium et Stratoclem, placere diversis virtutibus vidimus: sed illud minus mirum, quod alter deos, et juvenes, et bonos patres, servosque, et matronas, et graves anus optime; alter acres senes, callidos servos, parasitos, lenones, et omnia agitatoria melius. Fuit enim natura diversa: nam vox quoque Demetrii jucundior, illius acrior erat. Annotandæ magis proprietates, quæ transferri non poterant, manus jactare, et dulces exclamationes theatri causa producere, et ingrediendo ventum concipere veste, et nonnunquam dextro latere facere gestus; quod neminem alium præter Demetrium decuit; namque in hæc omnia statura et mira specie adjuvabatur; illum cursus, et agilitas, et vel parum conveniens personæ risus, quem non ignarus rationis populo dabat, et contracta etiam cervicula. Quidquid horum alter fecisset, fœdissimum videretur. Quare, norit se quisque, nec tantum ex communibus præceptis, sed etiam ex natura sua, capiat con-

silium formandæ actionis: neque illud tamen est nefas, ut aliquem vel omnia vel plura deceant. Hujus quoque loci clausula sit eadem necesse est, quæ cæterorum est, regnare maxime modum. Non enim comœdum esse, sed oratorem volo. Quare, nec in gestu persequemur omnes argutias, nec in loquendo distinctionibus, temporibus, affectionibus, moleste utemur; ut, si sit in scena dicendum,

*Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem
Cum arcessor ultro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?*

hic enim dubitationis moras, vocis flexus, varias manus, diversos nutus actor adhibebit. Aliud oratio sapit, nec vult nimium esse condita: actione enim constat, non imitatione. Quare non immerito reprehenditur pronuntiatio vultuosa, et gesticulationibus molesta, et vocis mutationibus resultans: nec inutiliter ex Græcis veteres transtulerunt, quod ab his sumtum Lenas Popilius posuit, esse hanc (1) *inotiosam actionem*. Optime igitur idem, qui omnia, Cicero præceperat, quæ supra ex Oratore posui: quibus similia in Bruto de M. Antonio dicit. Sed jam recepta est actio paulo agitatior; et exigitur, et quibusdam partibus convenit; ita tamen temperanda, ne dum actoris captamus elegantiam, perdamus viri boni et gravis auctoritatem.

(1) Videtur Popilius vertisse ἄσχυλον ὑπακρῆσιν, id est *inotiosam actionem*, quæ multis negotiis gesticulandi vultumque fingendi occupatur. *Turn.*

M, FABII QUINTILIANI

DE

INSTITUTIONE ORATORIA

LIBER XII,



VENTUM est ad partem operis destinati longe gravissimam: cujus equidem onus si tantum opinione prima concipere potuissem, quanto me premi ferens sentio, maturius consuluissem vires meas. Sed initio pudor omitendi quæ promiseram tenuit: mox, quanquam per singulas prope partes labor cresceret, ne perderem quæ jam effecta erant, per omnes difficultates animo me sustentavi. Quare nunc quoque, licet majori quam antea mole premar, tamen prospicienti finem mihi constitutum est, vel deficere potius quam desperare. Fefellit autem, quod initium a parvis ceperamus: mox velut aura sollicitante provecti longius, dum tantum nota illa et plerisque *Artium* scriptoribus tractata præcipimus, nec adhuc a littore procul videbamus, et multos circa velut iisdem se ventis credere ausos habebamus. Jam, cum *eloquendi* rationem, novissime repertam paucissimisque tentatam, ingressi sumus, rarus, qui jam procul a portu recessisset, reperiebatur: postquam vero nobis ille, quem instituebamus, orator, a dicendi magistris dimissus, aut suo jam impetu fertur, aut majora sibi auxilia ex ipsis Sapientiæ penetralibus petit; quam in altum simus ablati, sentire cœpimus: nunc *cælum undique, et undique pontus!* Unum modo in illa immensa vastitate cernere videmur M. Tullium! qui tamen ipse, quanvis tanta atque ita instructa nave hoc mare ingressus, contrahit vela, inhibetque remos, et de ipso demum genere dicendi, quo sit usurus perfectus orator, satis habet dicere: at nostra temeritas etiam mores ei conabitur dare, et assignabit officia. Ita nec antee-

dentem consequi possumus, et longius eundem est, ut res feret. Probabilis tamen cupiditas honestorum, et vel tutioris audentiæ est tentare, quibus paratior venia est.

I. SIT ergo nobis orator, quem instituimus, is qui a M. Catone finitur, vir bonus dicendi peritus. Verum id, quod ille posuit prius, etiã ipsa natura potius ac majus est, utique vir bonus, non eo tantum, quod, si vis illa dicendi malitiam instruxerit, nihil sit publicis privatisque rebus perniciosius eloquentia; sed nos quoque ipsi, qui pro virili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati sumus, pessime mereamur de rebus humanis, si latroni comparemus hæc arma, non militi. Quid de nobis loquor? Rerum ipsa natura in eo quod præcipue indulsisse homini videtur, quoque nos a cæteris animalibus separasse, non parens sed noverca fuerit, si facultatem dicendi sociam scelerum, adversam innocentia, hostem veritatis invenit. Mutos enim nasci, et egere omni ratione, satius fuisset, quam Providentiæ munera in mutuam perniciem convertere. Longius tendit hoc iudicium meum: neque enim tantum id dico, enim, qui sit orator, virum bonum esse oportere; sed ne futurum quidem oratorem, nisi virum bonum. Nam certe neque intelligentiam concesseris iis, qui, proposita honestorum ac turpium via, pejorem sequi malint; neque prudentiam, qui in gravissimas frequenter legum, semper vero malæ conscientia, pœnas a semetipsis improvise rerum exitu induantur. Quod si neminem malum esse, nisi stultum eundem, non modo a sapientibus dicitur, sed vulgo quoque semper est creditum, certe non fiet unquam stultus orator. Adde quod ne studio quidem operis pulcherrimi vacare mens, nisi omnibus vitiis libera, potest. *Primum*, quod in eodem pectore nullum est honestorum turpiumque consortium: et cogitare optima simul ac deterrima, non magis est unius animi, quam ejusdem hominis bonum esse ac malum. *Tum* illa quoque ex causa, quod mentem tantæ rei intentam vacare omnibus aliis etiam culpa carentibus curis oportet: ita demum enim libera, ac tota, nulla distringente atque alio ducente causa, spectabit id solum quod accingitur. Quod si corporum nimia cura, et sollicitior rei familiaris diligentia, et venandi voluptas, et dati spectaculis dies multum studiis auferunt, (huic enim rei perit tempus quodcumque alteri datur) quid putamus fracturas cupiditatem, avaritiam, invidiam? quarum impotentissimæ cogitationes somnos etiam ipsos, et (1) illa

(1) Somnia, quæ talia sunt, quales fuerunt diurnæ cogitationes. *Turn.*

per quietem visa perturbant. Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens: nam et cum insidiatur, spe, curis, labore dstringitur; et jam cum sceleris compos fuerit, sollicitudine, pœnitentia, pœnarum omnium expectatione, torquetur. Quis inter hæc literis, aut ulli bonæ arti locus?—non hercle magis quam frugibus in terra sentibus ac rubis occupata. Age, non ad perferendos studiorum labores necessaria frugalitas?—quid igitur ex libidine ac luxuria spei? Non præcipue acuit ad cupiditatem literarum amor laudis?—num igitur malis esse laudem curæ putamus? Jam hoc quis non videt, maximam partem orationis in tractatu æqui bonique consistere?—dicetne de his secundum debitam rerum dignitatem malus atque iniquus? Denique, ut maximam partem quæstionis eximam, demus, id quod nullo modo fieri potest, idem ingenii, studii, doctrinæ pessimo atque optimo viro: uter melior dicetur orator?—nimirum qui homo quoque melior. Non igitur unquam malus idem homo, et perfectus orator: non enim perfectum est quidquam, quo melius est aliud. Sed, ne more Socraticorum nobismet ipsis responsum finxisse videamur, sit aliquis adeo contra veritatem obstinatus, ut audeat dicere, eodem ingenio, studio, doctrina præditum, nihilo deteriorem futurum oratorem malum virum quam bonum. Convincamus hujus quoque amentiam. Nam hoc certe nemo dubitabit, omnem oratorem id agere, ut iudici, quæ proposita fuerint, vera et honesta videantur: utrum igitur hoc facilius bonus vir persuadebit, an malus?—bonus quidem; et dicet sæpius vera atque honesta. Sed etiam, si quando aliquo ductus officio (quod accidere, ut mox docebimus, potest) falso hæc affirmare conabitur, majore cum fide necesse est audiatur. At malis hominibus ex contentu opinionis, et ignorantia recti, nonnunquam excidit ipsa simulatio; inde immodeste proponunt, sine pudore affirmant: sequitur in iis, quæ certum est effici non posse, deformis pertinacia, et irritus labor: nam, sicut in vita, ita in causis quoque spes improbas habent. Frequenter autem accidit, ut his etiam vera dicentibus fides desit, videaturque talis advocatus malæ causæ argumentum.

Nunc de iis dicendum est, quæ mihi quasi conspiratione quadam vulgi reclamari videntur:—Orator ergo Demosthenes non fuit? atqui malum virum accepimus: non Cicero? atqui hujus quoque mores multi reprehenderant.—Quid ægam? magna responsi invidia subeunda; mitigandæ

sunt prius aures. Mihi enim nec Demosthenes tam gravi morum dignus videtur invidia, ut omnia quæ in eum ab inimicis congesta sunt credam, cum et pulcherrima ejus in republica consilia et finem vitæ clarum legam; nec M. Tullio defuisse video in ulla parte civis optimi voluntatem: testimonio est actus nobilissime consulatus, integerrime provincia administrata, et repudiatum (1) vigintiviratus, et civilibus bellis, quæ in ætatem ejus gravissima inciderunt, neque spe neque metu declinatus animus, quo minus optimis se partibus, id est reipublicæ, jungeret. Parum fortis videtur quibusdam: quibus optime respondit ipse, non se timidum in suscipiendis, sed in providendis periculis; quod probavit morte quoque ipsa, quam præstantissimo suscepit animo. Quod si defuit his viris summa virtus, sic quærentibus, an oratores fuerint? respondebo, quo modo Stoici, si interrogentur an sapiens Zeno, an Cleanthes, an Chrysippus? respondeant, magnos quidem illos ac venerabiles, non tamen id, quod natura hominis summum habet, consecutos. Nam et Pythagoras, non *sapientem* se, ut qui ante eum fuerunt, sed *studiosum sapientiæ* vocari voluit. Ego tamen secundum communem loquendi consuetudinem sæpe dixi, dicamque, perfectum oratorem esse Ciceronem, ut amicos et bonos et prudentissimos viros dicimus vulgo, quorum nihil nisi perfecte sapienti datur. Sed cum proprie, et ad legem ipsam veritatis, loquendum erit, eum quæram oratorem, quem et ille quærebat. Quanquam enim stetisse eum in fastigio eloquentiæ fateor, ac vix quid adjici potuerit invenio, fortasse inventurus quod adhuc abscissurum putem fuisse; (nam fere sic docti judicaverunt, plurimum in eo virtutum, nonnihil fuisse vitiorum; et se ipse multa ex illa juvenili abundantia coercuisse testatur) tamen, quando nec sapientis sibi nomen, minime sui contemtor, asseruit, et melius dicere certe, data longiore vita, et ætate ad componendum (2) severiore, potuisset, non maligne crediderim defuisse ei summam illam, ad quam nemo propius accessit. Et licebat, si aliud sentirem, fortius id et liberius defendere. An vero M. Antonius neminem a se

(1) Mortuo Cæsare quidam dicebant, immutandum reipublicæ statum, faciendamque aristocratiam, ac eligendos *viginti viros*, qui rempublicam gubernarent: quod Cicero dissuasit, cum alioqui in viginti numeraretur. *Turn.* Oblatum quoque a Cæsare vigintiviratum repudiasset videtur Tullius. V. ad. Att. l. 9. ep. 2.

(2) Ita Gibs. ex MSS. et edit. opt. al. ut et Dorv. *securiore*; male; meminimus enim, de ea re loqui Fabium, quæ facilius turbidis et inquietis temporibus existit. Vid. lib. de caus. corr. eloquentiæ p. 752 ed. Var. 1665. O.

visum eloquentem, quod tanto minus erat, professus est; ipse etiam M. Tullius quærit adhuc eum, et tantum imaginatur ac fingit; ego non audeam dicere, aliquid in hac quæ superest æternitate inveniri posse, eo quod fuerit perfectius? Transeo illos, qui Ciceroni ac Demostheni ne in eloquentia quidem satis tribuunt: quanquam neque ipsi Ciceroni Demosthenes videatur satis esse perfectus, quem dormire interim dicit; nec Cicero Bruto Calvoque, qui certe compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt; nec Asinio utriusque, qui vitia orationis ejus etiam inimice pluribus locis insequuntur.

Concedamus sane, quod minime natura patiatur, re-
pertum esse aliquem malum virum summe disertum; ni-
hilo tamen minus oratorem eum negabo: nam nec omni-
bus, qui fuerint manu prompti, viri fortis nomen conces-
serim; quia sine virtute intelligi non potest fortitudo. An
ei, qui ad defendendas causas advocatur, non est opus
fide, quam nec cupiditas corrumpat, nec gratia avertat,
nec metus frangat; sed proditorem, transfugam, præva-
ricatorem donabimus oratoris illo sacro nomine? Quod
si mediocribus etiam patronis convenit hæc quæ vulgo di-
citur *bonitas*, cur non orator ille, qui nondum fuit, sed
potest esse, tam sit moribus quam dicendi virtute perfec-
tus? non enim forensem quandam instituimus operam,
nec mercenariam vocem, nec (ut asperioribus verbis par-
camus) non inutilem sane litium advocatum, quem deni-
que *causidicum* vulgo vocant: sed virum, cum ingenii na-
tura præstantem, tum vero tot pulcherrimas artes penitus
mente complexum, datum tandem rebus humanis, qualem
nulla antea vetustas cognoverit, singularem, perfectumque
undique, optima sentientem, optimeque dicentem. In
hoc quota pars erit, quod aut innocentes tuebitur, aut
improborum scelera compescet, aut in pecuniariis quæ-
stionibus veritati contra calumniam aderit? Summus ille
quidem in his quoque operibus fuerit, sed in majoribus
clarius elucebit, cum regenda senatus consilia, et popu-
laris error ad meliora ducendus. An non talem quemdam
videtur finxisse Virgilius, quem in seditione vulgi, jam
faces et saxa jaculantis, moderatorem dedit?

*Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent; arrectisque auribus adstant:*

habemus igitur ante omnia virum bonum; post hæc ad-
jicit dicendi peritum:

Ille regit dictis animos, et pectora mulcet.

Quid? non in bellis quoque idem ille vir, quem instituímus, si sit ad prælium miles cohortandus, ex mediis sapientiæ præceptis orationem trahet? Nam quo modo pugnam ineuntibus tot simul metus laboris, doloris, postremo mortis ipsius, exciderint, nisi in eorum locum pietas, et fortitudo, et honesti præsens imago successerit? Quæ certe melius persuadebit aliis, qui prius persuaserit sibi: prodit enim se, quamlibet custodiatur, simulatio; nec unquam tanta fuerit eloquendi facultas, ut non titubet ac hæreat, quoties ab animo verba dissentiant. Vir autem malus aliud dicat necesse est quam sentiat: bonis nunquam honestus sermo deficiet, nunquam rerum optimarum (nam iidem etiam prudentes erunt) inventio; quæ, etiam si lenociniis destituta sit, satis tamen natura sua ornatur; nec quidquam non diserte, quod honeste dicitur. Quare iuventus, imo omnis ætas (neque enim rectæ voluntati serum est tempus ullum) totis mentibus huc tendamus, in hoc elaboremus: forsitan et consummare contingat. Nam, si natura non prohibet et esse virum bonum, et esse dicendi peritum, cur non aliquis etiam unus utrumque consequi possit? cur autem non se quisque speret fore illum aliquem? Ad quod si vires ingenii non suffecerint, tamen ad quem usque modum processerimus, meliores erimus ex utroque. Hoc certe prorsus eximatur animo, rerum pulcherrimam eloquentiam cum vitis mentis posse misceri. Facultas dicendi si in malos incidat, et ipsa iudicanda est malum: pejores enim illos facit, quibus contigerit.

Videor mihi audire quosdam (nec enim deerunt unquam qui disertis esse quam boni malint) illa dicentes:—Quid ergo tantum est artis in eloquentia? cur tu de coloribus, et difficultum causarum defensione, nonnihil etiam de confesso locutus es, nisi aliquando vis et facultas dicendi expugnat ipsam veritatem? bonus enim vir non agit nisi bonas causas: eas porro etiam sine doctrina satis per se tuetur veritas ipsa.—Quibus ego, cum de meo primum opere respondero, etiam pro boni viri officio, si quando eum ad defensionem nocentium ratio duxerit, satisfaciam. Pertractare enim, quo modo aut pro falsis, aut etiam pro injustis aliquando dicatur, non est inutile, vel propter hoc solum, ut ea facilius et deprehendamus, et refellamus: quemadmodum remedia melius adhibebit, cui nota quæ nocent fuerint. Neque enim Academici, cum in utramque disserunt partem, non secundum alteram vivunt: neque Carneades ille, qui Romæ audiente Censorio Catone non minoribus viribus contra iustitiam dicitur disseruisse,

quam pridie pro justitia dixerat, injustus ipse vir fuit. Verum et virtus quid sit, adversa ei malitia detegit; et æquitas fit ex iniqui contemplatione manifestior; et plurima contrariis probantur. Debent ergo oratori sic esse adversariorum nota consilia, ut hostium imperatori. Verum et illud, quod prima propositione durum videtur, potest afferre ratio, ut vir bonus in defensione causæ velit auferre aliquando judici veritatem. Quod si quis a me proponi mirabitur, (quanquam non est hæc mea proprie sententia, sed eorum quos gravissimos sapientiæ magistrorum ætas vetus credidit) sic judicet; pleraque esse, quæ non tam factis, quam causis eorum, vel honesta fiant vel turpia. Nam si hominem occidere, sæpe virtus; liberos necare, nonnunquam pulcherrimum est; asperiora quædam adhuc dictu, si communis utilitas exegerit, facere conceditur; ne hoc quidem nudum est intuendum, qualem causam vir bonus, sed etiam quare, et qua mente, defendat. Ac primum concedant (1) mihi omnes oportet, quod Stoicorum quoque asperissimi confitentur, facturum aliquando bonum virum, ut *mendacium dicat*, et quidem nonnunquam levioribus causis; ut in pueris ægrotantibus, utilitatis eorum gratia, multa fingimus, multa non facturi promittimus; nedum, si ab homine occidendo grassator avertendus sit, aut hostis pro salute patriæ fallendus: ut hoc, quod alias in servis quoque reprehendendum est, sit alias in ipso sapiente laudandum. Id si constiterit, multa jam video posse evenire, propter quæ orator bene suscipiat tale causæ genus, quale, remota ratione honesta, non suscepisset. Nec hoc dico, quia severiores sequi placet leges, pro patre, fratre, amico periclitantibus: tametsi non mediocris hæsitatio est, hinc justitiæ proposita imagine, inde pietatis. Nihil dubii relinquamus: sit aliquis insidiatus tyranno, atque ob id reus: utrumne saluum eum nolet is qui a nobis finitur orator, an, si tuendum susceperit, non tam falsis defendet, quam qui apud iudices malam causam tuetur? Quid? si quædam bene facta damnaturus est iudex, nisi ea non esse facta convicerimus; non vel hoc modo servabit orator non innocentem modo, sed etiam laudabilem civem? Quid? si quædam justa natura, sed conditione temporum inutilia civitati sciemus; nonne utemur arte dicendi, bona quidem,

(1) S. Augustinus lib. de Mendacio, et alibi passim, fuse et invicte probat nulla de causa, quæcumque sit, ulli unquam licere *mentiri*; pluribus quidem aliis, sed his præsertim divinæ scripturæ testimoniis nixus: *Verdes omnes qui loquuntur mendacium. Psalm. 5. v. 7. Os quod mentitur, occidit animam. Sapient. 1. v. 11.*

sed malis artibus simillima? Ad hoc, nemo dubitabit, quin, si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, salvos esse eos magis e republica sit, quam puniri: si liqueat igitur oratori, futurum bonum virum, cui vera objicientur, non id aget ut salvus sit? Da nunc, ut crimine manifesto prematur dux bonus, et sine quo vincere honeste civitas non possit: nonne ei communis utilitas oratorem advocabit? certe Fabricius Cornelium (1) Rufinum, alioqui et malum civem et sibi inimicum, tamen, quia utilem sciebat ducem, imminente bello palam consulem suffragio suo fecit; atque admirantibus quibusdam respondit,—A cive se spoliari malle, quam ab hoste venire.—Ita hic, si fuisset orator, non defendisset eundem Rufinum vel manifesti peculatus reum? Multa dici possunt similia, sed vel unum ex his quodlibet sufficit: non enim hoc agimus, ut istud illi quem formamus viro sit sæpe faciendum; sed ut, si talis coegerit ratio, sit tamen vera finitio, Oratorem esse virum bonum, dicendi peritum. Præcipere vero, ac discere, quo modo etiam probatione difficilia tractentur, necesse est. Nam frequenter etiam optimæ causæ similes sunt malis, et innocens reus multis verisimilibus premitur: quo fit, ut eadem actionis ratione defendendus sit, qua, si nocens esset. Jam innumerabilia sunt bonis causis malisque communia; testes, literæ, suspiciones, opiniones. Non aliter autem verisimilia quam vera et confirmantur et refelluntur. Quapropter, ut res feret, flectetur oratio, manente honesta voluntate.

II. QUANDO igitur orator est vir bonus, is autem citra virtutem intelligi non potest, virtus, etiam si quosdam impetus a natura sumit, tamen perficienda doctrina est; mores ante omnia oratori studiis erunt excolendi, atque omnis honesti justique disciplina pertractanda, sine qua nemo nec vir bonus esse, nec dicendi peritus potest. Nisi forte accedamus iis, qui natura constare mores, et nihil adjuvari disciplina putant: scilicet, ut ea quidem, quæ manu fiunt, atque eorum etiam contentissima, confiteantur egere doctoribus; virtutem vero, qua nihil homini, quo ad deos immortales propius accederet, datum est, obviam et illaboratam, tantum quia nati sumus, habeamus. Abstinent erit, qui id ipsum, quid sit abstinentia, ignorarit? Et fortis, qui metus doloris, mortis, superstitionis, nulla ratione purgaverit? Et justus, qui

(1) Hic Rufinus vir erat furacissimus, accusatusque fuerat peculatus a Fabricio. Vide hanc historiam apud Cicer. 2. de Orat. 68. et apud Gell. l. 4. c. 8. Turn.

æqui bonique tractatum, qui leges, quæ natura sunt omnibus datæ, quæque propriæ populis et gentibus constitutæ, non eruditore aliquo sermone (1) tractaverit? O quam istud parum putant, quibus tam facile videtur! Sed hoc transeo, de quo neminem, qui literas vel primis, ut aiunt, labris degustarit, dubitaturum puto: ad illud sequens revertar, ne dicendi quidem satis peritum fore, qui non et naturæ vim omnem penitus perspexerit, et mores præceptis ac ratione formarit. Neque enim frustra in tertio de Oratore libro L. Crassus cuncta quæ de æquo, justo, vero, bono, deque iis, quæ sunt contra posita, dicuntur, propria esse oratoris affirmat; ac philosophos, eam ea dicendi viribus tuentur, uti rhetorum armis, non suis. Idem tamen confitetur, ea jam esse a *philosophia* petenda; videlicet, quia magis hæc illi videtur in possessione earum rerum fuisse. Hinc etiam illud est, quod Cicero pluribus libris et epistolis testatur, dicendi facultatem ex intimis sapientiæ fontibus fluere: ideoque aliquamdiu præceptores eosdem fuisse morum atque dicendi. Quapropter hæc exhortatio mea non eo pertinet, ut esse oratorem philosophum velim, quando non alia vitæ secta longius a civilibus officiis, atque ab omni munere oratoris, recessit. Nam quis philosophorum aut in judiciis frequens, aut clarus in concionibus fuit? Quis denique in ipsa, quam maxime plerique eorum vitandam præcipiunt, reipublicæ administratione versatus est? Atqui ego illum, quem instituo, *Romanum* quemdam velim esse sapientem, qui non secretis disputationibus, sed rerum experimentis atque operibus, vere civilem virum exhibeat. Sed, quia deserta ab iis, qui se ad eloquentiam contulerunt, studia sapientiæ non jam in actu suo atque in hac fori luce versantur, sed in porticus et gymnasia primum, mox in conventus scholarum recesserunt, id quod est oratori necessarium, nec a dicendi præceptoribus traditur, ab iis petere nimirum necesse est, apud quos remansit. Evolvendi penitus auctores qui de virtute præcipiunt, ut oratoris vita cum scientia divinarum rerum sit humanarumque conjuncta. Quæ ipsæ quanto majores ac pulcriores viderentur, si illas ii docerent, qui etiam eloqui præstantissime possunt? Utinamque sit tempus unquam, quo perfectus aliquis, qualem optamus, orator hanc partem, superbo nomine et vitiis quorundam bona ejus corruptentium invisam, vindicet sibi, ac velut rebus repetitis in corpus

(1) Quid hoc? *tractatum*—*tractaverit*! Certe Græci ita loqui solent: parsius tamen Romani. O.

eloquentiæ abducat. Quæ quidem cum sit in tres divisa partes, *naturalem, moralem, rationalem*, quæ tandem non est cum oratoris opere conjuncta?

Nam, ut ordinem retro agamus, de ultima illa, quæ tota versatur in *verbis*, nemo dubitaverit; si et proprietates vocis cujusque nosse, et ambigua aperire, et perplexa discernere, et de falsis judicare, et colligere ac resolvere quæ velis, oratoris est: quanquam ea non tam est minute atque concise in actionibus utendum, quam in disputationibus; quia non docere modo, sed movere etiam ac delectare audientes debet orator; ad quod impetu quoque et viribus ac decore est opus: ut vis annuum major est, altis ripis multoque gurgitis tractu fluentium, quam tenuis aquæ, et objectu lapillorum resultantis. Et, ut palæstrici doctores illos quos (1) *numeros* vocant non idcirco discentibus tradunt, ut his omnibus ii qui didicerunt in ipso luctandi certamine utantur, (plus enim pondere, et firmitate, et spiritu agitur) sed ut subsit copia illa, ex qua unum aut alterum, cujus se occasio dederit, efficiant; ita hæc pars *dialectica*, sive illam dicere malimus *disputatricem*, ut est utilis sæpe et finitionibus et comprehensionibus, et separandis quæ sunt differentia, et resolvenda ambiguitate, et distinguendo, dividendo, illiciendo, implicando; ita, si totum sibi vindicaverit in foro certamen, obstabit melioribus, et sectas ad tenuitatem suam vires ipsa subtilitate consumet. Itaque reperias quosdam, in disputando mire callidos; cum ab illa vero cavillatione discesserint, non magis sufficere in aliquo graviore actu, quam parva quædam animalia, quæ, in angustiis mobilia, campoprehenduntur.

Jam quidem pars illa *moralis*, quæ dicitur *ἠθικὴ*, certe tota oratori est accommodata. Nam in tanta causarum, ut superioribus libris diximus, varietate, cum alia conjectura querantur, alia finitionibus concludantur, alia jure submoveantur, vel transferantur, alia colligantur, vel ipsa inter se concurrant, vel in diversum ambiguitate ducantur, nulla fere dici potest, cujus non parte in aliqua tractatus æqui ac boni reperiat. Plerasque vero esse quis nescit, quæ totæ in sola qualitate consistant? In consilii vero quæ ratio suadendi est ab honesti quæstione seposita? Quid? illa etiam pars tertia, quæ laudandi ac vituperandi officiis continetur, nonne in tractatu recti pravi que versatur? An de justitia, fortitudine, abstinentia,

(1) Numeros hoc loco appellat optimam motus et gestus conformationem quæ ad decorum facit, ut testatur lib. 9. cum ait: *metrum in verbis modo? rhythmus etiam in corporis motu est.* Turn.

temperantia, pietate, non plurima dicet orator? Sed ille vir bonus, qui hæc, non vocibus tantum sibi nota atque nominibus, aurium tenus in usum linguæ perceperit, sed qui, virtutes ipsas mente complexus, ita sentiet; nec in cogitando ita laborabit, sed, quod sciet, vere dicet. Cum sit autem omnis generalis quæstio speciali potentior, quia universo pars continetur, non utique accedit parti quod universum est; profecto nemo dubitabit, generales quæstiones in illo maxime studiorum more versatas. Jam vero, cum sint multa propriis brevibusque comprehensionibus finienda, unde etiam status causarum dicitur *finitivus*, nonne ad id quoque instrui ab iis, qui plus in hoc studii dederunt, oportet? Quid? non quæstio juris omnis, aut verborum proprietate, aut æqui disputatione, aut voluntatis conjectura continetur? quorum pars ad *rationalem*, pars ed *moralem* tractatum redundat: ergo natura permista est omnibus istis oratio, quæ quidem oratio est vere. Nam ignara quidem hujusce doctrinæ loquacitas erret necesse est, ut quæ vel nullos vel falsos duces habeat.

Pars vero *naturalis*, cum est ad exercitationem dicendi tanto cæteris uberior, quanto majore spiritu de divinis rebus quam humanis loquendum est, tum illam etiam *moralem*, sine qua nulla esse (ut docnimus) oratio potest, totam complectitur. Nam si regitur providentia mundus, administranda certe bonis viris erit publica. Si divina nostris animis origo, tendendum ad virtutem, nec voluptatibus terreni corporis serviendum. An hæc non frequenter tractabit orator? Jam de auguriis, responsis, religione denique omni, de quibus maxima sæpe in senatu consilia versata sunt, non erit ei disserendum, si quidem, ut nobis placet, futurus est vir idem civilis? Quæ denique intelligi saltem potest eloquentia hominis optima nescientis. Hæc si ratione manifesta non essent, exemplis tamen crederemus. Siquidem et Periclem, cujus eloquentiæ etiam si nulla ad nos monumenta venerunt, vim tamen quandam incredibilem cum historici, tum etiam liberrium genus hominum comici veteres tradunt, Anaxagoræ physici constat auditorem fuisse: et Demosthenem, principem omnium Græciæ oratorum, dedisse operam Platoni. Nam M. Tullius non tantum se debere scholis rhetorum, quantum Academiæ spatiis, frequenter ipse testatus est: neque tanta in eo unquam fuisset ubertas, si ingenium suum consepito fori, non ipsius rerum naturæ finibus terminasset.

Verum ex hoc alia mihi quæstio exoritur, Quæ secta

conferre plurimam eloquentiæ possit? quanquam ea non inter multas potest esse contentio. Nam in primis Epicurus nos a se ipse dimittit, qui fugere omnem disciplinam navigatione quam velocissima jubet. Neque vero Aristippus, summum in voluptate corporis bonum ponens, ad hunc nos laborem adhortetur. Pyrrho quidem quas in hoc opere partes habere potest, cui iudices esse, apud quos verba faciat, et reum, pro quo loquatur, et senatum, in quo sit dicenda sententia, non liquebit? Academiam quidam utilissimam credunt, quod mos in utramque partem disserendi ad exercitationem forensium causarum proxime accedat: adjiciunt, loco probationis, quod ea præstantissimos in eloquentia viros ediderit. Peripatetici studio quoque se quædam oratorio jactant: nam theses dicere, exercitationis gratia, fere est ab his institutum. Stoici, sicut copiam nitoremque eloquentiæ fere præceptoribus suis defuisse concedant necesse est, ita nullos aut probare acrius aut concludere subtilius contendunt. Sed hæc inter ipsos, qui, velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, nefas ducunt a suscepta semel persuasionem discedere. Oratori vero nihil est necesse in cujusquam jurare leges: majus enim est opus atque præstantius, ad quod ipse tendit, et ejus est velut candidatus, si quidem est futurus, cum vitæ tum etiam eloquentiæ laude, perfectus. Quare, in exemplum bene dicendi facundissimum quemque proponet sibi ad imitandum; moribus vero formandis quam honestissima præcepta, rectissimamque ad virtutem viam, deliget. Exercitatione quidem utetur omni, sed tamen erit plurimus in maximis quibusque, ac natura pulcherrimis. Nam quæ potest materia reperiri ad graviter copioseque dicendum magis abundans, quam de virtute, de republica, de providentia, de origine animorum, de amicitia? Hæc sunt, quibus mens pariter atque oratio insurgant, Quæ vere bona, quæ mitigent metus, corceant cupiditates, exinant nos opinionibus vulgi, animumque cælestem pariant. Neque ea solum, quæ talibus disciplinis continentur, sed magis etiam, quæ sunt tradita antiquitus, dicta ac facta præclare, et nosse, et animo semper agitare, conveniet. Quæ profecto nusquam plura majoraque, quam in nostræ civitatis monumentis, reperientur. An fortitudinem, fidem, justitiam, melius alii docebunt, quam Fabricii, Curii, Reguli, Decii, Mutii, aliique innumerabiles? Quantum enim Græci præceptis valent, tantum Romani (quod est majus) exemplis: tantumque non cognatis idem rebus admoneri

sciet, qui non modo proximum tempus, lucemque præsentem, intueri satis credat, sed omnem posteritatis memoriam, spatium vitæ honestæ, et curriculum laudis existimet. Hinc mihi ille justitiæ haustus bibat, hinc summam libertatem in causis atque consiliis præset. Neque erit perfectus orator, nisi qui honeste dicere et sciet et audebit.

III. JURIS quoque civilis necessaria huic viro scientiæ est, et morum ac religionum ejus reipublicæ quam capesset. Nam qualis esse suasor in consiliis publicis privatisve poterit, tot rerum, quibus præcipue civitas continetur, ignarus? Quo autem modo patronum se causarum non falso dixerit, qui quod est in causis potentissimum sit ab altero petiturus? pene non dissimilis iis, qui (1) poetarum scripta pronuntiant. Nam quodammodo mandata perferet, et ea, quæ sibi a iudice credi postulaturus est, aliena fide dicet, et ipse litigantium auxiliator egebit auxilio. Quod ut fieri nonnunquam minore incommodo possit, cum domi præcepta et composita, et, sicut cætera quæ in causa sunt, in discendo cognita ad iudicem perferet; quid fiet in iis quæstionibus quæ subito inter ipsas actiones nasci solent? non deformiter respectet? et inter subsellia minores (2) advocatos interroget? Potest autem satis diligenter accipere quæ tum audiet, cum ei dicenda sunt? aut fortiter affirmare? aut ingenue pro suis dicere? Possit in actionibus: quid fiet in altercatione, ubi occurrendum continuo, nec libera ad discendum mora est? Quid, si forte peritus juris ille non aderit? Quid, si quis non satis in ea re doctus falsum aliquid subjecerit? hoc enim est maximum ignorantiae malum, quod credit eum scire, qui moneat. Neque (3) ego sum nostri moris ignarus, oblitusve eorum, qui velut ad arculas sedent, et tela agentibus subministrant: neque idem Græcos quoque nescio factitasse, unde nomen his *pragmaticorum* datum est: sed loquor de oratore, qui non clamorem modo suum causis, sed omnia, quæ profutura sunt, debet. Itaque eum nec inutilem, (4) si ad horam forte constiterit, neque in testationibus faciendis esse imperitum velim: quis enim potius præparabit ea, quæ, cum agat, esse in causa velit?

(1) Poetæ interdum, voci suæ diffidentes, scripta sua ab aliis recitari et pronuntiarî curabant.

(2) Advocatum hic appellat eum, qui jus suggerit, ut ait Asconius. *Turn.*

(3) Apud Romanos, ut docet Asconius, quidam erant advocati, quidam cognitores et subscriptores, qui oratorem adjuvabant, jusque suggerbant. Sic apud Græcos erant *pragmatici*, veluti quidam formularii ac leguleii, qui oratorem instruebant, jusque ministrabant. *Turn.*

(4) Si qua forte inopina occasio postulet, ut verba faciat ex tempore.

Nisi forte imperatorem quis idoneum credit, in præliis quidem strenuum et fortem, et omnium, quæ pugna poscit, artificem; sed nec delectus agere, nec copias contrahere atque instruere, nec prospicere comneatus, nec locum capere castris scientem: prius est enim certe parare bella, quam gerere. Atqui simillimus huic sit advocatus, si plura, quæ ad vincendum valent, aliis reliquerit: cum præsertim hoc, quod est maxime necessarium, non tam sit arduum, quam procul intuentibus fortasse videatur. Namque omne jus, quod est certum, aut *scripto*, aut *moribus* constat: dubium *æquitatis* regula examinandum est. Quæ scripta sunt, aut posita in more civitatis, nullam habent difficultatem: cognitionis sunt enim, non inventionis. At quæ consultorum responsis explicantur, aut in verborum interpretatione sunt posita, aut in recti pravi que discrimine. Vim cujusque vocis intelligere, aut commune prudentium est, aut proprium oratoris: æquitas optimo cuique notissima est. Nos porro et bonum virum et prudentem in primis oratorem putamus: qui cum se ad id, quod est optimum natura, direxerit, non magnopere commovebitur, si quis ab eo consultus dissentiat, cum ipsis illis diversas inter se opiniones tueri concessum sit. Sed etiam, si nosse quid quisque senserit volet, lectionis opus est, qua nihil est in studiis minus laboriosum. Quod si plerique, desperata facultate agendi, ad discendum jus declinaverunt, quam id scire facile est oratori, quod discunt qui sua quoque confessione oratores esse non possunt? Verum et M. Cato, cum in dicendo præstantissimus, tum juris fuit idem peritissimus; et Scævola Servioque Sulpitio concessa est etiam facundiæ virtus: et M. Tullius non modo inter agendum nunquam est destitutus scientia juris, sed etiam componere aliqua de eo cœperat; ut appareat, posse oratorem non discendo tantum juri vacare, sed etiam docendo. Verum ea, quæ de moribus excolendis studioque juris præcepimus, ne quis eo credat reprehendenda, quod multos cognovimus, qui tædio laboris, quem ferre tendentibus ad eloquentiam necesse est, confugerint ad hæc deverticula desidix: quorum alii se ad (1) album ac rubricas transtulerunt, et formularii, vel, ut Cicero ait, *leguleii* quidam esse in aluerunt; tanquam utiliora eligentes ea, quorum solam facilitatem sequebantur; alii pigritiæ arrogantioris, qui, subito fronte conficta, immissaque

(1) *Album* appellat, aut in quo proponebantur prætoris edicta, aut in quo scribebantur judicum nomina. Appellat *rubricas* juris titulos, quia rubrica et minio tingeantur. *Turn.*

barba, veluti despexissent oratoria præcepta, paulum aliquid sederunt in scholis philosophorum, ut deinde in publico tristes, domi dissoluti, captarent auctoritatem contentu cæterorum. PHILOSOPHIA enim simulari potest, eloquentia non potest.

IV. IN primis vero abundare debet orator exemplorum copia, cum veterum, tum etiam novorum: adeo ut non ea modo, quæ conscripta sunt historiis, aut sermonibus velut per manus tradita, quæque quotidie aguntur, debeat nosse; verum ne ea quidem, quæ sunt a clarioribus poetis ficta, negligere. Nam illa quidem *priora* aut testimoniorum, aut etiam judicatorum, obtinent locum: sed hæc quoque aut vetustatis fide tuta sunt, aut ab hominibus magnis præceptorum loco ficta creduntur. Sciat ergo quam plurima: unde etiam senibus auctoritas major est, quod plura nosse et vidisse creduntur; quod Homerus frequentissime testatur. Sed non est expectanda ultima ætas; cum studia præstent, ut, quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis sæculis vixisse videamur.

V. HÆC sunt, quæ me redditurum promiseram, instrumenta, non artis, ut quidam putaverunt, sed ipsius oratoris: hæc arma habere ad manum; horum scientia debet esse succinctus: accedente verborum figurarumque facili copia, et inventionis ratione, et disponendi usu, et memoriæ firmitate, et actionis gratia. Sed plurimum ex his valet animi præstautia, quam nec metus frangat, nec acclamatio terreat, nec audientium auctoritas ultra debitam reverentiam tardet. Nam, ut abominanda sunt contraria his vitia, confidentiæ, temeritatis, improbitatis, arrogantiae; ita citra constantiam, fiduciam, fortitudinem, nihil ars, nihil studium, nihil profectus ipse profnerit; ut si des arma timidus et imbellibus. Invitus mehercule dico, quoniam et aliter accipi potest, ipsam verecundiam, vitium quidem, sed amabile, et quæ virtutes facillime generet, esse interim adversam, multisque in causa fuisse, ut bona ingenii studique, in lucem non prolata, situ quodam secreti consumerentur. Sciat autem, si quis hæc forte, minus adhuc peritus distinguendi vim cujusque verbi, leget, non probitatem a me reprehendi, sed verecundiam; quæ est timor quidam, reducens animum ab iis quæ faciendæ sunt, unde confusio, et cepti pœnitentia, et subitum silentium. Quis porro dubitet vitiis adscribere affectum, propter quem facere honeste pudet? Neque ego rursus nolo eum, qui sit dicturus, et sollicitum surgere, et colore mutari, et periculum intelligere; quæ; si non accident, etiam simulanda erunt: sed intellectus

hic sit operis, non metus; moveamurque, non concidamus. Optima est autem emendatio verecundiæ fiducia; et quamlibet imbecilla frons magna conscientia sustinetur. Sunt et naturalia, ut supra dixi, quæ tamen et cura juvantur, instrumenta, vox, latus, decor: quæ quidem tantum valent, ut frequenter famam ingenii faciant. Habuit oratores ætas nostra copiosiores; sed, cum diceret, emicare inter æquales Trachælus videbatur: ea corporis sublimitas erat, is ardor oculorum, frontis auctoritas, gestus præstantia, vox quidem, non, ut Cicero desiderat, pene tragædorum, sed super omnes, quos ego quidem audierim, tragædos. Certe, cum in basilica Julia diceret primo tribunali, quatuor antem judicia, ut moris est, cogentur, atque omnia clamoribus fremerent, et auditum eum, et intellectum, et, quod agentibus cæteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini. Sed hoc votum est, et rara felicitas: quæ si non adsit, sane sufficiat ab iis, quibus quis dicit, audiri. Talis esse debet orator, et hæc scire.

VI. AGENDI autem initium sine dubio secundum vires cujusque sumendum est; neque ego annos definiam: cum (1) Demosthenem puerum admodum actiones pupillares habuisse manifestum sit; Calvus, Cæsar, Pollio, multum ante (2) quæstoriam omnes ætatem gravissima judicia susceperint; prætextatos egisse quosdam sit traditum; Cæsar Augustus duodecim natus annos aviam pro rostris laudaverit. Modus mihi videtur quidam tenendus; ut neque præpropere destringatur immatura frons, et quidquid est illud adhuc acerbum proferatur: nam inde et contemptus operis innascitur, et fundamenta jaciuntur impudentiæ, et (quod est ubique perniciosissimum) prævenit vires fiducia: nec rursus differendum est tyrocinium in senectutem: nam quotidie metus crescit, majusque fit semper quod ausuri sumus; et, dum deliberamus quando incipiendum sit, incipere jam serum est. Quare fructum studiorum viridem et adhuc dulcem promi decet, dum et venia et spes est et paratus favor, et audere non dedecet, et, si quid desit operi, supplet ætas, et, si qua sunt dicta juveniliter, pro indole accipiuntur: ut totus ille Ciceronis pro Sexto Roscio locus,—Quid enim tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus,

(1) Demosthenes contra Aphobum, tutorem suum, puer admodum egit, unde illæ actiones *pupillares* dictæ sunt. Male Jens. *populares*. O.

(2) Ad quæsturam non admittebantur nisi qui nati essent annos 27. Prætexta vero utebantur pueri usque ad annum 17. quo tempore togam virilem sument. R. De Cæsare Augusto vid. Sueton. in vit. c. 3. O.

littus eiectis?—Quæ cum sex et viginti natus annos summis audientium clamoribus dixerit, deferbuisse tempore, et annis liquata, jam senior idem fatetur. Et hercle, quantumlibet secreta studia contulerint, est tamen proprius quidam fori profectus; alia lux, alia veri discriminis facies: plusque, si separes, usus sine doctrina, quam citra usum doctrina, valeat. Ideoque nonnulli, senes in schola facti, stupent novitate cum in judicia venerunt, et omnia suis exercitationibus similia desiderant. At illic et iudex tacet, et adversarius obstrepat, et nihil temere dictum perit; et, si quid tibi ipse sumas, probandum est; et laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem aqua deficit; et, omisso magna semper flandi tumore, in quibusdam causis *loquendum* est, quod illi disertis minime sciunt: itaque nonnullos reperies, qui sibi eloquentiores videantur, quam ut causas agant. Cæterum illum, quem juvenem tenerisque adhuc viribus nitentem in forum deduximus, et incipere a quam maxime facili ac favorabili causa velim, ut catuli ferarum molliore præda saginantur, et non utique ab hoc initio continuare operam, et ingenio adhuc alendo callum inducere, sed jam scientem quid sit pugna, et in quam rem studendum sit, refici atque renovari: sic et tyrocinii metum, dum facilius est audere, transierit; nec audendi facilitatem usque ad contentum operis adduxerit. Usus est et hac ratione M. Tullius; et, cum jam clarum meruisset inter patronos qui tum erant nomen, in Asiam navigavit, sequæ et aliis sine dubio eloquentiæ ac sapientiæ magistris, sed præcipue tamen Apollonio Moloni, quem Romæ quoque audierat, Rhodi rursus formandum, ac velut recoquendum dedit. Tum dignum operæ pretium venit, cum inter se congruunt præcepta et experimenta.

VII. CUM satis in omne certamen virium fecerit, prima ei cura in suscipiendis causis erit; in quibus defendere quidem reos profecto, quam facere, vir bonus malet; non tamen ita nomen ipsum accusatoris horrebit, ut nullo neque publico neque privato duci possit officio, ut aliquem ad reddendam rationem vitæ vocet. Nam et leges ipsæ nihil valent, nisi actoris idonea voce munitæ; et, si pœnas scelerum expetere fas non est, prope est ut scelera ipsa permissa sint; et, licentiam malis dari, certe contra bonos est. Quare neque sociorum querelas, nec amici vel propinqui necem, nec erupturas in rempublicam conspirationes inultas patietur orator; non pœnæ nocentium cupidus, sed emendandi vitia, corrigendique mores. Nam, qui ratione traduci ad meliora non possunt, solo metu

continentur. Itaque, ut accusatoriam vitam vivere, et ad deferendos reos præmio duci, proximum latrocinio est; ita pestem intestinam propulsare, cum propugnatoribus patriæ comparandum. Ideoque principes in republica viri non detrectaverunt hanc officii partem: crediturque sunt etiam clari juvenes obsidem reipublicæ dare malorum civium accusationem, quia nec odisse improbos, nec simultates provocare, nisi ex fiducia bonæ mentis, videbantur: idque cum ab Hortensio, Lucullis, Sulpitio, Cicerone, Cæsare, plurimis aliis, tum ab utroque Catone factum est: quorum alter appellatus est *sapiens*, alter nisi creditur fuisse, vix scio cui reliquerit hujus nominis locum. Neque defendet omnes orator, idemque portum illum eloquentiæ suæ salutarem non etiam piratis patefaciet, duceturque in advocationem maxime causa. Quoniam tamen omnes, qui non improbe litigabunt, quorum certe bona pars est, sustinere non potest unus, aliquid etiam commendantium personis dabit, et ipsorum qui judicio decernent, ut optimi cujusque voluntate moveatur: namque hos et amicissimos habebit vir bonus. Submovendum vero est utrumque ambitus genus, vel potentibus contra humiles venditandi operam suam, vel illud etiam jactantius, minores utique contra dignitatem attollendi. Non enim fortuna causas vel justas vel improbas facit. Neque vero pudor obstet, quo minus susceptam cum melior videretur litem, cognita inter disceptandum iniquitate, dimittat, cum prius litigatori dixerit verum. Nam et in hoc maximum, si æqui judices sumus, beneficium est, ut non fallamus vana spe litigantem. Neque enim est dignus opera patroni, qui non utitur consilio: et certe non convenit ei, quem oratorem esse volumus, injusta tueri scientem. Nam si ex illis quas supra diximus causis falsum tuebitur, erit tamen honestum quod ipse faciet.

Gratisne ei semper agendum sit, tractari potest: quod ex prima statim fronte dijudicare, imprudentium est. Nam quis ignorat, quia id longe sit honestissimum, ac liberalibus disciplinis, et illo quem exigimus animo dignissimum, non vendere operam, nec elevare tanti beneficii auctoritatem? cum pleraque hoc ipso possint videri vilia, quod pretium habent. Cæcis hoc, ut aiunt, satis clarum est; nec quisquam, qui sufficientia sibi (modica autem hæc sunt) possidebit, hunc quæstum sine crimine sordium fecerit. At, si res familiaris amplius aliquid ad usus necessarios exiget, secundum omnes sapientium leges patietur sibi gratiam referri: cum et Socrati collatum sit ad victum; et Zeno, Cleanthes, Chrysippus, mercede

a discipulis acceptaverint. Neque enim video, quæ justior acquirendi ratio, quam ex honestissimo labore, et ab iis, de quibus optime meruerint, quique, si nihil invicem præstent, indigni fuerint defensione. Quod quidem non justum modo, sed necessarium etiam est, cum hæc ipsa opera, tempusque omne alienis negotiis datum, facultatem aliter acquirendi recidant. Sed tum quoque tenendus est modus: ac plurimum refert, et a quo accipiat, et quantum, et quousque. Paciscendi quidem ille piraticus mos, et imponentium periculis prætia procul abominanda negotiatio, etiam a medioeriter improbis aberit: cum præsertim bonos homines bonasque causas tuenti non sit metuendus ingratus: qui si futurus est, malo tamen ille peccet. Nihil ergo acquirere volet orator ultra quam satis erit, ac ne pauper quidem tanquam mercedem accipiet, sed mutua benevolentia utetur, cum sciat se tanto plus præstitisse: quia nec venire hoc beneficium oportet, nec perire. Denique, ut gratus sit, ad eum magis pertinet, qui debet.

VIII. PROXIMA discendæ causæ ratio; quod est orationis fundamentum: neque enim quisquam tam ingenio tenui reperietur, qui, cum omnia quæ sunt in causa diligenter cognoverit, ad docendum certe judicem non sufficiat. Sed ejus rei paucissimis cura est. Nam, ut taceam de negligentibus, quorum nihil refert ubi litium cardo vertatur, dum sint quæ vel extra causam ex personis ac communi tractatu locorum occasionem clamandi largiantur; aliquos et ambitio pervertit, qui partim tanquam occupati, semperque aliud habentes quod agendum sit, pridie ad se venire litigatorem aut eodem matutino jubent, nonnunquam etiam inter ipsa subsellia didicisse se gloriantur; partim jactantia ingenii, ut res cito accepisse videantur, tenere se et intelligere pene priusquam audiant mentili, cum multa et diserte summisque clamoribus, quæ neque ad judicem neque ad litigatorem pertinent, decantaverint, bene sudantes beneque comitati per forum reducantur. Ne illas quidem tulerim delicias eorum, qui doceri amicos suos jubent: quanquam minus mali est, si illi saltem recte discant, recteque doceant. Sed quis discet tam bene, quam patronus? Quomodo autem sequester ille, et media litium manus, et quidam interpret, impendet æquo animo laborem in alienas actiones, cum dicturus ipse non sit. Pessimæ vero consuetudinis, libellis esse contentum, quos componit aut litigator, qui confugit ad patronum quia liti ipse non sufficit, aut aliquis ex eo genere advocatorum, qui se non

posse agere contententur, deinde faciunt id quod est in agendo difficillimum. Nam qui iudicare, quid dicendam, quid dissimulandum, quid declinandum, mutandum, fingendum etiam sit, potest, cur non sit orator, quando quod difficilium est facit? Hi porro non tantum nocerent, si omnia scriberent uti gesta sunt: nunc consilium et colores adjiciunt, et aliqua pejora veris, quæ plerique, cum acceperunt, immutare nefas habent, et velut themata in scholis posita custodiunt: deinde deprehenduntur; et causam, quam discere ex suis litigatoribus noluerunt, ex adversariis discunt.

Liberum igitur demus ante omnia iis, quorum negotium erit, tempus ac locum: exhortemurque ultro, ut omnia quamlibet verbose, et, unde volent, repetito tempore exponant. Non enim tam obest audire supervacua, quam ignorare necessaria. Frequenter autem et vulnus et remedium in iis orator inveniet, quæ litigatori in neutram partem habere momentum videbantur. Nec tanta sit acturo memoriæ fiducia, ut subscribere audita pigeat. Nec semel audisse sit satis; cogendus eadem iterum ac sæpius dicere litigator: non solum quia effugere aliqua prima expositione potuerunt, præsertim hominem (quod sæpe evenit) imperitum, sed etiam ut sciamus an eadem dicat: plurimi enim mentiuntur, et, tanquam non doceant causam, sed agant, non ut cum patrono, sed ut cum iudice, loquuntur: quapropter, nunquam satis credendum est, sed agitandus omnibus modis, et turbandus, et (1) evocandus. Nam, ut medicis non apparentia modo vitia curanda sunt, sed etiam invenienda quæ latent, sæpe ea ipsis qui sanandi sunt occultantibus; ita advocatus plura, quam ostenduntur, aspiciat. Nam, eum satis in audiendo patientiæ impenderit, in aliam rursus ei personam trans-eundum est; agendusque adversarius; proponendum, quidquid omnino excogitari contra potest, quidquid recipit in ejusmodi disceptatione natura: interrogandus quam infestissime, ac premendus. Nam, dum omnia quærimus, aliquando ad verum, ubi minime expectavimus, pervenimus. In summa, optimus est in discendo patronus incredulus: promittit enim litigator omnia, testem populum, paratissimas consignationes, ipsum denique adversarium quædam non negaturum. Ideoque opus est intueri omne litis instrumentum: quod videre non est satis, perlegendum erit. Nam frequentissime aut non

(1) Significat, interrogationibus paulatim eliciendam litigatorem, ut aliquid loquatur sibi ipsi contrarium. *Turn.*

sunt omnino, quæ promittebantur, aut minus continent; aut cum alio aliquo nocituro perinista sunt; aut nimia sunt, et fidem hoc ipso detractura, quod non habent modum: denique (1) linum raptum, aut turbatam ceram, aut sine agnitore signa, frequenter invenies; quæ, nisi domi excusseris, in foro inopinata decipient; plusque nocebunt destituta, quam non promissa nocuissent. Multa etiam, quæ litigator nihil ad causam pertinere crediderit, patronus eruet; modo per omnes, quos tradidimus, argumentorum locos eat: quos ut circumspectare in agendo et attentare singulos minime convenit, propter quas diximus causas, ita etiam in discendo rimari necessarium est, quæ personæ, quæ tempora, quæ loca, instituta, instrumenta, cæteraque; ex quibus non tantum illud quod est artificiale probationis genus colligi possit, sed qui metuendi testes, quo modo sint refellendi. Nam plurimum refert, invidia reus, an odio, an contemptu laboret: quorum fere pars prima superiores, proxima pares, tertia humiliores premit. Sic causam perscrutatus, propositis ante oculos omnibus quæ prosint noceantve, tertiam deinceps personam induat iudicis, fingatque apud se agi causam, et, quod ipsum movisset de eadem re pronuntiaturum, id potentissimum apud quemcunque agetur existimet; et sic eum raro fallent eventus, aut culpa iudicis erit.

IX. QUÆ sint in agendo servanda, toto fere opere execenti sumus: pauca tamen propria hujus loci, quæ non tam dicendi arte quam officiis agendi continentur, attingam. Ante omnia, ne, quod plerisque accidit, ab utilitate eum causæ præsentis cupido laudis abducat. Nam, ut gerentibus bella non semper exercitus per plana et amœna ducendus est, sed adeundi plerumque asperi colles, expugnandæ civitates quamlibet præcisus impositæ montibus, aut operum mole difficiles; ita oratio gaudebit quidem occasione latius decurrendi, et æquo congressa campo totas vires populariter explicabit: at si juris anfractus, aut eruendæ veritatis latebras, adire cogetur, non obequitabit, nec illis vibrantibus concitatisque sententiis velut missilibus utetur; sed operibus, et cuniculis, et insidiis, et occultis artibus rem geret. Quæ omnia non, dum fiunt, laudantur, sed cum facta sunt; unde etiam cupidus minus opinionis plus fructus venit: nam, cum

(1) Consuetudo erat, ut ait Paulus, (5, 25, 5) ut instrumenta triplicato lino trajicerentur, cui signaculum ex cera imponebatur. Eo alludit Fabius. *Turn.* Sine agnitore signa vocat, cum nemo ex testibus signum suum agnoscit. *Salm.*

illa dicendi vitiosa jactatio inter plausores suos detonuit, resurgit veræ virtutis fortior fama: nec judices a quo sint moti dissimulant; et doctis creditur; nec est orationis vera laus, nisi cum finita est. Veteribus quidem etiam dissimulare eloquentiam fuit moris; idque M. Antonius præcipit; quo plus dicentibus fidei, minusque suspectæ advocatorum insidiæ forent. Sed illa dissimulari, quæ tum erat, potuit: nondum enim tantum dicendi lumen accesserat, ut etiam per obstantia erumperet. Quare artes quidem et consilia lateant, et quidquid si deprehenditur perit; hactenus eloquentia secretum habet: verborum quidem delectus, gravitas sententiarum, figurarum elegantia, aut non sunt, aut apparent; sed vel propter hoc ipsam ostentanda non sunt, quod apparent: aut, si unum e duobus eligendum, causa potius laudetur, quam patronus. Finem tamen hunc præstabit orator, ut videatur optimam causam optime egisse: illud certum erit, neminem pejus agere, quam qui displicente causa placet; necesse est enim, extra causam sit quod placet.

Nec illo fastidio laborabit orator, non agendi causas minores, tanquam infra eum sint, aut detractura sit opinioni minus liberalis materia: nam et suscipiendi ratio justissima est, officium; optandum etiam, ut amici quam minimas lites habeant: et abunde dixit bene, quisquis rei satis fecit. At quidam, etiam si forte susceperint negotia paulum ad dicendum tenuiora, extrinsecus adductis ea rebus circumliniunt: ac, si defecerint alia, conviciis implent vacua causarum, si contingit, veris; si minus, fictis, modo sit materia ingenii, mereaturque clamorem dum dicitur. Quod ego adeo longe puto ab oratore perfecto, ut eum ne vera quidem objecturum, nisi id causa exigit, credam. Ea est enim prorsus (1) *canina*, ut ait Appius, *eloquentia, cognituram male dicendi subire*: quod facientibus etiam male audiendi præsumenda patientia est; nam et in ipsos fit impetus frequenter qui egerunt, et certe patroni petulantiam litigator luit. Sed hæc minora sunt ipso illo vitio animi, quo maledicus a malefico non distat, nisi occasione. Turpis voluptas, et inhumana, et nulli audientium bono grata, a litigatoribus quidem frequenter exigitur, qui ultionem malunt quam defensionem. Sed neque alia multa ad arbitrium eorum facienda sunt. Hoc quidem quis hominum liberi modo sanguinis susti-

(1) Nonius Marcellus in dictione *Rabula* citat ex Sallustio hunc locum; *Canina*, ut ait Appius, *facundia exercebatur*. Turn. Mox *cognituram* ex Goth. Jens. Argent. &c. restitimus. *Censuram* ediderunt qui verbum illud solenne juris Romani non intelligebant. O.

neat, petulans esse ad alterius arbitrium? Atqui etiam in advocatos partis adversæ libenter nonnulli invehuntur: quod, nisi si forte meruerunt, et inhumanum est respectu communium officiorum, et cum ipsi qui dicit inutile, (nam idem juris responsuris datur) tum causæ contrarium, quia plane et adversarii fiunt, et inimici; et, quantumcumque his virium est, contumelia augetur. Super omnia perit illa, quæ plurimum oratori et auctoritatis et fidei affert, modestia, si a viro bono in rabulam latratoremque convertitur, compositus non ad animum iudicis, sed ad stomachum litigatoris. Frequenter etiam species libertatis deducere ad temeritatem solet, non causis modo, sed ipsis quoque qui dixerunt, periculosam: nec immerito Pericles solebat optare, ne quod sibi verbum in mentem veniret, quo populus offenderetur. Sed, quod ille de populo, id ego de omnibus sentio, qui tantumdem possunt nocere: nam, quæ fortia dum dicuntur videbantur, stulta cum læserint vocantur.

Nunc, quia varium fere propositum agentium fuit, et quorundam cura tarditatis, quorundam facilitas temeritatis crimine laboravit, quem credam fore in hoc oratoris modum, tradere non alienum videtur. Affret ad dicendum curæ semper quantum plurimum poterit: neque enim solum negligentis, sed mali, et in suscepta causa perfidi ac proditoris est, pejus agere quam possit; ideoque ne suscipiendæ quidem sunt causæ plures, quam quibus suffecturum se sciat. Dicit scripta, quum res patitur, plurima; et, ut Demosthenes ait, si continget, et sculpta: sed hoc aut (1) primæ actiones, aut quæ in publicis judiciis post interjectos dies dantur, permiserint; at cum protinus respondendum est, omnia parari non possunt: adeo ut paulo minus promptis etiam noceat scripsisse, si alia ex diverso, quam opinati fuerant, occurrerint. In viti enim recedunt a præparatis; et tota actione respiciunt; requiruntque, num aliquid ex illis intervelli, atque ex tempore dicendis inseri, possit: quod si fiat, non cohæret, nec commissuris modo, ut in opere male juncto, hiantibus, sed ipsa coloris inæqualitate, detegitur. (2) Ita nec liber est impetus, nec cura contexta; et utrumque alteri obstat: illa enim, quæ scripta sunt, retinent animum, non sequuntur. Itaque in his actionibus *omni*, ut

(1) Prima actio est primum iudicium, quo causa agitur. Quod subnecit continuo Fabius, pertinet ad ampliationem et *comperendinationem*, cuius scilicet causa differtur, ut post aliquot dies denuo agatur. *Turn.*

(2) Ita nec liber est impetus, in his quæ dicuntur ex tempore, nec cura contexta, in his quæ scripta memoriter recitant.

agricolæ dicunt, *pede standum est*: nam, cum in propositione ac refutatione causa consistat, quæ nostræ partis sunt, scripta esse possunt; quæ etiam responsurum adversarium certum est, (est enim aliquando certum) pari cura refelluntur: ad alia unum paratum afferre possumus, ut causam bene noverimus; alterum ibi sumere, ut dicentem adversarium diligenter audiamus. Licet tamen præcogitare plura; et animum ad omnes casus componere: idque est tutius stylo, quo facilius et omittitur cogitatio, et transfertur. Sed sive in respondendo fuerit subito dicendum, sive quæ alia ita exegerit ratio, nunquam oppressum se ac deprehensum credet orator, cui disciplina, et studium, et exercitatio dederit vires etiam facilitatis; quemque armatum semper, ac velut in procinctu stantem, non magis unquam in causis oratio, quam in rebus quotidianis ac domesticis sermo deficiet: nec se unquam propter hoc oneri subtrahet, modo sit causæ discendæ tempus; nam cætera semper sciet.

X. SUPEREST, ut dicam *de genere orationis*. Hic erat propositus a nobis in divisione prima locus tertius: nam ita promiseram, me de *arte*, de *artifice*, de *opere* dicturum. Cum sit autem rhetorices atque oratoris opus oratio, pluresque ejus formæ, sicut ostendam, in omnibus his et ars est, et artifex: plurimum tamen invicem differunt; nec solum specie, ut signum signo, et tabula tabulæ, et actioni actio, sed genere ipso, ut a Græcis Tuscanicæ statuæ, et Asianus eloquens Attico. Suos autem hæc operum genera, quæ dico, ut auctores, sic etiam amatores habent: atque ideo nondum est perfectus orator, ac nescio an ars ulla, non solum quia aliud in alio magis eminet, sed quod non una omnibus forma placuit, partim conditione vel temporum vel locorum, partim iudicio cujusque atque proposito.

Primi, (1) quorum quidem opera non vetustatis modo gratia visenda sunt, clari pictores fuisse dicuntur Polygnotus atque Aglaophon: quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa prope rudia, ac velut futurae mox artis primordia, maximis qui post eos extiterunt auctoribus præferantur, proprio quodam intelligendi (ut mea fert opinio) ambitu. Post Zeuxis atque Parrhasius, non multum ætate distantes, (circa Peloponnesia ambo tempora; nam cum Parrhasio sermo Socratis apud Xen-

(1) Optime de hac re Plinius libb. 34 et 35. et ex recentioribus Franciscus Junius Fr. F. de Pictura Vet. Vide et David. Durandi Gallicam ex Plinio picturæ historiam. Quædam vero alia, speramus, Anglice mox suppeditabit amicus noster elegantissimus, O.

ophontem invenitur) plurimum arti addiderunt: quorum prior luminum umbrarumque invenisse rationem, secundus examinasse subtilius lineas traditur. Nam Zeuxis plus membris corporis dedit; id amplius atque augustius ratus, atque (ut existimant) Homerum secutus, cui validissima quæque forma etiam in feminis placet: ille vero ita circumscripsit omnia, ut cum *legum lutores* vocent, quia decorum atque heroum effigies, quales ab eo sunt traditæ, cæteri, tanquam ita necesse sit, sequuntur. Floruit autem circa Philippum, et usque ad successores Alexandri, pictura præcipue; sed diversis virtutibus: nam cura Protogenes, ratione Pamphilus ac Melanthius, facilitate Antiphilus, concipiendis visionibus, quas *φαντασιαι* vocant, Theon Samius, ingenio et gratia, quam ipse in se maxime jaecat, Apelles est præstantissimus. Euphranorem admirandum facit, quod et cæteris optimis studiis inter præcipuos, et pingendi fingendique idem mirus artifex fuit.

Similis in status differentia: nam duriora, et Tuscenicis proxima, Calon atque (1) Hegesias; jam minus rigida Calamis; molliora adhuc supra dictis Myron fecit. Diligentia ac decor in Polycleto supra cæteros: cui quamquam a plerisque tribuitur palma, tamen, ne nihil detraheretur, deesse pondus putant. Nam, ut humanæ formæ decorem addiderit supra verum, ita non explevisse decorum auctoritatem videtur. Quin ætatem quoque gravorem dicitur refugisse, nihil ausus ultra læves genas. At, quæ Polycleto defuerunt, Phidiæ atque Alcameni dantur. Phidiæ tamen diis quam hominibus efficiendis melior artifex traditur; in ebore vero longe citra æmulum, vel si nihil nisi Minervam Athenis, aut Olympium in Elide Jovem fecisset, cujus pulcritudo adjecisse aliquid etiam receptæ religioni videtur; adeo majestas operis deum æquavit. Ad veritatem Lysippum et Praxitelem accessisse optime affirmant: nam Demetrius tanquam nimius in ea reprehenditur; et fuit similitudinis quam pulchritudinis amantior.

In oratione vero si species intueri velis, totidem pene reperias ingeniorum quot corporum formas. Sed fuere quædam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam jam vim ingenii præ se ferentia: hinc sunt Lælii, Africani, Catones, Gracchique; quos tu licet

(1) Aspirationem huic nomini præponi curavimus: est enim ab ἡγεσμαι. Hegias conj. Brouckhus. ad Prop. 3, 7, 10. Sed illud ipsum videtur esse hujus compendium. O.

Polygnotos vel Calonas appelles. Mediam illam fornam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium tempore oratorum ingens proventus: hinc vim Cæsaris, indolem Cœlii, subtilitatem Callidii, gravitatem Bruti, acumen Sulpitii, acerbiter Cassii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sanctitatem Calvi reperiemus: in his etiam, quos ipsi vidimus, copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri, jucunditatem Crispi, sonum Trachæli, elegantiam Secundi. At M. Tullium non illum habemus Euphranorem circa plurimum artium species præstantem, sed in omnibus quæ in quoque laudantur eminentissimum. Quem tamen et suorum homines temporum incessere audebant, ut tumidiorem, et Asianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in salibus aliquando frigidum, et in compositione fractum, exultantem, ac pene, quod procul absit, viro molliorem: postea vero quam triumvirali proscriptione consumtus est, passim qui oderant, qui invidebant, qui æmulabantur, adulatores etiam præsentis potentiæ, non responsurum invaserunt. Ille tamen, qui jejunus a quibusdam atque aridus habebatur, non aliter ab ipsis inimicis male audire, quam nimis floribus et ingenii affluentia, potuit. Falsum utrumque; sed tamen illa mentiendi propior occasio. Præcipue vero presserunt eum, qui videri Atticorum imitatores concupierant. Hæc manus, quasi quibusdam sacris initiata, ut alienigenam, et parum superstitiosum devinctumque illis eorum legibus, insequeretur. Unde nunc quoque aridi, et exsuccii, et exsanguis, (hi sunt enim qui suæ imbecillitati sanitatis appellationem, quæ est maxime contraria, obtendant) quia clariorem vim eloquentiæ, velut solem, ferre non possunt, umbra magni nominis delitescunt: quibus quia multa et pluribus locis Cicero ipse respondit, tutior mihi de hoc disserenti brevis erit.

Et antiqua quidem illa divisio inter *Asianos* atque *Atticos* fuit; cum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur; in his nihil superflueret, illis iudicium maxime ac modus deesset. Quod quidam, quorum et Santra est, hoc putant accidisse; quod, paulatim sermone Græco in proximas Asiæ civitates influente, nondum satis periti loquendi faciendam concupierint, ideoque ea, quæ proprie signari poterant, circuitu cœperint enuntiare, ac deinde in eo perseverarint. Mihi autem orationis differentiam fecisse et dicentium et audientium naturæ videntur: quod Attici, limati quidem et emuncti, nihil inane aut redundans ferebant; Asiana gens, tumidior alioqui et jac-

tantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata est. Tertium mox, qui hæc dividebant, adjecerunt genus, *Rhodium*; quod velut medium esse, atque ex utroque mistum, voluit: neque enim Attice pressi, neque Asiæ sunt abundantes, ut aliquid habere videantur gentis, aliquid auctoris: Æschines enim, qui hunc exilio delegerat locum, intulit eo studia Athenarum, quæ, velut sata quædam cælo terraque degenerant, saporem illum Atticum peregrino miscuerunt. Lenti ergo quidam ac remissi, non sine pondere tamen, neque fontibus puris, neque torrentibus turbidis, sed lenibus stagnis, similes habentur. Nemo igitur dubitaverit, longe esse optimum genus Atticorum: in quo ut est aliquid inter ipsos commune, id est, iudicium acre, tersumque; ita ingeniorum plurimæ formæ. Quapropter mihi falli multum videntur, qui solos esse Atticos credunt tenues, et lucidos, et significantes, sed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac semper (1) manum intra pallium continentes. Nam quis erit hic Atticus? sit Lysias: hunc enim amplectuntur amatores istius nominis modum: non igitur jam usque ad (2) Coccum et Andocidem remitemur? Interrogare tamen velim, an Isocrates Attice dixerit? nihil enim tam est Lysiæ diversum: negabunt: at ejus schola principes oratorum dedit. Quærat simul aliquid: Hyperides Atticus? certe: at plus indulsit voluptati. Transeo plurimos, Lycurgum, Aristogitona, et, his priores, Isæum, Antiphontem: quos ut homines inter se genere similes, differentes dixeris specie. Quid ille, cujus modo fecimus mentionem, Æschines? nonne his latior, et audentior, et excelsior? Quid denique Demosthenes? non cunctos illos tenues et circumspectos, sublimitate, vi, impetu, cultu, compositione superavit? non insurgit locis? non figuris gaudet? non translationibus nitet? non oratione ficta dat tacentibus vocem? non illud jusjurandum, per cæsos in Marathone ac Salamine propugnatores reipublicæ, satis manifesto docet, præceptorem ejus Platonem fuisse? Quem ipsum num Asianum appellabimus, plerumque instinctis divino spiritu vatibus comparandum? Quid Periclea? similemne credemus Lysiacæ gracilitati, quem fulminibus et cælesti

(1) Sic proverbialiter est locutus de illis qui lenti sunt et remissi, ac sedata utuntur oratione. Nam oratores qui utuntur contentione, brachium solent exercere atque vibrare. *Turn.*

(2) *Andocides* numeratur a Plutarcho inter decem oratores Athenienses. De *Cocco* nihil ille scribit: tantum Suidas ait, hunc fuisse Isocratis discipulum, et oratorem Atheniensem, qui quasdam orationes reliquerit. Videtur autem significare Andocidem et Coccum tenuiores fuisse Lysia. *Turn.*

fragori comparant comici, dum illi conviciantur? Quid est igitur, quod in iis demum, qui tenui venula per calculos fluunt, Atticum saporem putent? ibi demum (1) thymum redolere dicant? Quos ego existimo, si quod in his finibus uberius invenerint solam, fertilioremve segetem, negaturos Atticam esse, quod plus quam acceperit seminis reddat, quia (2) hanc ejus terræ *fidem* Menander eludit. Itaque, si quis nunc, ad eas Demosthenis virtutes, quas ille summus orator (3) non habuit, tamen quæ defuisse ei sive ipsius natura sive lege civitatis videntur, adjecerit, ut affectus concitatus moveat, audiam dicentem, *Non fecit hoc Demosthenes?* et, si quid exierit numeris aptius; fortasse non possit; sed tamen si quid exierit, non erit Atticum? Melius de hoc nomine sentiant, credantque *Attice* dicere, esse *optime* dicere. Atque in hac tamen opinione perseverantes Græcos magis tulerim. Latina mihi facundia, ut inventionem, dispositionem, consilio, cæterisque hujus generis artibus similis Græcæ, ac prorsus discipula ejus videtur, ita circa rationem eloquendi vix habere imitationis locum. Namque ipsi est statim sonus durior; quando et jucundissimas ex Græcis literas non habemus, vocalem alteram, alteram consonantem, quibus nullæ apud eos dulcius spirant: quas mutuari solemus, quoties illorum nominibus utimur: quod cum contingit, nescio quo modo velut hilarior protinus renidet oratio; ut in *Zephyris* et *Zopyris*; quæ, si nostris literis scribantur, sardum quiddam et barbarum efficiunt, et velut in locum earum succedent tristes et horridæ, quibus Græcia caret. Nam et illa, quæ sexta est nostrarum, pene non humana voce, vel omnino non voce potius, inter discrimina dentium efflanda est; quæ, etiam cum vocalem proximam accipit, quassa quodammodo, utique quoties aliquam consonantium frangit, ut in hoc ipso *frangit*, multo fit horridior. Æolicæ (4) quoque literæ, qua *servum cærcumque* dicimus etiam si forma a nobis repudiata est, vis tamen nos ipsa persequitur. Duras et illa syllabas facit, quæ ad jungendas demum subjectas sibi vocales est utilis, alias supervacua; ut *equos, æque, quum*,

(1) Hoc dictum est, quia in Hymetto, monte Atticæ, copia est præstantissimi mellis. *Turn.*

(2) Menander jocosus videtur in fidem terræ Atticæ, quæ depositum cum fide, licet non cum *senore*, reddat. *Gesner.*

(3) Istud non haud frustra inseruisse videtur: Si quis ad eas D. virtutes (supra recitatas) alias quoque quas ille non habuit adjecerit &c. O.

(4) Claudius Cæsar Imperator literis adjecerat *digamma Æolicum* (sic dictum, quia ejus figura duplicata gamma reddit F) quod tamen, ut meminit Priscianus, est repudiatum. *Turn.*

scribimus; cum ipsæ etiam vocales duæ efficiant sonum, qualis apud Græcos nullus est, ideoque scribi illorum literis non potest. Quid? quod pleraque nos illa quasi mugiente litera eludimus *M*, qua nullum Græcæ verbum cadit? At illi *N* jucundam, et in fine præcipue quasi tinientem, illius loco ponunt, quæ est apud nos rarissima in clausulis. Quid? quod syllabæ nostræ in *B* literam et *D* innituntur adeo aspere, ut plerique, non antiquissimorum quidem, sed tamen veterum, mollire tentaverint, non solum *aversa* pro *adversis* dicendo, sed et in præpositione *B* literæ absonam et ipsam (1) *S* subjiciendo? Sed (2) accentus quoque cum rigore quodam, tum similitudine ipsa, minus suaves habemus; quia ultima syllaba nec acuta unquam excitatur, nec flexa circumducitur, sed in gravem, vel duas graves, cadit semper. Itaque tanto est sermo Græcus Latino jucundior, ut nostri poetæ, quoties dulce carmen esse voverunt, illorum id nominibus exornent. His illa potentiora, quod res plurimæ carent appellationibus, ut eas necesse sit (3) transferre, aut circumire: etiam in iis, quæ denominata sunt, summa paupertas in eadem nos frequentissime revolvit; at illis non verborum modo, sed linguarum etiam inter se differentium, copia est. Quare, qui a Latinis exigit illam gratiam sermonis Attici, det mihi in loquendo eandem jucunditatem, et parem copiam. Quod si regatum est, sententias aptabimus iis vocibus quas habemus, nec rerum nimiam tenuitatem, ut non dicam pinguioribus, fortioribus certe verbis miscebimus, ne virtus utraque pereat ipsa confusione. Nam, quo minus adjuvat sermo, rerum inventionem pugnandum est: sensus sublimes varique eruantur: permovendi omnes affectus erunt: oratio translationum nitore illuminanda. Non possumus esse tam graciles? simus fortiores? subtilitate vincimur? valeamus pondere? proprietates perbes illos est certior? copia vincamus? ingenia Græcorum etiam minora suos portus habent? nos plerumque majoribus velis moveamur; validior spiritus sinus nostros tendat. Non tamen alto semper feremur; nam et litora interim sequenda sunt. Illis facilis

(1) Scilicet in præpositione *abs*, quod in compositis hodie retinetur apud nos. Equid facilius? locus tamen a Gesnero aliisque vexatus. *O*.

(2) *Accentus* est certa lex et regula ad elevandam aut deprinendam in pronuntiatione syllabam. Triplex est. *Acutus* ideo inventus est, quod acuat sive elevet syllabam. *Gravis* ideo, quod deprimat aut deponat. *Circumflexus*, eo quod deprimat atque acuat. In unaquaque parte orationis *ἀγρῆς* et *θεῶν* sunt. Ut in hac voce, *natura*, quando dico *natu*, elevatur vox, et est *ἀγρῆς* in *tu*: quando vero, *ra*, deprimitur vox, et est *θεῶν*. Priscian.

(3) Translatione seu metaphora, aut circuitu seu periphrasi significare.

per quælibet vada accessus; ego aliquid, non multo tamen alius, in quo mea cymba non sidat, inveniam. Neque enim, si tenuiora hæc ac pressiora Græci melius, in eoque vincimur solo, et ideo in comœdiis non contendimus, prorsus tamen omittenda pars hæc orationis, sed exigenda, ut optime possumus: possumus autem rerum et modo et iudicio esse similes; (1) verborum gratia, in quantum ipsi non habemus, extrinsecus conducenda est. An non in privatis et acutus, et non asper, et non indistinctus, et non supra modum elatus M. Tullius? non in M. Callidio insignis hæc virtus? non Scipio, Lælius, Cato, in eloquendo velut Attici Romanorum fuerunt? Cui porro non satis est, quo melius esse nihil potest?

Ad hoc, quidam nullam esse naturalem putant eloquentiam, nisi quæ sit quotidiano sermone simillima, quo cum amicis, conjugibus, liberis, servis loquimur, contenti promere animi voluntatem, nihilque arcessiti et elaborati requirentes: quiddid huc sit adjectum, id esse affectationis, et ambitiosæ in loquendo jactantiæ, remotum veritate, fictumque ipsorum gratia verborum, quibus solum a natura sit officium attributum, servire sensibus: sicut athletarum corpora, etiam si validiora fiant exercitatione, et lege quadam ciborum, non tamen esse naturalia, atque ab illa specie, quæ sit concessa hominibus, abhorrere. Quid enim, inquirunt, attinet circuitu res ostendere, et translationibus, id est, aut pluribus aut minus verbis, cum sua cuique sint assignata nomina? Denique, antiquissimum quemque maxime secundum naturam dixisse contendunt, mox poetis similiores extitisse, etiam si parcius, simili tamen ratione falsa et impropria virtutes (2) utique ducentes. Qua in disputatione nonnihil veri est, ideoque non tam procul, quam fit a quibusdam, recedendum a propriis atque communibus. Si quis tamen, ut in illo loco dixi compositionis, ad necessaria, quibus nihil minus est, aliquid melius adjecerit, non erit hac calumnia reprehendendus. Nam mihi aliam quandam videtur habere naturam sermo vulgaris, aliam viri eloquentis oratio: cui si res indicare modo satis esset, nihil ultra ver-

(1) *Verborum gratia, quam in ipsis scilicet verbis non habemus, (nisi forte legendum sit, quam ipsi non habemus) aliis ornamentis extrinsecus petitis concludenda est et compensanda. R. Locus certe depravatus: nos, probante Gesnero, conducenda ex concludenda et concludenda reposuimus. Verborum utique gratiam, in quantum ipsi non habemus, extrinsecus et ab aliis mutuari solemus, ut jam de literis dixerat. O.*

(2) *Virtutum loco habentes. Quædam scilicet figuræ essent vitia, si non peterentur, sed acciderent, ut ipse ait Fabius. R. Imo, omnis figura esset vitium, ait Fabius l. c. si non peteretur &c. O.*

borum proprietatem elaboraret; sed, cum debeat delectare, movere, in plurimas animum audientis species impellere, utetur iis quoque adjutoriis, quæ ab eadem sunt nobis concessa natura. Nam et lacertos exercitatione constringere, et augere vires, et colorem trahere, naturale est. Ideoque in omnibus gentibus alius alio facundior habetur, et eloquendo dulcis magis. Quod si non eveniret, omnes pares essent, et idem omnes deceret. At loquuntur, et servant personarum discrimen; ita quo quisque plus efficit dicendo, hoc magis secundum naturæ eloquentiam dicit. Quapropter ne illis quidem ninivum repugno, qui dandum putant nonnihil esse temporibus atque auribus, nitidius aliquid atque (1) effectius postulantis. Itaque non solum ad priores Catone Gracchisque, sed ne ad hos quidem oratorem affigendum puto. Atque id fecisse M. Tullium video, ut, cum omnia utilitati, tum partem quandam delectationi daret, cum et ipsam se rem agere diceret (agebat autem maxime) litigatoris. Nam hoc ipso proderat, quod placebat. Ad cujus voluptates nihil equidem quod addi possit invenio, nisi ut sensus nos quidem dicamus plures. Neque enim fieri potest salva tractatione causæ, et dicendi auctoritate, si crebra hæc lumina et continua fuerint, ut non invicem offecerint. Sed me hactenus cedentem nemo insequatur ultra: do tempori, ne crassa toga sit; non serica: ne intonsum caput; non in gradus atque annulos totum contum: cum in eo, qui se non ad luxuriam ac libidinem referat, eadem speciosiora quoque sint, quæ honestiora. Cæterum hoc quod vulgo *sententias* vocamus (veteribus præcipueque Græcis in usu non fuit, apud Ciceronem invenio) dum rem contineant, et copia non redundent, et ad victoriam spectent, quis utile neget? Feriunt animum, et uno ictu frequenter impellunt, et ipsa brevitate magis hærent, et dictione persuadent. Ac sunt qui hæc excitatiora lumina, etiam si dicere permittant, a componendis tamen orationibus excludenda arbitrentur. Quocirca mihi ne hic quidem locus intactus est omittendus, quod plures eruditorum aliam esse dicendi rationem, aliam scribendi putaverant; ideoque in agendo clarissimos quosdam nihil posteritati mansurisque post se literis reliquissos, ut Periclem, et Demadem; rursus alios, ad componendum optimos, actionibus idoneos non fuisse, ut Isocratem: præterea in agendo plus impetum posse ple-

(1) Ita Goth. *pulcre!* ut recte admirans ait Gesnerus: *affectius et affectatius* al. utrumque vitiosum; sed legi poterat *efficacius*. Auctoritas vero Goth. sævis firma est: et placet verbi elegantia. O.

rumque, et petitas vel paulo licentius voluptates; commovendos enim esse, ducendosque animos imperitorum: at quod libris dedicatur, et in exemplum editur, tersum ac limatum, et ad legem ac regulam compositum esse oportere, quia veniat in manus doctorum, et iudices artis habeat artifices. Quin illi subtiles, ut sibimet ac multis persuaserunt, magistri, παράδειγμα dicendo, ἐνθύμημα scribendo, esse aptius tradiderunt. Mihi unum atque idem videtur bene dicere, ac bene scribere: neque aliud esse oratio scripta, quam monumentum actionis habitæ. Itaque nullas non, ut opinor, debet habere virtutes: non dico nulla vitia; nam imperitis placere aliquando quæ vitiosa sunt scio. Quo different igitur? quod, si mihi des concilium iudicum sapientum, perquam multa recidam ex orationibus non Ciceronis modo, sed etiam ejus qui est strictior multo, Demosthenis: neque enim affectus omnino movendi erunt, nec aures delectatione mulcendæ, cum etiam præcæmia supervacua esse apud tales Aristoteles existimet: non enim trahentur his illi sapientes; proprie et significanter rem indicare, probatione colligere, satis est: cum vero iudex detur aut populus, aut ex populo, latrique sententiam indocti sapius, atque interim rustici; omnia quæ ad obtinendum, quod intendimus, prodesse credemus, adhibenda sunt; eaque, et cum dicimus, et cum scribimus; ut doceamus, quo modo scribi et dici oporteat. An Demosthenes male sic egisset ut scripsit? aut Cicero? aut eos præstantissimos oratores alio quam scriptis cognoscimus? Melius egerunt igitur, an pejus? nam si pejus, sic oportuit dici ut scripserunt: si melius, sic oportuit scribi ut dixerunt. Quid ergo? semper sic ager orator ut scribit? si licebit, semper: quod si impediant brevitatem tempora a iudice data, multum ex eo quod potuit dici recidetur; editio habebit omnia. Quæ autem secundum naturam judicantium dicta sunt, non ita posteris tradentur, ne videantur propositi fuisse, non temporis. Nam id quoque plurimum refert, quo modo iudex audire velit: atque ei vultus sæpe ipse (1) regendus est dicentis, ut Cicero præcipit. Ideoque instandum iis, quæ placere intellexeris; resiliendum ab iis, quæ non recipiuntur: sermo ipse, qui facile iudicem doceat, optandus. Nec id mirum sit, cum etiam testium personis aliqua mutantur. Prudenter enim, qui cum interrogasset rusticum testem, an Amphiona nosset? negante eo, de-

(1) Ita leg. ex compendio *regendus*; unde pr. editt. *rectus*: tum, qui sensum ejus verbi pene nullum esse viderant, in *rector* mutare cœperunt. O.

trahit aspirationem, breviauitque secundam ejus nominis syllabam, et ille cum sic optime norat! Hujusmodi casus efficiunt, ut aliquando dicatur aliter quam scribitur, cum dicere quo modo scribendum est non licet.

Altera est divisio, quæ in tres et ipsa discedit, qua discerni posse etiam recte dicendi genera inter se videntur. Namque unum subtile, quod *ισχυρόν* vocant, alterum grande atque robustum, quod constituunt *ἀδρόν*, tertium alii medium ex duobus, alii floridum, namque id *ἀνδρόν* appellant, addiderunt: quorum tamen ea fere ratio est, ut primum docendi, secundum movendi, tertium illud, utroque nomine, delectandi, sive aliter conciliandi, præstare videatur officium. In docendo autem acumen, in conciliando lenitas, in movendo gravitas videtur. Itaque illo subtili præcipue ratio narrandi probandique consistet; sed quod, etiam detractis cæteris virtutibus, suo genere plenum sit. Medius hic et translationibus crebrior, et figuris erit jucundior, egressionibus amœnus, compositione aptus, sententiis dulcis, lenior tamen; ut amnis lucidus quidam et virentibus utrinque sylvis inumbratus. At ille, qui saxa devolvat, et pontem indignetur, et ripas sibi faciat, multus et torrens, judicem vel nitentem contra feret, cogetque ire qua rapit. Hic orator et defunctos excitabit, ut Appium Cæcū: apud hunc et patria ipsa exclamabit, aliquandoque, ut Ciceronem in oratione contra Catilinam in Senatu, alloquetur. Hic et amplificationibus extollet orationem, et vi superlationum quoque eriget:—Quæ charybdis tam vorax:—et,—Oceanus medius-fidius ipse.—Nota sunt enim jam studiosis hæc lumina. Hic deos ipsos in congressum prope suum sermonemque deducet:—Vos enim Albani tumuli, atque luci; vos, inquam, Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Romani sociæ et æquales.—Hic iram, hic misericordiam inspirabit; hic dicet,—Te vidit, et flevit, et appellavit:—(1) et per omnes affectus tractatus judex huc atque illuc sequetur, nec doceri desiderabit. Quare, si ex tribus his generibus necessario sit eligendum unum, quis dubitet hoc præferre omnibus, et validissimum alioqui, et maximis quibusque causis accommodatissimum? Nam et Homerus brevem quidem cum animi jucunditate, et propriam, (id enim est non errare verbis) et carentem supervacuis eloquentiam Menelao dedit, quæ sunt virtutes generis illius primi; et ex ore Nestoris dixit dulciorem melle

(1) Procul dubio subest hic aliquod mendum. Argent. edit. habet, et per omnes affectus auditor huc atque illuc sequetur, nec doceri desiderabit.

profluere sermonem, qua certe delectatione nihil fingi majus potest: sed summam aggressus, ut in Ulysse, facundiam, magnitudinem illi junxit, cui orationem nivibus hibernis et copia verborum atque impetu parem tribuit. Cum hoc igitur nemo mortalium contendet: hunc ut deum homines intuebuntur: hanc vim et celeritatem in Pericle miratur Eupolis: hanc fulminibus Aristophanes comparat: hæc est vera dicendi facultas. Sed neque his tribus quasi formis inclusa eloquentia est: nam, ut inter gracile validumque tertium aliquid constitutum est; ita horum intervalla sunt. Atque inter hæc ipsa mistum quiddam ex duobus medium est: quorum, et subtili plenius aliquid atque subtilius, et vehementi remissius atque vehementius invenitur; ut illud lene aut ascendit ad fortiora, aut ad tenuiora submittitur: ac sic prope innumerabiles species reperiuntur, quæ utique aliquo momento inter se differant; sicut quatuor generaliter ventos a totidem mundi cardinibus accepimus flare, cum interim plurimi medii, et eorum varii etiam, regionum ac fluminum proprietate, deprehendantur. Eademque musicis ratio est, qui cum in cithara quinque constituerunt sonos, plurima deinde varietate complent spatia illa nervorum, atque iis, quos interposuerunt, inserunt alios, ut pauci illi transitus multos *gradus* habeant. Plures igitur etiam eloquentiæ facies: sed stultissimum quærere ad quam recturus se sit orator, cum omnis species, quæ modo recta est, habeat usum, atque id ipsum omne sit oratoris, quod vulgo *genus dicendi* vocant. Utetur enim, ut res exiget, omnibus: nec pro causa modo, sed et pro partibus causæ. Nam, ut non eodem modo pro reo capitis, et in certamine hæreditatis, et de interdictis ac sponsionibus, et de certa re credita dicet; sententiarum in senatu, et concionum, et privatorum consiliorum servabit discrimina; vitam ex differentia personarum, locorum, temporumque mutabit; ita in eadem oratione aliter conciliabit: non ex iisdem partibus iram et misericordiam petet; alias ad docendum, alias ad movendum adhibebit artes. Non unus color procemii, narrationis, argumentorum, egressionis, perorationis, servabitur. Dicet idem graviter, severe, acriter, vehementer, concitate, copiose, amare, comiter, remisse, subtiliter, blande, leniter, dulciter, breviter, urbane; non ubique simul, sed ubicunque par sit. Sic fiet, cum id, propter quod maxime repertus est usus orationis, ut dicat *et* utiliter, et, ad efficiendum quod intendit, potenter; tum laudem quoque, nec doctorum modo, sed etiam vulgi, consequatur. Falluntur enim plurimum, qui vitiosum et

corruptum dicendi genus, quod aut verborum licentia resultat, aut puerilibus sententiolis lascivit, aut immodico tumore turgescit, aut inanibus locis bacchatur, aut casuris, si leviter excutiantur, flosculis nitet, aut præcipitia pro sublimibus habet, aut specie libertatis insanit, magis existiment popolare atque plausibile. Quod quidem placere multis, nec infitior, nec miror: est enim jucunda (1) auribus, ac favorabilis, qualiscunque eloquentia; et ducit animos naturali voluptate vox omnis, neque aliunde illi per fora atque aggerem circuli. Quo minus mirum est, quod nulli non agentium parata vulgi corona est: ubi vero quid exquisitius dictum accidit auribus imperitorum, qualecunque id, quod modo se ipsi posse desperent, habet admirationem: neque immerito; nam ne illud quidem facile est. Sed evanescent hæc atque emoriuntur comparatione meliorum:

Ut lana tincta fuco citra puram placet;
At, si contuleris etiam Lacæna,
Conspectu melioris obruatur,

ut Ovidius ait. Si vero iudicium his corruptis acrius adhibeas, ut (2) buccini purpuram, jam illud, quod fefellerat, exuat mentitum colorem, et quadam vix enarrabili fæditate pallescat. Luceat igitur hæc citra solem, ut et quædam exigua animalia igniculi videntur in tenebris. Denique, mala multi probant, nemo improbat bona. Neque vero omnia ista, de quibus locuti sumus, orator optime tantum, sed etiam facillime faciet: neque enim vis summa dicendi est admiratione digna, si infelix usque ad ultimum sollicitudo persequitur, ac oratorem macerat et coquit, ægre verba vertentem, et perpendendis coagmentandisque eis intabescentem. Nitidus ille, et sublimis, et locuples, circumfluentibus undique eloquentiæ copiis imperat. Desinit enim in adversa niti, qui pervenit in summum. Scendenti circa ima labor est; cæterum, quantum processeris, mollietur clivus, et lætius solum: et, si hæc quoque jam lenius supina perseverantibus studiis evaseris, inde fructus illaborati offerunt sese, et omnia sponteveniunt: quæ tamen quotidie, nisi decerpantur, arescunt. Sed et copia habet modum; sine quo nihil nec laudabile, nec salutare est; et nitor ille

(1) Ita leg. non *auri*, ut Gesn. conj. *O.*

(2) *Buccinum* vocat quoddam genus conchæ, ex quo tingitur color similis purpuræ. *Turn.*

cultum virilem, et inventio iudicium. Sic erunt magna, non nimia: sublimia, non abrupta: fortia, non temeraria: severa, non tristia: gravia, non tarda: læta, non luxuriosa: jucunda, non dissoluta: plena, non tumida. Similis in cæteris ratio est. Tutissima fere per medium via: quia utriusque ultimum vitium est.

XI. HIS dicendi virtutibus usus orator in iudiciis, consiliis, concionibus, senatu, in omni denique officio boni civis, *finem* quoque dignum et optimo viro, et opere sanctissimo faciet: non quia prodesse unquam satis sit, et illa mente atque illa facultate prædito non conveniat operis pulcherrimi quam longissimum tempus, sed quia decet hoc quoque prospicere, ne quid pejus, quam fecerit, faciat. Neque enim scientia modo constat orator, quæ augetur annis, sed voce, latere, firmitate: quibus fractis, aut imminutis ætate seu valetudine, cavendum est, ne quid in oratore summo desideretur, ne intersistat fatigatus, ne, quæ dicet, parum audiri sentiat, ne se quærat priorem. Vidi ego longe omnium quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem, Domitium Afrum, valde senem, quotidie, aliquid ex ea, quam meruerat, auctoritate perdentem, cum agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alii (quod indignum videbatur) riderent, alii erubescerent: quæ occasio illis fuit dicendi, malle eum *deficere*, quam *desinere*. Neque erant illa, qualiacunque, mala, sed minima. Quare, ante quam in has ætatis veniat insidias, receptui canet, et in portum integra nave perveniet. Neque enim minores eum, cum id fecerit, studiorum fructus sequentur. Aut ille monumenta rerum posteris, aut, ut L. Crassus in libris Ciceronis destinabat, (1) jura quærentibus tradet, aut eloquentiæ componet *Artem*, aut pulcherrimis vitæ præceptis dignum os dabit. Frequentabunt ejus domum optimi juvenes more veterum, et veram dicendi viam velint ex oraculo petent. Hos ille formabit quasi eloquentiæ parens, et ut vetus gubernator, litora et portus, et quæ tempestatum signa, quid secundis flatibus, quid adversis ratis poscat, docebit: non humanitatis solum communi ductus officio, sed amorè quodam operis. Nemo enim minui velit id, in quo maximus fuit. Quid porro est honestius, quam docere quod optime scias? Sic ad se Cælium deductum a patre Cicero profitetur: sic Pansam, Hirtium, Dolabellam, in morem præceptoris exercuit,

(1) Ita ex Codice Dorvilliano lacunam, jam Rollino aliisque notatam, supplevimus. *Jura* ins. Obrect, quæque; pulcere, ut ait Gesn. O.

quotidie dicens, audiensque. Ac nescio an eum tunc beatissimum credi oporteat, cum jam secretus, et consecratus, liber invidia, procul a contentionibus, famam in tuto collocarit, et sentiet vivus eam, quæ post fata præstari magis solet, venerationem, et, quid apud posteros futurus sit, videbit. Consciens sum mihi, quantum mediocritate valui, quæque antea scierim, quæque operis hujusce gratia potuerim inquirere, candide me atque simpliciter in notitiam eorum, si qui forte cognoscere voluissent, protulisse. Atque id viro bono satis est docuisse, quod scierit.

Vereor tamen, ne aut magna nimium videar exigere, qui eundem virum bonum esse et dicendi peritum velim, aut multa, qui tot artibus in pueritia discendis, morum quoque præcepta, et scientiam juris civilis, præter ea quæ de eloquentia tradebantur, adjecerim; quique hæc operi nostro necessaria esse crediderint, velut (1) numerosiora perhorrescant, ac desperent ante experimentum. Sed hi primum renuntient sibi, quanta sit humani generis vis, quam potens efficiendi quæ velit; cum maria transire, siderum cursus numerosque cognoscere, mundum ipsum pene dimetiri, minores sed difficiliore artes, potuerit: tum cogitent, quantam rem petant, quamque nullus sit hoc proposito præmio labor recusandus. Quod si mente conceperint, huic quoque parti facilius accedent, ut ipsum iter, neque impervium, neque saltem durum putent. Nam id, quod prius, quodque majus est, ut boni viri simus, voluntate maxime constat: quam qui vera fide induerit, facile easdem, quæ virtutem docent, artes accipiet. Neque enim aut tam perplexa, aut tam numerosa sunt, quæ premunt, ut non paucorum admodum annorum intentione discantur. Longam enim facit operam, quod *repugnamus*: brevis est institutio vitæ honestæ beatæque, si (2) *cedas*. Natura enim nos ad mentem optimam genuit; adeoque discere meliora volentibus promptum est, ut vere intuenti mirum sit illud magis, malos esse tam multos. Nam ut aqua piscibus, ut sicca terrenis, circumfusis nobis spiritus volucris convenit; ita certe facilius esse oportebat, secundum naturam, quam contra,

(1) *Remoram* legit Obr. *morosiora* conj. Burm. unde *numerosiora* pari jure nobis quoque conjicere licet: et favent quæ sequuntur, Neque enim—tam numerosa sunt, quæ premunt, &c. Confer. lib. 8, Proëm. sub init. O.

(2) Al. omnes *credas*; quod cum vix cuiquam placere videatur, quid si *cedas* legamus? C̄das erat in MSS. unde facile *credas* effinxerint, quibus, quidquid *facerent* homines, omnia, modo *crederent*, honesta et beata videbantur. O.

eam, vivere. Cætera vero, etiam si ætatem nostram non spatio senectutis, sed tempore adolescentiæ metiamur, abunde multos ad discendum annos habent. Omnia enim breviora reddet ordo, et ratio, et modus. Sed culpa est in præceptoribus prima, libenter detinentibus quos occupaverunt, partim cupiditate diutius exigendi mercedulas, partim ambitione, quo difficilius sit quod pollicentur, partim etiam inscitia tradendi, vel negligentia: proxima in nobis, qui morari in eo quod novimus, quam discere quæ nondum scimus, melius putamus. Nam, ut de nostris potissimum studiis dicam, quid attinet tam multis annis, quam in more est plurimorum, (ut de his, a quibus magna in hoc pars ætatis absumitur, taceam) declamare in schola, et tantum laboris in rebus falsis consumere, cum satis sit modico tempore imaginem veri discriminis, et dicendi leges comperisse? Quod non dico, quia sit unquam omittenda dicendi exercitatio, sed quia non sit in una ejus specie consensendum. Cognoscere enim (1) res, et præcepta dicendi perdiscere, et in foro nos experiri potuimus, dum scholastici sumus. Discendi ratio talis, ut non multos annos poscat. Quælibet enim ex iis *artibus*, quarum habui mentionem, in paucos libros contrahi solet: adeo infinito spatio ac traditione opus non est. Reliqua est, quæ vires cito facit, consuetudo. Rerum cognitio quotidie crescit; et tamen quam multorum ad eas librorum necessaria lectio est! quibus aut rerum exempla ab historicis, aut dicendi ab oratoribus petuntur. Philosophorum quoque consultorumque opiniones, sicuti alia, velimus legere necessarium est. Quæ quidem possumus omnia: sed breve nobis tempus nos facimus. Quantulam enim studiis impartimur! alias horas vanus salutandi labor, alias datum fabulis otium, alias spectacula, alias convivia trahunt. Adjice tot genera ludendi, et insanam corporis curam. Trahat inde peregrinatio, rura, calenorum anxie solitudines, multæ causæ libidinum, et vinum, et flagitiosus omni genere voluptatum animus. Ne ea quidem tempora idonea, quæ supersunt. Quæ si omnia studiis impenderentur, jam nobis longa ætas, et abunde (2) satis ad discendum spatia viderentur; et diurna tantum computantibus tempora: at noctes, quarum bona pars omni somno longior est, adjuvant. Nunc computamus annos, non quibus studuimus, sed quibus viximus.

(1) Ita supplevimus: sic infra, *Rerum cognitio. O.*

(2) Plusquam satis. Malim legere, *spatii videretur, et diurna: etiam diurna. Deleri forte possit et.*

Nec vero, si geometræ, et grammatici, cæterarumque artium professores, omnem suam vitam, quamlibet longa fuerit, in singulis artibus consumserunt, sequitur ut plures quasdam vitas ad plura discenda desideremus. Neque illi didicerunt hæc usque in senectutem, sed ea sola didicisse contenti fuerunt, ac tot annos in utendo, non in percipiendo, exhausserunt. Cæterum, ut de Homero taceam, in quo nullius non artis, aut perfectæ, aut certe non dubiæ, vêtigia reperiuntur; ut Eleam Hippiam transeam, qui non liberalium modo disciplinarum præscientiam tulit, sed vestem, et annulum, crepidasque, quæ omnia manu sua fecerat, in usu habuit; atque ita se præparavit, ne cujus alterius ope egeret, neve ullius rei; Gorgias quoque summæ senectutis, id quærere auditores, de quo quisque vellet, jubebat. Quæ tandem ars digna literis Platoni defuit? Quot seculis Aristoteles didicit? ut non solum, quæ ad philosophos atque oratores pertinent, scientia complecteretur, sed animalium satorumque naturas omnes perquireret. Illis enim hæc inveniendæ fuerunt, nobis cognoscendæ sunt. Tot nos præceptoribus, tot exemplis instruxit antiquitas, ut possit videri nulla sorte nascendi ætas felicior, quam nostra, cui docendæ priores elaboraverunt. Marcus Censorius Cato, idem orator, idem historiæ conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus, inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi seculo literas Græcas ætate jam declinata didicit, ut esset hominibus documento, ea quoque percipi posse, quæ senes concupissent. Quam multa, imo pene omnia, tradidit Varro? Quod instrumentum dicendi M. Tullio defuit? Quid plura? cum etiam Cornelius Celsus, mediocri vir ingenio, non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris, et rusticæ etiam, et medicinæ præcepta reliquerit? dignus vel ipso proposito, ut eum scisse omnia illa credamus.

At, perficere tantum opus, arduum est, et nemo perfecit. Ante omnia sufficit ad exhortationem studiorum, non capere id rerum naturam, ut, quidquid non est factum, ne fieri quidem possit: cum omnia, quæ magna sunt atque admirabilia, tempus aliquod, quo primum efficerentur, habuerint. Quantum enim Poesis ab Homero et Virgilio, tantum fastigium accepit eloquentia a Demosthene atque Cicerone. Denique, quidquid est Optimum, ante non fuerat. Verum, etiam si quis summa desperet, (quod cur faciat, cui ingenium, valetudo, facultas, præceptor, non decrunt?) tamen est, ut Cicero ait, pulcrum in secundis tertiisque consistere. Neque enim, si quis Achillis gloriam

in bellicis consequi non potest, Ajacis aut Diomedis laudem aspernabitur; neque qui Homeri non, Tyrtaei. Quin imo si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se meliorem fore eo, qui optimus fuisset, arbitraretur, ii ipsi, qui sunt optimi, non fuissent: neque post Lucretium ac Macrum Virgilius, neque post Crassum et Hortensium Cicero, sed nec alii postea vixerint. Verum ut transeundi spes non sit magna, tamen est dignitas subsequendi. An Pollio et Messala, qui jam Cicerone arcem tenente eloquentiæ agere cœperunt, parum in vita dignitatis habuerunt, parum ad posteros gloriæ tradiderunt? Alioquin pessime de rebus humanis perductæ in summum artes inererentur, si, quod optimum fuisset, defuisset. Adde quod magnos modica quoque eloquentia parit fructus; ac si quis hæc studia utilitate sola metiatur, pene illi perfectæ par est. Neque erat difficile, vel veteribus vel novis exemplis palam facere, non aliunde majores honores, opes, amicitias, laudem præsentem, futuram, hominibus contigisse; si tamen dignum literis esset, ab opere pulcherrimo, cujus tractatus atque ipsa possessio plenissimam studiis gratiam refert, hanc miuorem exigere mercedem; more eorum qui a se non virtutes, sed voluptatem quæ fit ex virtutibus, peti dicunt. Ipsam igitur orandi majestatem, quæ nihil dii immortales melius homini dederunt, et qua remota muta sunt omnia, et luce præsentis et memoria posteritatis carent, toto animo petamus, nitamurque semper ad optima: quod facientes, aut evademus in summum, aut certe multos infra nos videbimus.

Habes, MARCELLE VICTORI, quibus præcepta dicendi pro virili parte adjuvari posse per nos videbantur: quorum cognitio studiosis juvenibus si non magnam utilitatem afferet, at certe, quod magis petimus, bonam voluntatem.

FINIS.

Homer. p. 274. "latus ac pressus".
Cicero p. 370. "suorum homines temporum"
. 256 & 311. "O fortunatam natam me Consule Romanum"
Primum Judaica Superstitiones Auctor. p. 82.
De Pericles ingenio p. 74.

10613

Quintilian. De institutione oratoria
De institutione oratoria libri duodecim;
ed. by Lappam.

LL
Q78de11

NAME OF BORROWER.

DATE.

University of Toronto Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED

